FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

CXL.

PATRES QUINTI ECCLESIAE SAECULI.

S. AUGUSTINUS.

XXXIII.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI,

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE:

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES

Rue des Saints-Pères, 16;

AQUIS SEXTIIS,

APUD **MASSIE** ET **JEAN**,

Via vulgo dicta du Pont-Moreau, 2.

PARISIIS.— E TYPOGRAPHIA BOURGOGNE ET MARTINET

VIA VULGO DICTA JACOB, N° 30.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS.

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

ALMA COLLEGE
208.24
LIBRARY
Au 46 C
Los Gatos, Calif.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

Pluribus extraneorum ordinum insignibus decoratum

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XL.

58622

ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Los Gatos, Calif.

SANCTI AURELII
AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
OPERUM
PARS VI.
OPERA POLEMICA.

FATHERS' LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

DE UNICO BAPTISMO CONTRA PETILIANUM, LIBER UNUS.
BREVICULUS COLLATIONIS CUM DONATISTIS.
AD DONATISTAS POST COLLATIONEM, LIBER UNUS.
SERMO AD CÆSARIENSIS ECCLESIÆ PLEBEM.
DE GESTIS CUM EMERITO DONATISTARUM EPISCOPO, LIBER UNUS.
CONTRA GAUDENTIUM DONATISTARUM EPISC., LIBRI II.
SERMO DE RUSTICIANO SUBDIACONO A DONATISTIS REBAPTIZATO ET IN DIACONUM ORDINATO.
DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE ET DE BAPTISMO PARVULORUM, LIBRI TRES.
DE SPIRITU ET LITTERA AD MARCELLINUM, LIBER UNUS.
DE NATURA ET GRATIA CONTRA PELAGIUM, LIBER UNUS.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/collectioselecta0033saug

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE UNICO BAPTISMO

CONTRA PETILIANUM AD CONSTANTINUM,

LIBER UNUS [1].

Petiliani librum de unico baptismate, quod ille in sola vera Ecclesia, imo in sola Donati parte esse contendebat, refellit Augustinus. Docet unici baptismi etiam in hæreticis repertam veritatem approbandum esse, non violandam. Ad Cypriani martyris et aliorum ex Africa, qui cum ipso aliter sensisse objectantur, episcoporum auctoritatem respondet. Neminem in Ecclesiæ unitate maculari alienis peccatis, ex ipsius Cypriani facto probat contra Donatistarum schisma. Postremo Petiliani calumnias Melchiadi et aliis quibusdam Catholicis episcopis illatas propulsat.

I. Respondere adversa sentientibus, et a regula veritatis errantibus, Constantine frater, sæpissime cogimur, etiam de his rebus, quas aliis atque aliis sermonibus frequentavimus. Quod utiliter existimo fieri, et propter eorum ingenia tardiora, qui putant aliud dici, cum aliquid

[1] Scriptus circiter annum Christi 410. — Vide Retract. lib. II, cap. 34.

legunt aliter dici ; et propter ipsam disputationum copiam, ut non solum ad diligentes res rara perveniat, sed quodlibet ex multis in manus etiam negligentioris incurrat. Proinde sermonem de unico baptismo ab eis compositum, a quibus baptismus iteratur, quem mihi cum in rure simul essemus, a nescio quo Donatistarum presbytero acceptum dedisti, atque ut ei responderem multum petisti, non nisi verborum strepitu inflatum, et calumniosis criminationibus asperatum, vide adjuvante Domino quanta facilitate confutem.

II. Prima illic invidia est : « Quod ventilatur in publico res secreta. » Taceant ergo qui hoc fieri debere non putant. Aut si ad loquendum cogi se dicunt, ut respondeant contra sentientibus ; hæc etiam nostra causa est, ut respondeamus, non solum contra sentientibus, verumetiam contra facientibus. Debet enim palam redargui quod in occulto nocet ; quia et palam defenditur, cum suadetur in occulto quod noceat cum perficitur. Nam quis coram profanis quemquam baptizat ? Et tamen baptizari Christianos nullus profanus ignorat, qui audit in publico, quod si credit, percipiat in secreto.

III. Videamus ergo de baptismatis iteratione quid dicant, qui verecundantur hoc in aperto dicere, quod utinam in aperto timerent admittere. « Ubi sit, inquit, verum baptisma quæritur. » Deinde subjungit : « Usque adeo meum est, ut quod a me unicum datum est, nec ab ipsis sacrilegis iteretur. » Cui respondemus : Sacrilegus non est, qui unicum baptisma, non quod tuum, sed quod Christi est, iterare non audet. Christi est enim unica hominis in baptismate consecratio, tua est autem unici baptismatis iteratio. Corrigo in te quod tuum est, agnosco quod Christi est. Hoc enim justum est, ut cum mala hominum reprobamus, quæcumque in illis bona

Dei reperimus, approbemus. Hoc, inquam, justum est, ut etiam in sacrilego non violem quod verum invenio sacramentum; nec sic emendem sacrilegum, ut in eo perpetrem sacrilegium.

IV. Nam sic sunt isti mali in baptismo bono, quemadmodum sunt Judæi mali in lege bona. Itaque ut illi per ipsam legem judicabuntur, quam malitia sua malam non fecerunt : ita et isti per ipsum baptismum judicabuntur, quem bonum mali tenuerunt. Ergo quemadmodum Judæus, cum ad nos venerit ut Christianus fiat, non in eo destruimus bona Dei, sed mala ipsius : nam quod errat non credendo quod Christus jam venerit, natusque et passus sit, et resurrexerit, hoc emendamus, eaque infidelitate destructa, fidem qua hæc creduntur, astruimus : item quod errat umbris veterum sacramentorum inhærendo dissuademus; jamque venisse tempus, quo hæc auferenda atque mutanda Prophetæ prædixerant, demonstramus : quod vero unum Deum colendum credit, qui fecit cœlum et terram, quod omnia idola et sacrilegia gentium detestatur, quod futurum expectat judicium, quod vitam sperat æternam, quod de carnis resurrectione non dubitat, laudamus, approbamus, agnoscimus, sicut credebat credenda, sicut tenebat tenenda firmamus. Ita etiam cum ad nos venit schismaticus vel hæreticus, ut catholicus fiat, schisma ejus et hæresim dissuadendo et destruendo rescindimus : sacramenta vero christiana si eadem in illo invenimus, et quidquid aliud veri tenet; absit ut violemus, absit ut, si semel data novimus, iteremus; ne dum vitia humana curamus, divina medicamenta damnemus; aut quærendo sanare quod vulneratum non est, hominem saucium et ubi sanus est, vulneremus. Proinde si de aliqua re ad fidem christianam et catholicam pertinente, si denique de ipsa

etiam Trinitatis unitate dissentientem hæreticum invenio, et tamen evangelica et ecclesiastica regula baptizatum; intellectum hominis corrigo, non Dei violo sacramentum. Loquor de Judæis et schismaticis vel hæreticis sub Christi utcumque nomine errantibus.

V. De ipsis gentilibus idolorumque cultoribus multa utique a nobis diversitate distantibus, nihil aliud nobis demonstrat Apostolus, nisi ut in ipsis quoque ita quidquid pravum est corrigamus, ut quod forte rectum est approbemus. Nam utique idololatras, et quod est gravius, non tantum cultores, sed etiam institutores simulacrorum redarguebat, ubi ait : « Qui cognoscentes » Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias » egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et ob» scuratum est insipiens cor eorum. Dicentes se esse sa» pientes, stulti facti sunt : et immutaverunt gloriam in» corruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis » hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpen» tium[1]. » Talia quippe novimus fuisse simulacra Ægyptiorum, ubi et instituta esse multiplicior multoque ignominiosior idololatria perhibetur. Numquid tamen cognitionem Dei negavit in illis fuisse, ac non potius confirmavit, dicens : « Cognoscentes Deum, non ut Deum » glorificaverunt? » Si ergo istam cognitionem tanquam mendacium repellere et destruere conaretur, quod eam in sacrilegis invenisset; nonne, quod absit, veritatis inimicus existeret? Ideoque id quod immutaverunt in mendacium suum; nam et hic dixit : « Immutaverunt glo» riam Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis ho» minis : » talem scilicet fingentes Deum, qualis non est Deus, et non sicut eum cognoverunt tradentes hominibus. Et paulo post de talibus dicit : « Qui immutaverunt ve-

[1] Rom. I, 21-24.

» ritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt » creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in » sæcula[1]. » Veritas quippe creaturæ a Deo est, non Deus, quam illi in mendacium converterunt, tanquam deos colentes solem et lunam et quæcumque cœlestia atque terrestria. Quod ergo immutaverunt in mendacium suum, culpat, detestatur, evertit : quod autem verum in doctrina, quamvis multis falsitatibus permixta confusaque, servarunt, approbat, testatur, affirmat. Nam et hinc eumdem locum ita cœpit, ut diceret : « Revelatur » enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et in- » justitiam hominum, eorum qui veritatem in iniquitate » detinent, non abnegans veritatem, quamvis in iniqui- » tate detentam[2]. »

VI. Et in Actibus Apostolorum, cum de Deo uno et vero Athenienses doceret, quod in illo vivimus, movemur, et sumus[3] : continuo subjunxit : « Sicut quidam » secundum vos dixerunt. » Hoc igitur quod in Deo vivimus, movemur, et sumus, ex illa veritate est quam et illi impii simulacrorum cultores in iniquitate detinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Hanc tamen veritatem, sicut videmus ; apud impios et sacrilegos inventam non destruit, sed confirmat Apostolus, ejusque utitur testimonio ad docendos eos qui ista nesciebant. Hujus regulæ apostolicæ sectator episcopus Cyprianus, de uno vero Deo adversus multorum deorum falsorumque cultores disputans[4], multa profert testimonia de libris eorum, quos præclaros auctores habent, hoc est, ex illa veritate quam in iniquitate detinent. Multo autem mirabilius est quod fecit Apostolus[5], ut eorum fana circumiens, aram quamdam inter aras dæmo-

[1] Rom. I, 25. — [2] Ibid. 18. — [3] Act. XVII, 28. — [4] Lib. de Vanitate idolorum. — [5] Act. XVII, 23.

num inventam, in qua scriptum esset : Ignoto Deo : neque hoc negando et refellendo destruxerit, sed potius confirmando hinc etiam repererit opportunissimum suæ disputationis exordium, dicens : « Quem vos ignorantes » colitis, hunc ego annuntio vobis. »

VII. Hanc itaque et nos per majores nostros traditam nobis sequentes apostolicam regulam, si quid recti etiam in perversis invenerimus, eorum perversitate correcta, illud quod rectum est minime violamus : ut in uno homine, ex iis quæ vera tenet etiam falsa emendentur, non ex falsis convictis etiam vera destruantur. Temporibus Apostolorum qui dicebant : « Ego quidem sum Pauli, » ego autem Apollo, ego autem Cephæ[1] : » quamvis non per impiorum, sed sanctorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant; hoc ipsorum erat proprium detestabile vitium. Quod vero sciebant Christum pro se esse crucifixum, et se in ejus nomine baptizatos, non erroris eorum, sed divini apud eos muneris erat. Hanc Dei veritatem in iniquitate suorum schismatum detinebant. Hanc apprehendens beatissimus Paulus, non per illa vitia destructa etiam istam destruit, sed per hanc confirmatam illa emendanda convincit. « Numquid Paulus pro » vobis, inquit, crucifixus est, aut in nomine Pauli bap» tizati estis[2] ? » Ut per verum Dei quod tenebant, de suo falso erubescerent quod agebant. Sicut ergo dicitur Judæo : Tene fidem resurrectionis mortuorum, sicut tenebas; sed crede jam Christum resurrexisse a mortuis, quod non credebas : veritatem quippe Dei de mortuis resurrecturis in tua iniquitate detines, quia Christum resurrexisse non credis. Sicut idolorum cultori dicitur : Tene ab uno vero Deo mundum conditum esse, quod tenebas; sed noli credere deos esse ligna et lapides, et ip-

[1] 1 Cor. 1, 12. — [2] Ibid. 13.

sius mundi quaslibet particulas quas colebas : Dei enim veritatem, qua credis ab ipso mundum conditum, in tua detines iniquitate, qua deorum cultor vis esse falsorum. Sic etiam hæretico dicitur, qui sacramenta christiana, sicut in Ecclesia catholica traduntur, nulla sua falsitate mutavit : Tene christianum baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut tenebas; sed agnosce Christi Ecclesiam toto, sicut prophetatum est, orbe crescentem, cui sacrilega voce maledicebas : Dei enim veritatem de unitate baptismatis in iniquitate detines tuæ divisionis. Corrige iniquitatem hæretici figmenti, ne perdat te; et noli superbire de veritate christiani sacramenti, quæ ibi est ut judicet te. Ego autem absit ut sic detester iniquitatem tuam, ut Christi abnegem veritatem, quam in te invenio ad damnationem tuam : absit ut sic te corrigam, ut illud unde te corrigo destruam; nisi forte destruere debeo verum quod invenio in anima hæreticorum, cum Apostolus non destruxerit verum quod invenit in lapide Paganorum.

VIII. Plus est unus Deus, quam unus baptismus, neque enim baptismus Deus est, sed ideo magnum aliquid est, quia sacramentum est Dei : et tamen ipse unus Deus etiam extra Ecclesiam ab ignorantibus colebatur. Sic ergo et unus baptismus etiam extra Ecclesiam ab ignorantibus datur. Qui dicit fieri non potuisse, ut unus Deus et verus ab ignorantibus extra Ecclesiam coleretur, videat non quid mihi, sed quid ipsi Apostolo valeat respondere dicenti : « Quem vos ignorantes colitis, hunc » ego annuntio vobis[1]. » Quam ob rem sicut nihil eis proderat ad salutem, qui verum Deum ignorantes, cum tamen colebant; imo et oberat ad perniciem, quod falsos deos simul colentes eidem vero Deo sacrilegam inju-

[1] Act. xvii, 23.

riam faciebant : sic nihil prodest hæreticis ad salutem, quod extra Ecclesiam verum baptismum per ignorantiam et tradunt et tenent; imo et obest ad damnationem, quod in sacrilega iniquitate erroris humani, etiam divini sacramenti, non per quam mundentur, sed per quam severius judicentur, detinent veritatem. Et sicut Apostolus, quando illos sacrilegos corrigebat, Deum tamen verum, qui extra Ecclesiam ab eis ignorantibus colebatur, agnoscebat potius quam negabat : sic etiam nos quando hæreticorum sacrilegæ separationis errores corrigimus, baptismum tamen verum, quem per ignorantiam extra Ecclesiam tradunt, utique agnoscere, non negare debemus.

IX. « Sed Paulus, inquiunt, cum venisset Ephesum, » quosdam qui se dicebant Joannis baptismate baptiza- » tos, baptizari jussit in Christo[1]. » Quisquis hoc exemplo schismaticos et hæreticos baptizandos putat, audeat dicere, si potest, hæreticum vel schismaticum Joannem fuisse. Hoc si nefas est dicere, profecto illis hominibus quod deerat datum est, non quod inerat improbatum : sive mentiti fuerint se habere baptismum Joannis, sicut nonnulli arbitrantur; sive quia baptismus Joannis non erat baptismus Christi, sed tamen militans Christo, sicut Legis vetera sacramenta præcursorio quodam et præfiguratorio fungebantur officio. « Si post Joannem amicum sponsi baptizatum est, inquiunt, quanto magis post hæreticum baptizandum est? » Potest alius velut justa similiter indignatione commotus dicere : Si post Joannem baptizatum est, qui vinum penitus non bibebat, quanto post ebriosum justius baptizandum est? Hoc ergo isti faciant, si possunt : baptizent post ebriosos suos, si post Joannem sobrium Apostoli baptizaverunt. Quid hic res-

[1] Act. XIX, 1.

pondeant, nisi propterea se post istos non baptizare, quia per eos qui baptizati sunt, non eorum, sed Christi baptismum perceperunt? Credant esse ergo propterea post Joannem baptizatum, quia vel nullum illi baptismum habebant, vel Christi baptismum nondum habebant.

X. Hoc quidem etiam ipse sibi, cui respondemus, opposuit, oppositumque non solvit. Ait enim : « Dicit forsitan aliquis, Sed hi quos Paulus iterum baptizavit, baptismo Joannis abluti fuerant, non baptismo Jesu Christi, unde rebaptizari dico non oportere, quos constat esse a traditoribus tamen in Christi nomine baptizàtos. » Hoc sibi cum ipse proposuisset attende quemadmodum frustra respondere conatus sit. Huic, inquit, rei Dominus Jesus Christus respondit his verbis : « Qui mecum non » colligit, dispergit. » Et iterum : « Non omnis qui dicit » mihi, Domine, Domine,intrabit in regnum cœlorum[1]. » Multi enim dicent mihi in illa die, Domine, Domine, » nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo » dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fe» cimus? Et tunc dicam illis : Non novi vos, recedite a » me operarii iniquitatis[2].» Perdidisse igitur falsum opus non dubium est, qui tametsi in nomine Jesu Christi, sacrilegi tamen ausi sunt operari. Velint nolint, proinde traditores sacrilegis sacramentis Christum magis offendunt. Qui si et dicere audeant : « In nomine tuo prophe» tavimus : » Dicet illis ut cæteris : « Recedite a me ope» rarii iniquitatis, non novi vos. » « Recte illis hoc dicet, quoniam quidem in indignis non dissimiles causæ sunt, baptizare, dæmonia pellere, cæterasque mirabiles fecisse virtutes. » Vide quam multa dixit, et quod sibi ex adverso proposuit, solvere omnino non potuit : nec solum hoc, sed etiam nos ipsos quæ adversus eos dicere deberemus,

[1] Matth. XII, 30. — [2] Id. VII, 21.

admonuit. Neque enim tantum nihil eum adjuvant hæc Evangelica testimonia, sed etiam causæ nostræ plurimum suffragantur.

XI. De baptismo Joannis agebatur, a quo baptizatos quosdam si baptizavit Apostolus, non utique Joannis baptismum habentibus iterum Joannis baptismum dedit, sed Christi baptismum non habentes baptizari jussit in Christo: ac per hoc neutrum destruxit, sed utrumque distinxit. Hoc etiam iste contra quem disserimus, vidit, qui cum sibi velut ex adversarii partibus objecisset: « Quia et hi quos traditores vocant, baptismo Christi, non Joannis, baptizant et baptizantur, et ideo post eos baptismum nec rescindi, nec iterari oportere: » huic quæstioni dicit respondisse Christum, cum ait: « Qui » mecum non colligit, spargit: » quasi dixerit Christus: In eis qui mecum non colliguut, etiam quod verum et quod meum inventum fuerit, negetur, exsufflctur, destruatur. Ait etiam quibusdam dicentibus: « Domine, » Domine, in nomine tuo prophetavimus et in nomine » tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes mul» tas fecimus; » eum responsurum: « Non novi vos, rece» dite a me qui operamini iniquitatem. » Numquid etiam hic dixit, Propter iniquitatem vestram negabo etiam veritatem meam in vestra iniquitate detentam? Neque enim in regnum suum recepturus est omnes, in quibus invenerit aliquam veritatem; sed in quibus invenerit veritati congruam charitatem: quæ si defuerit, iniquitas erit. In qua tamen detenta veritas neganda non est, sed ipsa iniquitas non destructa veritate damnanda est. Unde et Apostolus dicit: « Et si sciero omnia sacramenta et » omnem scientiam, et si habuero omnem prophetiam » et omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem

[1] Matth. VII, 22.

» autem non habeam, nihil sum [1]. » Se dixit nihil esse, si charitatem non habeat, non sacramenta et scientiam et prophetiam et fidem. Illa enim magna sunt, etiam si ille nihil sit, qui ea sine charitate habuerit, et eorum veritatem in sua iniquitate detinuerit. Hoc et nos istis hæreticis dicimus : Non destruimus veritatem baptismatis ; quam in vestra iniquitate detinetis ; sed cum vos corrigimus, illam destruimus, et evertimus, hanc autem agnoscimus et tenemus. Nihil itaque istum adjuvant plura Evangelica testimonia.

XII. Quemadmodum autem nobis etiam plurimum suffragentur, adverte. Ecce ipsa verba ejus attende. « Perdidisse, inquit, falsum opus non dubium est, qui tametsi in nomine Jesu Christi, sacrilegi tamen ausi sunt operari. » Hoc omnino verum est, quoniam qui sacrilegi in nomine Jesu Christi ausi sunt operari, falsum opus proprium perdiderunt. Numquid ideo tamen nomen ipsum Jesu Christi sacrilegum est, etiam cum per illum sacrilegi aliquid operantur? Quis hoc audeat vel dementissimus dicere? quis jam isto tempore vel Paganus audeat affirmare? Unde et ipse Jesus Christus cum verissime dixerit : « Qui mecum non colligit, spargit [1] : » tamen cum ei Discipuli dixissent quemdam se invenisse, qui in nomine ejus dæmonia ejiceret, et prohibuisse, quia cum eis Dominum non sequebatur : ad hoc respondit : « Nolite » prohibere ; nemo enim virtutes facit in nomine meo, » et potest male loqui de me [2]. » In hoc utique propria iniquitas erat, quia non cum Domino colligebat, nec in ejus gregis unitate pastorem cum Discipulis sequebatur : in qua iniquitate sua veritatem detinebat alienam, quod in nomine Jesu Christi ejiciebat dæmonia, et de illo male non loquebatur. Hujus itaque iniquitatem illis verbis

[1] 1 Cor. XIII, 2. — [2] Matth. XII, 30. — [3] Marc. IX, 38.

Dominus damnat, ubi ait : « Qui mecum non colligit, » spargit : » veritatem suam tamen in illo non negat, nec improbat, cum dicit : « Nolite prohibere; nemo enim » virtutes facit in nomine meo, et potest male loqui de » me. » Hoc Dominicum exemplum sequentes etiam nos pro viribus nostris, baptismi veritatem, et quidquid aliud verum hæretici tenent, negare non possumus, improbare ac destruere non audemus : ipsorum autem iniquitatem, qua cum Christo non colligunt, sed spargunt, merito detestamur, et inviolata quæ in eis est veritate damnamus, vel quantum sinimur emendamus.

XIII. Respiciat ergo iste quo errore dixerit, quod secutus adjunxit : « Velint nolint, proinde traditores sacrilegis sacramentis Christum magis offendunt. » Alia est quippe temeritas et utcumque tolerabilis, quod traditores dicit homines, quos esse non probat : illud autem quis ferat, quod sacrilega dicit sacramenta Christi, etiam si vere, sicut calumniatur, a traditoribus haberentur, quæ in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ritu Evangelico celebrantur? Hic fortasse dicat, jam non esse Christi sacramentum quod a sacrilegis datur. Cur non ergo dicit non esse etiam nomen Christi, quod a sacrilegis dicitur? Quod omnino non ausus est dicere. Ait enim : « Perdidisse igitur falsum opus non dubium est, qui tametsi in nomine Jesu Christi, sacrilegi tamen ausi sunt operari. Tametsi, inquit, in nomine Jesu Christi : » numquid dixit non esse nomen Jesu Christi? Sicut ergo nihil prodest sacrilegis, quod operantur in nomine Jesu Christi, sic nihil prodest hæreticis quod baptizant vel baptizantur in baptismo Jesu Christi : sed tamen sicut illud nomen est Jesu Christi, ita et iste baptismus Jesu Christi. Et utrumque agnoscendum et approbandum, non negandum et destruendum est; ne tantis donis Dei fiat in-

juria, cum sacrilegorum eisdem donis male utentium corrigitur vita.

XIV. Ille dicit sacrilegis dicturum Dominum : « Re» cedite a me omnes qui operamini iniquitatem[1]. » qui extra Ecclesiam baptizant, vel dæmonia ejiciunt, vel aliquas virtutes in nomine Jesu Christi operantur : nos autem dicimus, imo ipsa Veritas dicit, omnibus hoc Deum esse dicturum, qui intra ipsa unitatis retia mali pisces cum bonis usque ad littus natant. Quid enim eis aliud dicetur, cum in vasa collectis bonis, illi mali separati projicientur, nisi, « Recedite a me qui operamini iniquita» tem? » Nec tamen in eis Christi sacramenta destruimus, cum vel tales baptizantes, vel tales baptizatos intra eadem unitatis retia agnoscimus. Ipsos quoque non arbitror tam esse impudentes, ut audeant dicere, tam multis malis et sceleratis, qui in eorum parte sunt, manifestis flagitiis et facinoribus perditi et inquinati, hoc est, avaris atque raptoribus, sive truculentis fœneratoribus, sive cruentis circumcellionibus, Dominum non esse dicturum, « Recedite a me qui operamini iniquitatem : » et tamen sciunt, vident, tenent, multos tales baptizare, multos a talibus baptizari; nec in eis Christi violant sacramentum, etiam illi quibus displicent scelera eorum. Non solum itaque nihil contra nos dixit, cum hæc Evangelica testimonia protulit; verum etiam nos quid contra eos diceremus, admonuit.

XV. Proinde quod sequitur et exultans dicit : « Solvi breviter quæstionem. » Vere solvit eam, sed pro nobis : quandoquidem dicendo : « In indignis non esse dissimiles causas, baptizare, dæmonia pellere, cæterasque non dissimiles fecisse virtutes, quibus dicentibus ; « In nomine tuo ista fecimus, dicturus est : « Non novi vos, recedite a

[1] Matth. VII, 23.

» me operarii iniquitatis[1] : » Manifestavit tam verum esse quod baptizant baptismo Jesu Christi etiam qui separati sunt ab Ecclesia, quam verum est quod dæmonia pellunt in nomine Jesu Christi : sed eos utrumque nec ad vitam æternam perducere, nec ab æternis suppliciis vindicare. Ac per hoc quemadmodum si veniret ad Ecclesiam quisquam eorum, a quibus expulit dæmonia ille, quem viderunt Discipuli separatum a grege Jesu Christi pellere dæmonia in nomine Jesu Christi, nequaquam virtus quæ in illo facta fuerat negaretur, sed ei quod deerat adderetur : ita quisquis extra Ecclesiam fuerit ab hæreticis vel schismaticis, tamen Christi baptismate consecratus, cum ad Ecclesiam venerit, non est negandum sacramentum veritatis, quo imbutus est; sed adjicienda pietas unitatis, a qua separatus est, et sine qua illud inesse illi posset, prodesse non posset. Hoc facimus, hoc a majoribus traditum accepimus, hoc in catholica Ecclesia, quæ toto orbe diffunditur, contra omnes falsitatis nebulas custodimus. Quid ergo hinc a nobis amplius disputandum est, quando ipse breviter solvit quæstionem, commemorando Evangelica testimonia, quibus profecto, si contentiosus esse nollet, et suum damnaret errorem, et baptismi cognosceret veritatem ?

XVI. Quid itaque opus est omnia ejus verba retexere, quibus argute sibi videtur dicere, et multa loquacitate versare, ideo apud se esse verum baptismum, quia et a nobis agnoscitur, non negatur? Nam quisquis firmum et inconcussum tenuerit, quod verissima et inviolabilis regula veritatis ostendit, id in unoquoque improbandum vel emendandum quod falsum atque vitiosum est, agnoscendum autem et acceptandum quod verum atque rectum est; simul vidit, et quid in Donatistarum hæresi deteste-

[1] Matth. VII, 22.

mur, et quid violare minime debeamus. Cum enim in suæ separationis iniquitate detinent baptismi veritatem, iniquitas eorum a nobis culpatur, veritas autem baptismi ubique agnoscitur et probatur.

XVII. Qui enim dicit destruendum esse baptismum Christi, quando illo hæretici baptizant; consequens est ut dicat negandum esse etiam ipsum Christum, quando eum dæmones confitentur. Hinc laudatus est Petrus, quando dixit: « Tu es Christus Filius Dei vivi : » expulsi dæmones, hoc ipsum dicentes: « Scimus qui sis, Filius « Dei [1]. » Ergo ista confessio Petro fructuosa, dæmonibus perniciosa, in utrisque tamen non falsa, sed vera; non neganda, sed agnoscenda; non detestanda, sed approbanda est. Sic et baptismi veritas datur a rectis catholicis, tanquam a Petro illa confessio; datur a perversis hæreticis, tanquam a dæmonibus eadem ipsa confessio : illos adjuvat, hos condemnat; in utrisque tamen agnoscendo approbanda, in neutris negando violanda. Unde et apostolus Jacobus cum quosdam redargueret, qui sufficere dicebant homini solam fidem, nec ei charitatis opera conjungebant, eos ex ista dæmonum comparatione convicit, ne ideo se ad Deum pertinere existimarent, quod verum de Deo crederent, etiamsi bona opera adjungere fidei non curarent. « Tu credis, inquit, quoniam unus est » Deus: bene facis; et dæmones credunt, et contremis- » cunt [1]. » Eos igitur qui de Deo verum credunt, et male vivunt, dæmonibus comparavit : non tamen illud ipsum verum quod de Deo dæmones credunt, propter odium dæmonum negando destruxit. Quamobrem cum iste ipse, contra quem disputamus, proposuerit Apostolum dicere : « Unus Deus, una fides, unum baptisma [2] : » ecce invenimus eumdem Deum extra Ecclesiam ab ignorantibus

[1] Matth. xvi, 17, et Marc. i, 24. — [2] Job. ii, 19. — [3] Ephes. iv, 5.

coli; ecce invenimus eamdem de uno Deo fidem extra Ecclesiam, non solum quosdam homines, verumetiam dæmones confiteri; sed utraque ab Apostolis confirmata est potius quam negata : cur non similiter unum baptisma in quibus extra Ecclesiam constitutis invenerimus, confirmamus potius quam negamus, ut non ex eo quod in illis pravum est, etiam quod rectum est depravemus; sed ex eo quod rectum tenent, etiam illud in quo depravati sunt corrigamus?

XVIII. Quid est ergo quod dicit : « Illic esse verum baptisma, ubi est vera fides? » Prorsus fieri potest, ut aliqui verum habeant baptismum, et non habeant veram fidem : sicut fieri potest, ut habeant verum Evangelium, quod non recte intelligendo, falsi aliquid credant de Deo. Numquid propter ipsam fidei falsitatem etiam Evangelium, quod verum apud eos invenitur, detestandum aut emendandum putabimus? Nec illos Corinthios arbitror, quos in schismata dissiluisse redarguit, veram fidem habuisse, in eo quod dicebant : « Ego sum Pauli [1] ; » hoc etenim falsum erat. Verumtamen baptismum habebant, ex cujus veritate ut istam corrigerent falsitatem, ab eo ipso audiunt : « Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut » in nomine Pauli baptizati estis? » Erant illic etiam qui mortuos resurgere non credebant, et in eo utique non veram tenebant atque habebant fidem : ex eo tamen quod verum habebant, quoniam credebant Christum resurrexisse, in quo fuerant baptizati, dat operam Apostolus etiam illud curare, in quo eis fides sana non erat, dicens ; « Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit [1] : » ut quoniam Christum resurrexisse crediderant: et hoc in eis sanum erat; illud etiam sanaretur, quod resurgere mortuos errore perniciosissimo non credebant. Quam-

[1] 1 Cor. 1, 12. — [2] Id. xv, 16.

obrem cum in Scripturis sanctis canonicis nec illi inveniant hæreticos ad Ecclesiam catholicam venientes denuo baptizatos, nec nos inveniamus in eodem baptismo quem in hæresi acceperant, fuisse susceptos : in hac re duntaxat par nobis causa est, quia nec illi quod faciunt, ut hæreticos, vel quos hæreticos putant, denuo baptizent, nec nos quod facimus ut etiam apud hæreticos datum suscipiamus baptismum Christi, ullo temporum apostolicorum expresse confirmatur exemplo. Sed nos reperientes Apostolos in quibuslibet errantibus, vel qualibet impietate sacrilegis, si quid veri cognoverunt, confirmasse potius quam negasse; hominum autem errorem et impietatem, salvo quod in eis verum inventum est, emendasse sive damnasse : hanc regulam etiam in baptismi veritate sectamur, ut apud quos eam invenerimus ita retentam atque servatam, sicut in Ecclesia catholica retinetur atque servatur, non eam negemus, neque destruamus ; sed ea manente quod vitiosum, quod pravum quod falsum in unoquoque fuerit, curemus, corrigamus, emendemus ; aut si non possumus detestatum, damnatumque vitemus.

XIX. Proinde cum eos suscipimus, non suscipimus. iniquitatem eorum, qua se ab Ecclesia Christi diremptione sacrilega diviserunt ; qua orbem christianum, cui Deus per Legem, per Prophetas, per Evangelium, per Psalmos, per Apostolos tam multa testimonia perhibet, calumniosis et maledicis criminationibus insectantur : nec eum ipsorum errorem suscipimus, quo baptismum Christi etiam apud hæreticos regula ecclesiastica custoditum nolunt agnoscere, audent destruere, non dubitant iterare ; quin etiam, si quos, non solum laïcos, sed et clericos, nec quoslibet clericos, verum et presbyteros et episcopos, etsi in illis Ecclesiis baptizati sunt ; quas Apostoli labore proprio fundaverunt, si aliquo modo seductos ad

se transferre potuerint, catechumenos faciunt. Hæc eorum detestabilia mala nequaquam suscipimus : quandoquidem nisi eis correctis ad nos transire non possunt.

XX. Nec illud sine distinctione præterimus, ut humiliorem agant pœnitentiam, qui jam fideles Ecclesiam catholicam deseruerunt, quam qui in illa nondum fuerunt. Nec ad clericatum admittuntur, sive ab hæreticis rebaptizati sint, sive prius suscepti ad illos redierint, sive apud illos clerici sive laïci fuerint. Et qui hæc nostrorum negligenter agunt, et eos forte clericos in Catholica faciunt, vel esse permittunt : quamvis a diligentioribus fraterno jure culpentur; tamen nec ipsi eis clericatum deferendum putant, nisi quos ab illis malis vel noverunt emendatos esse, vel credunt. Ac per hoc frustra calumniantur Ecclesiæ catholicæ, quicumque ab ejus unitate nefario scelere separantur. Ut enim verbis Apostoli magis utar : « Revela» tur ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injusti» tiam hominum, qui veritatem in iniquitate detinent [1]. » Hæc ira, si non se correxerint, etiam istos invenient, qui veritatem christiani baptismatis in iniquitate detinent suæ sacrilegæ separationis.

XXI. Ecclesia vero catholica, quæ, sicut de illa prædictum est, per omnes gentes copiosa et fecundita diffunditur, nullius sic emendat iniquitatem, ut in eo non ipsius, sed sui Domini destruat veritatem. Quid ergo iste quasi licenter ac fidenter exclamat? « Baptizavi securus, quem tu sacrilegus inquinasti : baptizavi, inquaœ, feci quod fecit Paulus apostolus. » Legat ubi hoc fecerit apostolus Paulus. Quod si de illis apud Ephesum vult intelligi, audeat ergo dicere, quod eos Joannes sacrilegus inquinaverit. Quod si non audet dicere, quoniam apertissimum nefas est, desinat tandem de re multum dissimili falsæ similitudinis nebulas excitare.

[1] Rom. I, 18.

XXII. Nam illud quod adjungit de episcopo Carthaginensi Agrippino, de inclito martyre Cypriano, de septuaginta præcessoribus Cypriani[1]; quia hoc fecerunt, et fieri præceperunt : o quam detestandus est error hominum, qui clarorum virorum quædam non recte facta laudabiliter se imitari putant, a quorum virtutibus alieni sunt. Sic enim et nonnulli Petro apostolo comparari se volunt, si Christum negaverint : si vero etiam gentes judaïzare coëgerint, vocitari germani ejus affectant. Hæc in illo tanto viro reprehensibilia fuerunt : sed tanta eminuit apostolica gratia, ut continuo delerentur; nec ei, non dico præferri, sed saltem possit æquari, aut de proximo comparari, quisquis nostrorum temporum Christianus, aut etiam episcopus nec Christum negaverit, nec gentes judaïzare compulerit. Sic et in martyre gloriosissimo Cypriano : si apud hæreticos vel schismaticos datum Christi baptismum nolebat agnoscere, dum eos nimium detestaretur, quos a catholica unitate, quam multum dilexit, separatos dolebat; tanta ejus merita usque ad triumphum martyrii consecuta sunt, ut et charitatis qua excellebat, luce illa obrumbatio fugaretur, et ut sarmentum fructuosum fieret fructuosius, si quid habebat purgandum, si nulla re alia, certe passionis falce ultima tolleretur. Nec nos quia baptismi veritatem etiam in hæreticorum iniquitate agnoscimus potius quam negamus, ideo meliores Cypriano sumus : sicut nec Petro, quia gentes judaïzare non cogimus. Hoc de Agrippino aliisque episcopis, qui illa concilia fecisse perhibentur, responderim, qui sic diversa senserunt, ut cum eis, contra quos de hac quæstione sentiebant, in unitate persisterent, ubi charitas coo-

[1] Loquitur de concilio episcoporum Africæ et Numidiæ sub Agrippino, cujus meminit sæpe Cyprianus in Epist. ad Quintum, ad Jubaianum, ad Januarium. Vide supra lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, cap. 12.

perit multitudinem peccatorum. Sic namque ambulantibus in Ecclesiæ veritate, in quam pervenerant, potuit Deus, sicut Apostolus dicit [1], id illis revelare quod aliter sapiebant. Nova enim tunc quæstio fuit, quemadmodum suscipiendi essent hæretici, quæ nonnullos fratres hæreticam perniciem vehementer merito detestantes, ipsa novitate turbavit, ut crederent hoc etiam in eis esse improbandum, quod malo suo tenebant bonum. Ego autem ut quod de hac re sentio breviter dicam, rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis.

XXIII. Sed volo mihi solvat iste quæstionem : quandoquidem cum Romanæ ecclesiæ per ordinem commemoraret episcopos, inter eos commemoravit et Stephanum quos episcopatum illibatum gessisse confessus est. Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum episcoporum et ipsius Cypriani litteræ ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit. Quid hic dicturi sunt? Excutiant ingenia sua quantum possunt, et utrum valeant respondere considerent. Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diversa sentiebant : duo erant eminentissimarum ecclesiarum, Romanæ scilicet et Carthaginiensis, episcopi, Stephanus et Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti : quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, et hoc facientibus graviter succensebat. Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia catholica existimabat. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, utri-

[1] Philip. III, 15.

que cum eis in unitate consistentes. Si ergo verum est quod isti dicunt, et unde causam suæ separationis asserere, vel excusare conantur, in una communione sacramentorum mali maculant bonos, et ideo corporali disjunctione a malorum contagione recedendum est, ne omnes pariter pereant : jam tunc Stephani et Cypriani temporibus periisse Ecclesiam confitendum est, nec aliquam posteris derelictam, ubi Donatus ipse spiritaliter nasceretur. Quod si dicere nefarium judicant, quia revera nefarium est; sicut mansit Ecclesia ex illis temporibus usque ad tempora Cæciliani et Majorini sive Donati, nec eam maculando perdere potuerunt quicumque in eam secundum ipsos sine baptismo admissi sunt, pleni omnibus peccatis et criminibus suis, nec ulla facta est a Cypriano, et eis qui pariter de baptismo sapiebant, ab illorum communione divisio; quoniam non se arbitrabantur in unitate et communione sacramentorum Christi, alienis malis posse maculari : sic potuit et deinceps Ecclesia permanere, quam toto, sicut de illa prædictum est, terrarum orbe crescentem nullo modo poterant quorumlibet traditorum ac facinorosorum aliena crimina maculare; sicut in una area usque ad tempus ventilationis maculari paleis frumenta non possunt, sicut intra una retia usque ad tempus littoris mali pisces bonos simul natando non perdunt.

XXIV. Nulla igitur ratio fuit, sed maximus furor, quo isti velut malorum communionem caventes, se ab unitate Christi quæ toto orbe diffunditur, separarunt. Nisi forte a criminibus crimina mirabili arte discernunt, non de Scripturis, sed de cordibus suis distinctionum regulas proferentes, atque dicentes, in unitate communionis sacramentorum alia crimina aliena sine contaminatione tolerari, traditionis autem crimine omnes, qui cum talibus

sacramenta communicaverint, detineri. Sed hinc diutius disputare superfluum est, præsertim quia et hoc rarissime audent dicere, ipsi quoque verecundantes et sentientes vana se loqui, et cum ea dicunt, nullo divino testimonio fulcire nituntur. Magis enim solent in ore habere, quando peccatis aliorum alios criminantur, ad excusandum nefas separationis suæ, « Videbas furem, et concurrebas cum » eo[1] : » et, « Ne communicaveris peccatis alienis[2] : » et, « Recedite, exite inde, et immundum ne tetigeritis[3] : » et, « Qui tetigerit pollutum, pollutus est[4] : » et, « Mo- » dicum fermentum totam massam corrumpit[5] : » et alia hujusmodi, quibus non traditionis crimen ab aliis criminibus aliqua proprietate discernitur, sed omnis peccati consociatio prohibetur. Quæ tamen divina testimonia, vel præcepta, si eo modo, quo isti, intelligeret Cyprianus, profecto se ab Stephano separaret, nec cum illo in catholicæ unitatis communione persisteret. Ille quippe secundum sententiam, quam de baptismo isti tenendam putant, hæreticos et schismaticos sicut opinantur, baptismum non habentes, admittendo in Ecclesiam communicabat peccatis alienis : quia videlicet peccata eorum, qui baptismo vero abluti non erant, in eis utique permanebant. Debuit ergo Cyprianus ab hujus communione discedere, ne cum fure concurreret, ne peccatis communicaret alienis, ne contagione inquinaretur immundi, ne pollutus fieret tangendo pollutum, ne fermento corrumperetur aliorum. Hoc ergo quoniam non fecit, sed cum eis in unitate permansit, tota ipsius unitatis tunc massa corrupta est, nec perseveravit Ecclesia, quæ postea sanctos istorum Majorinum pareret ac Donatum. Hoc quia dicere nullo modo audent; restat ut fateantur bonos cum malis in sacramentorum Christianorum communione

[1] Psal. XLIX, 18. — [2] 1 Tim. V, 22. — [3] Isaï. LII, 11. — [4] Levit. XXII, 5. — [5] 1 Cor. V, 6.

sine ulla sua labe mansisse, et usque ad tempus Cæciliani perseverasse Ecclesiam Christi, non sine ullis hominibus malis, tanquam in horreo jam reconditam, sed adhuc commixta palea tanquam in area constitutam. Sic ergo et deinceps potuit permanere, sicut et permanet, donec ultimo judicii die ventilata mundetur.

XXV. Quid igitur sibi vult tantus furor separationis istorum ab unitate corporis Christi, quæ, sicut prophetatum legitur, implerique jam cernitur, toto orbe terrarum atque in omnibus gentibus dilatatur. Hic certe, sicut scriptum est : « Filius malus ipse se justum dicit, exitum » autem suum non abluit[1] : » hoc est, non excusat, non diluit, non defendit quod furore schismatico in hæreticam pestem de domo Dei exire non timuit : quia si vere justus esset, sicut apostolus Paulus cum fratribus falsis, de quibus in suis Epistolis ingemit, et sicut Cyprianus cum eis, quos sine baptismo suis peccatis præteritis plenos æstimabat, et admitti ad Ecclesiam ab Stephano sciebat ; ita in Ecclesia Christi, cum eis quos injustos vel noverat, vel putabat sine ulla sui commaculatione persisteret, nec bonos propter malos desereret, sed malos propter bonos potius toleraret, tanquam granum cum palea pondere charitatis trituram ferens, non tanquam levissimus pulvis ante ventilationem flatibus cedens. Eo quippe modo etiam cum iniquis, quos necesse est usque ad littus retia ista contineant in unitate catholica perseverans, non tamen cum fure concurreret, nec peccatis communicaret alienis, nec cujusquam immunditiæ contrectatione macularetur, nec pollueretur tangendo pollutum, nec cujusquam fermento corrumperetur. Hæc enim fiunt consensione peccatorum, qua per fœminam serpens hominem primum etiam in paradisi felicitate decepit; non communione sa-

[1] Prov. xxiv, juxta lxx.

cramentorum, in qua condiscipulos Judas mundos immundus contaminare non potuit. A malis autem, cum quibus sacramenta Dei communicant, etiam nunc in area, nondum in horreo, jam tamen boni discedunt, et separantur morum dissimilitudine, non corporum segregatione, aliter vivendo, non ad alia conventicula veniendo : sic nec cum malis unum fiunt, nec ab Ecclesiæ unitate discedunt.

XXVI. Quid ergo nobis nescio quorum traditorum crimen exaggerant, quos tamen nec ipsos unquam convincere potuerunt? Sed si eos contra istorum calumnias defendamus, quorumdam hominum causam videbimur agere, non Ecclesiæ. Prorsus quicumque et ubicumque traditores fuerunt, et non tantum traditorum peccatum, sed ipsorum etiam qui tradere compellebant, et omnium omnino facinorosorum, flagitiosorum, sacrilegorum, admittebat Stephanus in Ecclesiam secundum istos : quia si baptismum non habebant, omnia peccata quæcumque gravia et horrenda commiserant, in eis erant, et reos illos sine ulla remissione retinebant. Tales admittebat Stephanus, cum talibus erat in unitate catholica Cyprianus; nec tamen periit, sed perseveravit Ecclesia. Non igitur quemquam in ejus unitate maculant aliena peccata. « Frustra filius malus a familia patris exire properavit, » frustra se justum dicit, exitum autem suum non ab» luit[1]. » An forte dicturi sunt, eos quos Stephanus admittebat, ipsius unitatis participatione mundatos, quoniam charitas cooperit multitudinem peccatorum[2]? Utinam dicant! hoc enim et nos dicimus, quando eos ad unitatem vel urgemus ut redeant, vel monemus. Hoc autem pacto jam etiam nulla inter nos baptismi quæstio remanebit. Si enim apud hæreticos baptizati, cum ad

[1] Prov. xxiv, juxta lxx. — [2] 1 Petr. iv, 8.

Ecclesiam veniunt, unitatis ipsius charitate mundantur, profecto sine causa rebaptizantur.

XXVII. Vides itaque in hoc sermone, cui me respondere voluisti, quam multa dixerit ille pro nobis. Quid ergo jam opus est, ut episcoporum Romanæ ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, et presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, et Sylvester, traditionis codicum divinorum, et thurificationis ab eo crimine arguuntur: sed numquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos et sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? Si est ulla humanitas in rebus humanis, puto nos justius posse reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ulla testificatione demonstrant, nocentes potius quam innocentes crediderimus. Quia si forte se aliter veritas habet, ipsi certe humanitati debitum redditur, cum homo de homine nihil mali temere suspicatur, nec cuiquam criminanti facile credit, quando sine teste ac sine ullo documento crimen objiciens, maledicus potius conviciator, quam veridicus accusator extiterit.

XXVIII. Huc accedit, quia Melchiade tunc episcopo Romanæ ecclesiæ præsidente, ex præcepto Constantini Imperatoris, ad quem totam illam causam accusatores episcopi Carthaginensis Ecclesiæ Cæciliani per Anulinum proconsulem detulerunt, idem Cæcilianus innocens pronuntiatus est. De quo judicio cum majores istorum importunissima pervicacia memorato Imperatori quererentur, quod non plene nec recte fuerit examinatum atque depromptum, nihil de Melchiadis traditione vel thurifica-

tione dixerunt. Ad cujus audientiam nec venire utique debuerunt, hoc potius ante suggerentes Imperatori, aut ut suggereretur instantes, quod apud traditorem codicum divinorum et idolorum sacrificiis inquinatum causam suam agere non deberent. Cum hoc ergo nec ante suggesserint, nec postea quam contra eos pro Cæciliano judicatum est, saltem victi et irati objiciendum putarint, quid nunc inanes tam sero connectunt calumnias, quasi et innocentia Cæciliani, Melchiadis judicis decoloratione fuscetur, et ipsa Romana ecclesia, ubi nec damnare quemquam suo qualicumque judicio potuerunt, nec aliquem suorum velut in locum subrogare damnati, contra quam paucissimis Afris partis suæ primo interventores [1] adventitios furtim longeque mittebant, quos istum nominatim commemorare non puduit, donec deceptæ plebeculæ quasi proprios episcopos ordinarent? Nempe episcopum Abtungensem Felicem post Cæciliani [2] purgationem apud Imperatorem accusaverunt, quod ipse esset manifestissimus traditor, et ideo Cæcilianus episcopus esse non posset, quod ab illo traditore fuerit ordinatus. Tunc Constantinus nec huic eorum accusationi negavit locum, quamvis eos in Cæciliani fictis criminibus calumniosos fuisset expertus; et ideo præcepit, ut causa Felicis discuteretur. In Africa discussa est a proconsule Æliano. Felix quoque innocens declaratus est. Extant gesta proconsularia : qui voluerit, sumat et legat. Hoc autem non solum ad innocentiæ Cæciliani demonstrandæ cumulum pertinet, ipsiusque Felicis evidentissimam purgationem, atque illorum calumnias declarandas, qui eum fontem omnium malorum in concilio suo dixerant; ve-

[1] Interventores sive intercessores dicebantur, qui Ecclesiam administrabant sede vacante. Confer Augustini epistolam 44. n. 8. et Concilium Carthag. 5. can. 8. — [2] Vide Retract. cap. 34.

rum etiam ad cogitandam Melchiadis ab eorum criminationibus purissimam vitam. Nisi forte quisquam tam sit insipiens, ut credat eos, cum Felici non pepercerint, a quo Cæcilianus fuerat ordinatus, Melchiadi parcere potuisse, a quo fuerat absolutus, si illius episcopi vitam, quamvis nullum vulnus conscientiæ peremisset, saltem qualiscumque fama culpasset. An vero quod de foro Abtungensium fictum fuerat, ab istis accusaretur; et quod in Capitolio Romanorum factum fuerat taceretur.

XXIX. De Mensurio autem quid respondeam, cum ejus tempore usque ad obitus diem plebs unitatis nulla conscissa est; ipsæque litteræ Secundi Tigisitani, quibus reprehensus asseritur, eos ad se invicem pacifice scripsisse confirmant, atque in collegii societate mansisse? Jam vero quod etiam de Cirtensi ecclesia dicere voluit, et episcopos ibi catholicos maledictis insectatus est quibus voluit; quid aliud egit, nisi ut vituperando sanctos etiam nostrorum temporum viros, nobisque optime cognitos, satis ostenderet, quid etiam de ignotis, quibus similiter maledicit, sentire debeamus? Proinde si Profuturus ante paucissimos annos defunctus, et Fortunatus qui in corpore adhuc est, atque illi successit episcopo, quo modo Manichæi fuerunt, sic fuerunt et illi traditores, quos longe a nostris temporibus ignotissimos accusare non cessant, etiam illorum nobis pura ab istorum probris vita notissima est.

XXX. Non sane parva est parumque gloriosa consolatio cujuscumque nostrûm, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminamur: ejus tamen defensio non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus appetunt. Prorsus qualescumque fuerint Marcellinus, Marcellus, Sylvester, Melchiades, Mensurius, Cæcilianus, atque alii quibus objiciunt

pro sua dissensione quod volunt, nihil præjudicat Ecclesiæ catholicæ toto terrarum orbe diffusæ : nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur. Si boni fuerunt, in areæ catholicæ tritura tanquam grana mundati sunt : si mali fuerunt, in areæ catholicæ tritura tanquam stipulæ comminuti sunt. Intra istam aream boni et mali esse possunt, extra eam boni esse non possunt. Quisquis ab hac unitate vento superbiæ tanquam sola palea separatur, areæ Dominicæ propter commixtam paleam quid calumniatur ?

XXXI. Nos quoque dicimus, nec tantum dicimus, verum etiam litterarum monimentis ecclesiasticis et publicis comprobamus, Secundum Tigisitanum, cujus congregato concilio Cæcilianum dicunt esse damnatum, confessis traditoribus, ne schisma fieret, pacem dedisse, cum et eidem ipsi a Purpurio Limatensi crimen traditionis fuisset objectum. Dicimus Victorem Rusiccadiensem, Donatum Calamensem, Donatum Masculitanum, Marinum ab aquis Tibilitanis, Sylvanum Cirtensem fuisse traditores, eosdemque quasi traditorum severissimos damnatores. Hoc probamus et ecclesiasticis, et municipalibus, et judicialibus gestis. Sed nec ideo traditores sunt omnes in parte Donati, quia in ea isti fuerunt, nec ideo est innocens pars Donati, si isti innocentes a traditionis iniquitate monstrentur. Melius enim audimus sanctam Scripturam, quam vel cuiquam calumniamur de peccatis alienis, vel cujusquam similem calumniam formidamus. « Anima enim quæ peccat, ipsa morietur[1]. » Et, « Unusquisque proprium onus portabit[2]. » Et, « Qui » manducat et bibit indigne, non alteri, sed sibi judicium » manducat et bibit[3]. » Et sinuntur utraque crescere usque ad messem, ne cum ante tempus colliguntur zizania,

[1] Ezech. xviii, 4. — [2] Galat. vi, 5. — [3] 1 Cor. xi, 29.

eradicetur simul et triticum [1] : et commixti optimis pascuis hœdi agnique pascuntur, donec a pastore, qui errare non potest, segregentur : et ex omni genere piscium retia complentur unitatis, donec ad judicium littoris perducantur. Nisi quod isti sua perversa falsaque sententia sibi præjudicant, qui propter aliena peccata juste se dicunt ab orbis christiani communione separatos : per hanc enim absurdam insanamque opinionem ipsi faciunt, ut eis quorumdam suorum peccata omnibus imputentur. Quod si justum arbitrantur, rei sunt omnes cujuslibet apud se in uno homine inventi manifestissimi criminis : si autem hoc, sicut injustum est, injustum esse cognoscunt, rei sunt omnes iniquissimæ separationis.

XXXII. Jam vero quoniam in hoc sermone de unico magis baptismo quæstio est, ut unde cœpta est nostra disputatio concludatur, sicut in ipsa unitate Dominicæ areæ, nec propter bonos laudandi sunt mali, nec propter malos deserendi sunt boni : sic in uno homine nec propter illud quod in eo integrum est, ejus est accipienda perversitas, nec propter illud quod in eo perversum est, negari debet ejus integritas : quia et in Judæorum iniquitate detinetur veritas resurrectionis mortuorum ; et in gentilium iniquitate detinetur veritas unius Dei, qui condidit mundum ; et in eorum iniquitate, qui cum Christo quia non colligunt, spargunt, detinetur veritas qua in ejus nomine pellunt spiritum immundum ; et in templorum sacrilegorum iniquitate inventa est veritas, qua colebant ignotum Deum ; et in dæmonum iniquitate inventa est veritas, qua confessi sunt Christum. Sic et in hæreticorum iniquitate inventa veritas non neganda est, qua detinetur baptismi sacramentum.

[1] Matth. XIII, 29.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

BREVICULUS[1] COLLATIONIS

CUM DONATISTIS[2].

COLLATIO PRIMI DIEI.

I. Cum Catholici[3] episcopi et partis Donati, jussu Imperatoris, disputando inter se gestis apud Tribunum et Notarium Marcellinum Cognitorem habitis contulissent, multum prolixa eorumdem gestorum est facta conscriptio, quamvis posset totum multo brevius agi. Sed qui causam bonam non se habere sciebant, id egerunt primum quantum potuerunt, ut ne ipsa Collatio fieret, et ut prorsus causa ipsa non ageretur. Sed quia hoc obtinere minime potuerunt, id effecerunt multiplicitate gestorum, ut quod actum est, non facile legeretur. Unde visum est isto breviario cuncta complecti, ut ad signa numerorum, quæ et in isto breviculo, et in ipsis gestis annotantur, sine difficultate quisque inveniat quod voluerit.

II. Ingressis itaque utrisque partibus, primo loco recitatum est rescriptum Imperatoris, quo jussit Collatio-

[1] Scriptus sub finem anni 411. — [2] Vide Retract. lib. II, cap. 39. — [3] Vide D. Guillon, tom. XXII, p. 287-289.

nem inter memoratos episcopos fieri, ut superstitionem manifesta ratio confutaret.

III. Secundo loco recitatum est edictum ipsius Cognitoris, quod per provinciam[1] misit, ut convenirentur utriusque partis episcopi, et intra diem Kalendarum Juniarum conferendi causa congregarentur Carthagine. In eo edicto basilicas sine jussione Imperatoris reddidit Donatistis, qui se pollicerentur esse venturos, ut eo modo eos ad conferendum etiam beneficiis invitaret. In eodem etiam edicto obtulit eis, ut alium quem vellent cum illo judicem constituerent; juravitque se hoc judicaturum, quod veritas suasisset: et cætera quæ ad exhortationem congregationis illorum eodem continentur edicto.

IV. Tertio loco recitatum est alterum Cognitoris edictum, quod proposuit jam præsentibus apud Carthaginem utriusque partis episcopis, qui locus et qui modus Collationis futurus esset, supradicto die itidem commemorato et constituto: et admonuit ut ei pars utraque rescriberet, utrum placerent quæ comprehendit edicto.

V. Quarto loco cum partis Donati episcopi exigerent proponi sibi ab adversariis qua causa fuissent congregati: Cognitor distulit, ut ex ordine prius omnia recitarentur, quæ ante diem Collationis acta fuerant. Et recitata est notaria Donatistarum, in qua dixerunt, non sibi placere quod in edicto suo posuit, ut hi soli ex episcopis convenirent ad Collationis locum, quos ad ipsam causam peragendam cæteri delegissent, qui omnes triginta sex complebantur, decem et octo hinc, et decem et octo inde; id est, septem qui inter se disputarent, et alii septem qui concilio si opus esset adhiberentur, et alii quaterni qui gestis custodiendis et conscribendis præessent: sed petiverunt se omnes potius, qui venerant, adesse de-

[1] *Forte* per provincias.

bere ; ut eorum numerus appareret, dicentes quod eos adversarii paucos esse mentiti sint. Ibi dixerunt ita se omnes venisse usque ad gravissimos senes, ut hi soli deessent, quos adversa valetudo corporis impedisset : et cætera quæ ipsa notaria continentur.

VI. Quinto loco recitatæ sunt litteræ[1] Catholicorum, quas rescripserunt Cognitori, sicut edicto commonuerat, insinuantes consentire se ad omnia, quæ illo edicto fuerant ordinata. In eisdem litteris etiam se obstrinxerunt, et polliciti sunt, quod si in parte Donati veritas eis demonstraretur Ecclesiæ, non se illic episcopalem honorem quæsituros, sed consilium eorum secuturos pro salute christiana : si autem in sua communione potius veritas ostenderetur Ecclesiæ, honores episcopales eis non se negaturos : et hoc a se fieri bono pacis, ut intelligerent hi quibus hoc præstaretur, quod in eis Catholici non christianam consecrationem, sed humanum detestarentur errorem. Quod si plebes duos in una Ecclesia episcopos ferre non possent, utriusque de medio recedentibus, singuli constituerentur episcopi, ab eis episcopis ordinandi, qui in suis plebibus singuli invenirentur. In eisdem litteris commemorata est etiam causa Maximianistarum, ex quibus a se damnatis propter pacem partis Donati quosdam in honoribus integris susceperunt, et ab eis datum in sacrilego schismate baptismum non rescinderunt : et cætera quæ in memoratis litteris continentur.

VII. Sexto loco recitatum est etiam edictum ipsius Cognitoris, quod proposuerat cum supradicta notaria Donatistarum, et supradictis litteris Catholicorum insinuans populo, quæ illi pars utraque rescripserit.

VIII. Septimo loco recitatæ sunt[2] litteræ Catholicorum ad Cognitorem datæ, quibus Donatistarum notariæ res-

[1] Epistola 128, inter Augustinianas. — [2] Ibid. 129.

ponderunt, concedentes eis quod petierant, ut universi qui venerant præsentes essent in eo loco ubi erat futura Collatio : cum tamen illic ex Catholicis episcopis illi soli adessent, quos edicto suo Cognitor definierat; ut si aliquis tumultus existeret, quod Catholici valde metuebant, non illis imputaretur qui paucissimi adessent, sed eis potius qui multitudinem suam præsentem esse voluissent. In eisdem litteris etiam tota ipsa causa comprehensa est, ut ostenderetur Ecclesia catholica non esse pars Donati, sed illa potius quæ per totum mundum fructificaret et cresceret, incipiens ab Jerusalem secundum sacram Scripturam[1] : et quia nihil ei præjudicarent quicumque in ea mali fuissent, divino in fine judicio separandi : et quia nec in ipsum Cæcilianum majores eorum aliquid probare potuerunt, qui judiciis Ecclesiasticis[2], et maxime[3] Imperatoris apud quem ab eis fuerat accusatus, innocens inventus et pronuntiatus est. Et quia de jussionibus Imperatorum quæ pro Catholica constituuntur, solent facere invidiam ; commemoratum est etiam de sancta Scriptura, reges decrevisse in regno suo gravissimas pœnas eis, qui blasphemassent Deum[4]. Commemorata est etiam causa Maximianistarum, quos et judiciis ipsi publicis insectati sunt, et ex quibus damnatis quosdam in honoribus integris susceperunt, nec ab eis in schismate datum baptismum destruxerunt; quod eos quibus dilationem dederunt Maximiano communicantibus, dixerunt illius contagio non fuisse pollutos : et cætera quæ eisdem litteris continentur. Hæc autem omnia ideo ibi commemorata sunt, ne forte si secum cogitassent Donatistæ, et viderent quam malam causam haberet pars Donati, ad hoc voluissent, omnes qui venerant, ingredi locum Collationis, ut pax atque unitas fieret.

[1] Luc. xxiv, 47. — [2] Romano et Arelatensi. — [3] Constantini. — [4] Dan. iii, 96.

IX. Octavo loco cum Cognitor inquisisset, utrum sicut a Catholicis videbat, ita etiam a parte Donati electi jam essent qui susceptam causam peragerent : responsum est a parte Donati, quod jam esset acta a Catholicis causa, antequam esset confligentium statuta persona : propter illas Catholicorum litteras quæ totam causam breviter continebant. Deinde instare cœperunt, ut prius ageretur de tempore, de mandato, de persona, de causa, tunc ad negotii merita veniretur. Et cum Cognitor interlocutus esset, nihil de causa esse mutilatum ; et rursus inquisisset, utrum de constituendo numero disputantium edicto ejus paritum fuerit, quia per hos oporteret agi omnia quæ agenda essent : cœperunt Donatistæ agere de tempore, quoniam causa ipsa agi non posset, quia dies præterisset. Quarto decimo enim Kalendarum Juniarum die completi fuerant quatuor menses ex die edicti Cognitoris quod ad provinciam[1] miserat, sicut interrogatum respondit Officium. Et quoniam intra quatuor menses agi causam præceperat[2] Imperator, ideo diem jam transisse dicebant, et petebant ut tanquam in contumaces Catholicos sententia proferretur : quasi Catholici absentes essent, aut Donatistæ aliquando ad agendam causam illis absentibus intravissent, aut admoniti Catholici vel evocati defuissent. Ista ergo calumniose et tergiversatorie, quæ nec in foro jure agerentur, dicebant, nolentes ut aliquid ageretur. Sed ad hoc eis respondit ipse Cognitor, quod in Kalendas Junias pars utraque consenserit, quamvis etiamsi quælibet pars adhuc usque non occurrisset, duos alios menses superesse potuisse, quos Imperator adjunxit trinis edictis fuisse servandos.

X. Nono loco, quoniam Cognitor superius dixerat, de tempore præscribere ut causa non ageretur, non episco-

[1] *Forte* ad provincias. — [2] Honorius.

palis, sed forensis potius esse objectionis, invenit occasionem pars Donati qua diceret, nihil ergo secum agi publico jure debere, sed tantum divinis Scripturis. Unde cum quæsisset Cognitor, quid utrique parti de hac re placeret : responsum est a Catholicis, ut juberet mandatum catholici concilii recitari, ubi electis disputatoribus agendi modus injunctus est ; ibi posse melius apparere, quod non forensibus tergiversationibus, sed magis divinis testimoniis ageretur. Et aliquandiu conflictio producta est, cum Catholici instarent recitari mandatum, illi autem recusarent. Sed postea remotis omnibus moratoriis contentionibus, recitari mandatum Cognitor jussit.

XI. Decimo loco mandatum catholici concilii recitatum est, quo electis ad disputandum episcopis, catholicæ Ecclesiæ est injuncta defensio adversus criminationes Donatistarum. Hoc mandato iterum, sicut in superioribus litteris, breviter tota causa comprehensa est, prius ut causa Ecclesiæ quæ toto, sicut promissa est, terrarum orbe diffunditur, a causa Cæciliani qualiscumque illa fuisset, sic distingueretur, ut ostenderetur malos in Ecclesia, qui vel ignoranter vel pro unitate pacis tolerantur a bonis, non eis ad mala consentientibus obesse non posse, similitudinibus Evangelicis et exemplo Prophetarum, et ipsius Domini Christi et Apostolorum, et episcoporum, et judicio ipsorum etiam Donatistarum propter Maximianistas : deinde ipsius Cæciliani causa non mala fuisse certis documentis demonstraretur, quibus et ipse et ordinator ejus Felix Aptuginensis, quem in concilio suo criminosius accusaverunt, probaretur esse purgatus. Et cætera quæ mandato eodem continentur, sive de baptismo, sive de persecutione quæ solet Catholicis objicere pars Donati. Nam commemorata ibi est iterum, sicut in superioribus litteris, causa Maximianistarum,

qua demonstrarentur Donatistæ suo judicio cuncta diluisse, quæ objicere Catholicis vel de baptismo, vel de persecutione, vel de communionis contagione consueverunt. Adjectum est etiam, ut si qua etiam nunc episcopis Catholicis morarum interponendarum gratia voluissent crimina objicere, propter finiendam quæ prius urgeret causam, audienda et discutienda postea differrentur. Hoc autem, id est, ut tota causa et superioribus litteris et isto mandato comprehenderetur, eo consilio a Catholicis factum est, ne forte, sicut fama jactabat, aliquas moratorias præscriptiones Donatistæ ingerere conarentur; et forsitan non permissi ab ipsa Collatione resilirent; acta licet breviter Ecclesiæ catholicæ causa, in conscriptione gestorum legenda remaneret, quam timuisse intelligerentur, et ideo noluisse conferre.

XII. Undecimo loco cum Cognitor interlocutus esset, in mandato Catholicorum magis divina testimonia quam forensia vincula esse prolata, et jussisset etiam subscriptiones omnium recitari, conflictus exortus est, et aliquandiu productus est, cum Donatistæ exigerent eorum præsentiam, qui mandato subscripserant; objicientes, quod eis suppositis qui episcopi non fuerint, potuissent fallere Cognitorem, quo præsente subscripsisse legebantur, et quod antiquis cathedris alios episcopos addiderint ut numerus augeretur. Catholici autem, ne sui præsentarentur, resistebant; verentes ne illi tumultum aliquem præpararent, per quem prorsus abrumperetur ipsa Collatio, quam fieri Donatistæ nolle omnino videbantur, maxime quando de tempore, quasi jam causa lapsa esset et audiri non posset, præscribere voluerunt. Quem tumultum ideo putabantur nondum fecisse, quia fieret, videbant non posse imputari Catholicis, qui paucissimi aderant; sed sibi potius, quorum præsens fuerat multitudo. Sed vo-

luntati eorum cedentibus Catholicis, ut omnes qui subscripserant ingrederentur; apparuit postea hoc ideo voluisse Donatistas, quia existimabant non convenisse Carthaginem tot Catholicos, quot subscriptiones ostendebantur. Hoc autem propterea credidisse putati sunt, quia Catholici non ea pompa qua illi Carthaginem fuerant ingressi, et ob hoc eos paucos venisse suspicabantur.

XIII. Duodecimo loco ingressis episcopis Catholicis, quorum præsentia petebatur, omnes singillatim recitati, et in medium procedentes, a Donatistis recogniti sunt, vel vicinis suis, vel cum quibus in uno loco erant: et quicumque recitabantur Catholici episcopi ex his locis, ubi non erat pars Donati, satis et ipsis Donatistis notum erat se ibi non habere collegas vel communionem suam, et esse illic Catholicos, vel quos noverant, vel de quibus audierant in suæ vicinitate regionis. Ita factum est, ut omnino nullius Catholici recitaretur subscriptio, de cujus præsentia dubitarent. Sane cum ventum esset ad nomen Victoriani Mustitani catholici episcopi, et in medium procedens respondisset se habere contrarios duos, Felicianum in civitate Mustitana, et Donatum in loco Turrensi; exegerunt Catholici, ut actis constaret Felicianum in communione esse Primiani: ipsum enim inter alios cum Maximiano damnaverant, damnatorem Primiani et ordinatorem ipsius Maximiani, quem postea in integro honore receperant, nec destruxerant baptismum in eis quos in Maximiani schismate baptizaverat. Sed ad interrogationem Catholicorum respondere noluerunt, dicentes non debere hoc ab eis exigi. Et cum iterum pressius exigeretur, dixerunt jam internæ actionis hoc esse: et secundum eos interlocutus est Cognitor, ut hoc quod cœptum fuerat ageretur, et illud si opus esset postea quæreretur.

In ipsa autem diœcesi Mustitana apparuit et ipsos episcopum alium antiquæ cathedræ addidisse, quod inani invidia Catholicis objecerant : hoc et in aliis locis eos fecisse, postea declaratum est.

XIV. Tertio-decimo loco, recensitis et recognitis præsentibus Catholicis qui subscripserant, Cognitor obtulit petens, ut considentes potius agerent quam stantes. Donatistæ tamen recusaverunt, gratias tamen agentes quod talibus senibus obtulisset consessum, et in ea recusatione multa dicentes in laudem suam, et in laudem ipsius Cognitoris; quæ legat qui voluerit in conscriptione gestorum : pertinet enim ad rem, quomodo quem sic laudaverunt, ut dicerent « honorificum, justum, reverentem, benignum, » causam tamen, propter cujus actionem tam multi convenerant, apud eum agi nolebant.

XV. Quarto-decimo loco mandatum etiam Donatistarum prolatum et recitatum est, breviter factum, ut hi quos elegerant, agerent velut adversus traditores et persecutores suos, recitata sunt etiam eorum nomina, cum hoc Catholici fieri petissent, ut constaret utrum apud Carthaginem præsentes subscripserant. Sed Donatistæ multo instantius hoc ut fieret Cognitori extorserunt, ut eorum quoque numerus appareret. quod se magna intentione velle monstrabant. In ea sane recitatione inventi sunt quidam, pro quibus absentibus alii subscripserunt. Inventus est etiam unus, qui cum suo nomine recitato non responderet, dixerunt eum in itinere esse defunctum. Et cum quærerent Catholici, quomodo potuerit apud Carthaginem subscribere, qui fuerat in itinere defunctus, illi diu fluctuaverunt, perturbati, et nescientes quid responderent. Nam primo dixerunt, non de ipso, sed de alio fuisse suggestum. Et cum Catholici putassent de alio, id est, de clerico eos dicere, qui pro mortuo subscribere po-

tuit; quæsitum est, utrum clericus suo nomine, an illius pro mortuo subscripserit. Sed postea responderunt, ipsum quidem subscripsisse præsentem, cum octavo Kalendas Junias mandatum fieret; sed quoniam æger subscripserat, remeantem ad propria in itinere defecisse. Quo audito Catholici petierunt superiora eorum verba recitari, ut ipsa varietas deprehensa claresceret. Quod cum factum fuisset, et appareret, quæsivit Cognitor, utrum saltem sub Dei testificatione firmarent, eum fuisse Carthagini, quando præsentes præsentibus mandaverunt ut subscriberent. Ubi vehementius perturbati responderunt: « Quid si et alius pro eodem apposuit? » Hanc eorum falsitatem deprehensam judicio Dei relinquens, jussit cætera nomina recitari. Quibus recitatis, quæsivit de numero episcoporum partis utriusque. Respondit Officium, nomina Donatistarum episcoporum esse ducenta septuaginta-novem, annumeratis etiam illis, pro quibus absentibus alii subscripserant, computato et illo defuncto. Catholicorum autem omnium præsentium nomina esse constitit ducenta octoginta-sex. Viginti enim non subscripserant, qui tamen suam exhibentes præsentiam et in medium procedentes, nisi quos infirmitas corporis illic apud Carthaginem tenuit, præsentibus gestis se mandare et consentire professi sunt. In loco ergo Collationis, hoc est, in thermis Gargilianis, quia ipse postea locus placuerat, ex his Catholicis qui mandato subscripserant, et qui præsentes gestis mandaverant, hi soli defuerunt qui illic apud Carthaginem incommoda valetudine tenebantur. Ex his autem quorum nomina Donatistarum subscriptio continebat, non solum illi deerant quos apud Carthaginem ægrotare responderant, sed etiam illi pro quibus absentibus, id est, apud Carthaginem non constitutis alii subscripserant. Quoniam itaque se Donatistæ de numerositate

jactabant, excepto eo quod Catholicos plures venisse Carthaginem constitit; dictum est a Catholicis, alios episcopos centum viginti non venisse Carthaginem, quod quidam eorum senectute, quidam infirmitate, quidam diversis necessitatibus [1] impediti. Quod cum audissent Donatistæ, responderunt etiam suos multo plures non venisse Carthaginem, et multas esse apud se cathedras viduatas episcopis : cum in sua notaria quam Cognitori dederant, apertissime dixerint usque adeo se omnes venisse Carthaginem, ut nec gravissimos senes ætas et labor potuerit deterrere, eosque solos non venisse, quos adversa valetudo in suis sedibus vel in itinere tenuisset. Sane propter cathedras, quas episcopis vacuas apud se esse dixerunt, responsum est etiam a Catholicis sexaginta esse, quibus successores episcopi nondum fuerant ordinati. Ac per hoc in istis utriusque partis subscriptionibus, et falsitates in Donatistis constitit fuisse deprehensas, et eorum numerum episcoporum minorem; quandoquidem soli ægroti non venerant Carthaginem, pro quibus tamen in itinere ægrotantibus alii subscripserant, et omnium nomina cum ipsis etiam pro quibus alii subscripserant, ducenta septuaginta-novem subscriptio continebat : neque ullo modo credibile sit, multo plures quam centum viginti, hoc est, tertiam partem omnium eorum in suis sedibus ægrotasse [2] potuisse, et ideo non venisse Carthaginem.

XVI. Quinto-decimo loco egressis omnibus qui jam superfluo præsentes erant, et remanentibus eis quos necessarios utrique delegerant, in perendinum diem Collatio dilata est, utrorumque consensu, quoniam dies præsens jam videbatur emensus.

[1] *Forte* essent impediti. — [2] *Forte* ægrotare.

SECUNDI DIEI COLLATIO.

I. Primo loco, cum die intermisso ad memoratum locum, sicut placuerat et constitutum fuerat, conveniretur, obtulit consessum iterum Cognitor, deprecans ut fieret. Et mox Catholici consederunt : Donatistæ autem recusaverunt. In qua recusatione inter cætera id quoque dixerunt, quod scriptum sibi esset cum talibus non sedere[1]. Ad hoc Catholici, ne moræ fierent, tunc non responderunt, sed opportuniore loco in tertii diei Collatione. Tunc ergo etiam ipse Cognitor stando se cogniturum esse respondit.

II. Secundo loco recitata est notaria, quam pridie dederant, petentes ut sibi mandatum Catholicorum ederetur, quo considerato, possent in diem constitutum instructi adesse, eo quod exceptores cum conscriptione gestorum occurrere non valerent : et responsio Cognitoris in eadem notaria[2], qua jussit fieri quod petebant.

III. Tertio loco cum quæsisset Cognitor, quid etiam de subscriptionibus responderent, id est, utrum eis placeret quod edicto proposuerat, ut prosecutionibus suis quisque subscriberet : et respondissent Catholici, jam se in hoc consensum suum litteris expressisse, illi se multum moveri dixerunt, quod hoc consuetudo non haberet. Et cum Cognitor interrogasset, utrum eis sufficeret[3] quod dati fuerant gestorum conscribendorum ex utraque parte custodes : dilationem petere cœperunt, ut sibi conscripta gesta ederentur, et tunc responderent. Hic ortus est diuturnus conflictus cum eis, cum consensus eorum, quo placuerat ut illo die res ageretur, sæpe recitaretur ex ta-

[1] Psal. xxv, 4. — [2] *Forte* ad eamdem notariam. — [3] *Forte* sufficerent qui.

bulis. Et cum se notas ignorare dicerent, petentes ut prius eis ederentur gesta conscripta, Cognitor jussit, ut quod eorum notarii exceperant perlatis codicibus qui signati custodiebantur, eis recitaretur, ne contra suum consensum venirent. Cumque et ipsi sæpe de gestorum editione causarentur, quod exceptores non occurrissent[1] gesta conscribere : etiam hoc eis responsum est, quod notaria sua ideo se petisse dixerant edi sibi Catholicorum mandatum, ut ad præsentem diem instructi occurrerent, quia exceptores occurrere cum gestorum editione non possent. Ubi non invenientes quid dicerent, voluerunt iterum præscriptionem diei refricare, de qua fuerat eis satis superque responsum, et inde jam fuerat primo die transitum. Sed tunc eis Catholici etiam ad hoc responderunt, quod non solum in edicto Cognitoris Kalendarum Juniarum dies constitutus legeretur, sed etiam ipsi octavo Kalendas Junias suum mandatum conscripsissent, cum jam transisset dies, quo dicebant agi debuisse causam, id est, quarto-decimo Kalendas Junias. Dictum est etiam ipsum Primianum ad Kalendas Junias se pollicitum occurrere. Quæ omnia ideo a Catholicis dicta sunt, quod audierant eos etiam in populo suo de hac re invidiose locutos : et tamen inter hæc omnia illi in petenda dilatione vehementissime perstiterunt. Quod cum vidissent Catholici ad hoc eis diu negari, ut gesta multis verbis onerarentur, petierunt Cognitorem, ut eis quam petebant dilationem concederet. Et concessa est sex dierum dilatio, respondentibus exceptoribus, quando editio gestorum posset occurrere, et illis promittentibus, cum gesta edita fuerint, se suis prosecutionibus subscripturos.

[1] *Forte* potuissent.

COLLATIO TERTII DIEI.

I. Tertio die Collationis, id est, sexto Idus Junias, ingressis partibus, primo loco, utrum edita eis gesta fuerint, Cognitor inquisivit. Respondit Officium se ante diem quam promiserat edidisse, quod ex utriusque partis cautionibus probaretur. Et recitatæ sunt cautiones, quibus constitit Catholicos accepisse gesta octavo Idus Junias hora diei quinta, Donatistas autem eodem die, tertia.

II. Secundo loco cum Cognitor jussisset principale negotium jam proponi, dictum est a Catholicis, olim se agere velle principale negotium, et hoc esse, ut crimina, quæ solent Donatistæ dicere in Ecclesiam toto orbe diffusam, si possent, probarent. Responsum est a Donatistis, ut prius quæreretur qui essent qui agerent, ut moræ fierent de discussione personarum. De qua re cum diu confligeretur, Catholicis recusantibus, et ut remotis superfluarum morarum tergiversationibus ad causam veniretur vehementer instantibus, contra Donatistæ obnixissime contendebant, ut personæ discuterentur, et flagitabant ut exprimerentur qui petissent ab Imperatore istam fieri Collationem. Volebant enim ut constaret Catholicos esse petitores, ut ex forensi jure possent discutere personas petitorum; cum jam in actione prima recitatum fuisset Catholicorum mandatum, ubi se ostendebant non petitores esse, sed defensores adversus crimina, quæ illi eorum communioni objicere solent : cum ipsi prius exegerint, ut Ecclesiæ causa non forensibus formulis, sed magis divinarum Scripturarum testimoniis ageretur; confessique fuerint, lecto Catholicorum mandato, Scripturis sanctis eos Ecclesiæ causam firmare voluisse, seque ex

eadem divinæ Legis auctoritate vicissim acturos esse promiserint. Tunc ergo quasi obliti quid exegerint, et quid etiam ipsi polliciti fuerint, cum de Ecclesiæ criminatione et purgatione Catholici proposuissent agi oportere, cœperunt personas quærere petitorum, ut eas possent ex forensi jure discutere. Contra ergo Catholici resistebant, et propter præscindendas moras, quas eos et præparare audierant, et innectere jam videbant, perseveranter instabant, ut Ecclesiæ causa potius ageretur. In conflictu perventum est, ut Imperatoris præceptum quo Collationem jussisset fieri legeretur, ut eo modo petitorum persona constaret. Videbatur enim et Cognitori, ne quid Donatistis etiam de ipso jure forensi, veluti justa poscentibus negaretur, prius petitorum constituendas esse personas. Præcepto ergo imperiali recitato, Collationem petisse Catholicos declaratum est, eamque esse concessam. Tunc Donatistæ etiam preces quibus ab eis illa Collatio petita est, postulare cœperunt. Hic cum eis ipse Cognitor responderet, in pragmatico rescripto preces inseri non solere, ad id se converterunt, ut mandatum Catholicorum, quo mandaverant peti ab Imperatore Collationem, eosdemque legatos quos ad hoc impetrandum miserant, sibi ederent atque proderent; asserentes discutere se debere quæ mandata sunt, atque ibi invenire posse mandata Catholicorum quæ de illis Imperatori locuti sunt. Hoc cum intelligerent Catholici ad hoc inquiri, ut inveniren tur occasiones quibus prolixi temporis moræ ac dilationes ingererentur, asserebant omnino quod peterent ad causam non pertinere; quandoquidem Collationem ab eis petitam ipse Imperator apertissime ostenderet[1], cui Cognitorem dederat, ut superstitionem manifesta ratio confutaret. Et vehementer urgebantur, ut remotis omnibus morarum

[1] Honorius in præcepto de habenda Collatione.

interpositionibus, et aliarum interponendarum inquisitionibus, id potius ageretur quod ea Collatione agi ab Imperatore præceptum est, quam et petitam ab illo et concessam esse constabat.

III. Inter hæc etiam de catholico nomine, apud quos potius esset, pauca ab utraque parte invicem dicta et objecta sunt, et jussum est principali causæ potius reservari. Et post aliquanta identidem, cum catholici nominis facta mentione dicerent Donatistæ apud se potius esse Catholicam; interlocutus est Cognitor, se interim sine cujusquam præjudicio non posse aliter appellare Catholicos, quam eos appellavit Imperator, a quo Cognitor datus est: illos autem quanto magis se esse Catholicos dicerent, tanto magis jam causam ipsam remotis morarum interpositionibus agere debere, in qua probare possent se potius esse Catholicos. Hic Donatistæ post tantas moras et tot interlocutiones Cognitoris contra eos prolatas, exigentis ut causa potius ageretur, atque testantis de legatorum personis, vel mandato quod eis injunctum est, nec ad causam aliquid pertinere, nec sibi aliquid ut hinc requireret fuisse præceptum: dixerunt ut si in legatis, vel mandato quod eis datum est manifestando, noluissent Catholici obtemperare judicatis, saltem hoc responderent, utrum loco petitorum consisterent: multum mirantibus Catholicis, cur eos Donatistæ dixerunt, in edendo legatorum mandato non parere judicatis; cum potius contra ipsos tam multis interlocutionibus Cognitor pronuntiaverat. Interrogaverunt ergo Catholici, quibus judicatis non paruerint. Et Donatistis ad hoc non respondentibus, interlocutus est Cognitor, ad illud quod de loco petitoris Donatistæ quæsierant, Catholici responderent. Et responderunt se hoc proponere, ut crimina quæ solent Donatistæ communioni eorum objicere vel probentur,

vel diluantur; ut possit Donatistarum separatio vel defendi, vel corrigi. Tunc Cognitor cum responsionem a Donatistis exigeret, responderunt Afros, qui se Catholicos dicerent, alienam causam velle defendere, hoc est, totius orbis Ecclesiam, de qua sibi nihil debere præjudicari, cum inter Afros hoc negotium ventiletur; et expectari potius Ecclesiam transmarinam, ut qui vicerint, ipsi ad eam pertinere videantur, et ipsi habeant catholicum nomen: sed in fine prosecutionis suæ rursus de persona petitoris ut sibi responderetur, postulaverunt. Hic Catholici ad utrumque breviter responderunt; et quia de personis jam primo et secundo judicio quæstio fuerit terminata; et quia Ecclesiæ toto orbe diffusæ, cui testimonium perhibet Scriptura divina, ipsi, non Donatistæ, communicant, unde Catholici merito et sunt et vocantur. Donatistæ autem responderunt, non catholicum nomen ex universitate gentium, sed ex plenitudine sacramentorum institutum: et petiverunt ut probarent Catholici sibi communicare omnes gentes. Quod Catholici cum gratissime acciperent, et peterent ut hoc probare permitterentur; rursus illi de mandato illo, quod legatis injunctum, edi sibi petiverant, quæstionem refricare cœperunt, et a causa Ecclesiæ, quæ jam in medium discutienda pervenerat, iterum resilire, modo mandatum supra dictum petendo, modo de petitoris persona ut constaret instando, modo ut de his ipsis quæ petierant judicaret Cognitor, exigendo; de quibus jam toties fuerat interlocutus, et eos illa frustra petere pronuntiaverat.

IV. Sed Cognitor, quanquam viderentur non recte petere, edi sibi mandatum quod legatis injunctum est; quia, id quod sufficiebat ad causam, Collationem petitam concessamque constabat; non ei tamen videbatur, injuste illos petere ut petitoris persona constaret. Catholici autem vi-

dentes, quod jam sibi fuerat antea nuntiatum, (et hoc eorum intentione satis intelligebant) non ob aliud Donatistas personas quærere petitorum nisi ut liceret eis personarum discussione longissimas temporum et dilationum moras inserere; quoniam vehementer nolebant ut perveniretur ad causam, in qua se nihil habere quod dicerent, sicut res ipsa vel sero postea patefecit, plenissime sciebant: hoc ergo videntes Catholici, noluerunt personam suscipere petitorum, asserentes non se objicere crimina, sed objecta defendere; quæ cum defendissent, et falsa esse demonstrassent, consequenter eos apparere qui sint, et quanta iniquitate se ab unitate diviserint. Hic Donatistæ asserebant, quocumque modo etiam de ipsis criminibus quæ vellent diluere, ultro Catholici cogerent sibi adversarios respondere, petitorum eos habere personam. Sed Catholici respondebant, ad hoc se petisse Collationem, non ubi objicerent diluenda, sed ubi objecta diluerint: quoniam et mandatum Donatistarum adversus traditores et persecutores factum erat; et verba Priamiani, quando prius a Catholicis de Collatione conventus est, crimen eis eum objicere testabantur, ubi dixerat: « Indignum est ut in unum conveniant filii martyrum et progenies traditorum: » et quamvis tunc conferre noluisset, postea tamen in judicio præfectorum se audiri et discuti velle dixerat. Quem eorum de Collatione consensum tenentes Catholici, hoc ut fieret ab Imperatore petiverant.

V. Tunc jussit eos Cognitor objecta a se crimina jam probare, nec de petita Collatione personam petitoris ostendi, si etiam[1], utrique petisse probarentur. Hic Donatistæ identidem petere cœperunt, ut de persona pronuntiaret. Et pronuntiavit Cognitor, dicens, si Collationem pars utraque petivisset, eum esse petitorem, qui crimina objiceret. Et

[1] *Forte* eam.

exegerunt Donatistæ, ut probaretur a Catholicis, utrum Collationem utrique petiverint. Ubi Cognitor cum dixisset : « Hoc Catholici probare debebunt : » ortus est iterum moratorius conflictus de catholico nomine et Donatistarum et Cæcilianistarum. Deinde obtulerunt Catholici gesta habita in judicio præfecturæ, quibus probarent etiam Donatistas Collationem petisse. Quæ cum jussisset Cognitor recitari, rursus illi ad præterita redierunt, et de his ut pronuntiaret Cognitor flagitare cœperunt, de quibus toties pronuntiaverat, id est, de persona et de mandato legatorum, quod sibi ut ederetur toties superfluo postulaverant. Hoc autem agebant, quantum intelligebatur, timentes ne gesta præfectoria legerentur, ubi suam causam quibusdam inconsideratis et temerariis responsionibus vulneraverant. Diu itaque conflictatum est ab eis, et maxime cum ipso Cognitore: cum ipsi peterent edi sibi mandatum legatis injunctum, aut pronuntiaret eos hoc superfluo petivisse : ille autem et pronuntiasse se diceret, et pronuntiaret hoc omnino ad præsens non pertinere judicium, ubi declararetur imperialibus litteris quid petitum esset quidve concessum. Et tandem aliquando ad jussum ejus cœperant gesta præfectoria recitari, Quorum gestorum cum dies et consules fuissent recitati, continuo rursus Donatistæ interruperunt, et eadem illa præterita poscere cœperunt. Sed cum Cognitor interloqueretur, debere gesta recitari, ut de petitoris persona constaret ; illi contra ab initio cœperunt dicere, esse gesta priora, quæ deberent potius recitari. Contra a Catholicis dictum est, ideo illos nolle ut gesta præfectoria legerentur, quod in eis prosecutiones proprias formidarent.

VI. Obtulerunt ergo Donatistæ gesta proconsularia, et vicariæ præfecturæ, ubi Catholici petierant eos actis municipalibus conveniri, ut Collatione utrorumque facta

error de medio tolleretur, longe ante quam ipsam Collationem ab Imperatore petivissent : et his gestis Catholicos volebant ostendere, loco assistere petitorum, quia illic eos dixerant « Hæreticos, multa contra divinas leges humanasque committere. » Contra hoc Catholici dicebant, ideo se etiam tunc flagitasse Collationem, ut contra eorum crimina pro Ecclesia responderent. Itaque petiverunt sæpius, ut si ea gesta recitanda essent, quæ prora esse constaret, illa potius legerentur, ubi Donatistæ primitus causam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum per Anullinum proconsulem accusando miserunt : recitatisque gestis quæ ipsi proferebant, non sunt recitata illa quæ apud præfectos habita jam cœperant recitari. Et cœpit esse conflictus, ut si propterea gesta quæ Donatistæ protulerant, prælata sunt gestis quæ a Catholicis prolata fuerant, quia prora reperta sunt, ut ipsa potius recitarentur ; saltem post ipsorum recitationem recitarentur etiam illa longe priora, ubi eos appareret in hac tota causa quæ agebatur, primitus accusatores extitisse per proconsulem apud Imperatorem. Ista ergo se recitaturos, vehementer Donatistæ obluctabantur, multis et multiplicibus prosecutionibus resistentes, sicut obluctati fuerant et extorserant ne illa præfectoria legerentur. In hac autem obluctatione sæpe repetebant illud jam detritum, et tot interlocutionibus Cognitoris repulsum, de mandatis legatorum sibi edendo. Repetebant etiam quæstionem, quæ fuerat jam ante transacta. Utrum testimonia Legis, an publicis gestis Catholici agere mallent, et docebant, ut si testimonia divinæ Legis eligerent, haberent omnium legum publicarum gestorumque potestatem : si autem publicis legibus et gestis agere potius vellent, omitterent divina documenta. Et tamen si hoc elegerent Catholici, ut publicorum gestorum documentis potius agerent, di-

cebant se Donatistæ nec hoc permissuros, ut ea quæ a Catholicis offerebantur gesta legerentur; eo quod haberent validam temporis præscriptionem, illam scilicet, de qua eis fuerat sufficienter et a Catholicis, et ab ipso Cognitore responsum, quia ipsam causam lapsam et agi jam non posse dicebant, quia dies transierat quo menses quatuor complerentur. Vehementer enim eos timere apparebat, ne gesta legerentur, quibus doceretur a majoribus eorum Cæcilianum apud Imperatorem primitus accusatum, et deinde judiciis et ecclesiasticis et imperialibus absolutum atque purgatum : hoc est, ne ipsa causa omnino, propter quam ventum fuerat, ageretur, ubi se evidentissime superari posse sentiebant. Sic autem nolebant et timebant, ut hoc etiam confiteri cogerentur, dicentes quod sensim, id est, paulatim, inducerentur in causam, et ad causæ interna deducerentur : quod utique optare deberent, si non de inanibus et moratoriis præscriptionibus, sed de ipsius causæ veritate confiderent.

VII. Contra ergo Catholici cum vehementer conarentur, ut ad causam perveniretur, quo eos prorsus nolle pervenire cernebant, respondebant tamen iterum atque iterum eisdem ipsis quæ illi toties jam transacta repetebant. Et quoniam duo erant quæ in medium venerant, unum de editione mandati quod legatis injunctum est, alterum utrum divinis testimoniis, an gestis publicis Catholici agere mallent; de mandati illius editione et Catholici responderunt, non ad eos, neque ad præsentem causam omnino pertinere; et ipse Cognitor, quod sæpius pronuntiaverat, iterum pronuntiavit, legatorum personam et mandatum quod susceperunt omnino se non posse discutere, et ab eo quod sibi injunctum est non debere discedere : quandoquidem satis apparebat imperialibus litteris quibus judex huic causæ fuerat consti-

tutus, Collationem ab Imperatore concessam. De illo autem altero, ubi quærebant quid eligerent Catholici, utrum divina documenta, an gesta publica : sæpius Catholici responderunt, si Donatistæ hominum crimina non objicerent, quæ velut traditoribus objicere consueverunt, sed tantummodo id quæreretur, quæ, vel ubi esset Ecclesia, nihil se acturos publicis gestis, sed Scripturarum divinarum tantummodo testimoniis : si autem in illa hominum accusatione et criminatione persisterent, quia et ipsi ista nisi talibus gestis demonstrare non possent, sine dubio et Catholicos hujusmodi crimina gestis publicis defensuros; aliter enim ista nec accusari poterant, nec defendi. Hæc eis sæpius et a Catholicis et ab ipso Cognitore repetita et inculcata sunt, multis et variis modis multarum prosecutionum illis ad eadem redeuntibus, et eadem repetentibus, ne ageretur causa, ne gesta legerentur quæ jam in manibus esse cernebant. Sed aliquando vicit Cognitor tam longas obstinationes, et jussit recitari quæ a Catholicis data sunt; et cœpit tandem agi causa propter quam tot episcopi partis utriusque convenerant. Quod mirabiliter factum est, ut cum Donatistæ propterea quærerent petitoris personam ne perveniretur ad causam, ipsa inquisitio petitoris subito in medium mitteret causam.

VIII. Tertio ergo loco hæc acta sunt. Lecta est relatio Anulini proconsulis ad Imperatorem Constantinum: quam quærentibus Donatistis unde prolata sit; Catholici responderunt in archivo proconsulis, si dubitarent, esse quærendum. In qua relatione evidentissime continetur, ipsos primitus ad Imperatorem Constantinum per memoratum proconsulem ea quæ Cæciliano crimina objiciebant accusando misisse. Quia perfecta Donatistæ quærere cœperunt, quem sibi Catholici dicerent patrem. Quibus

cum ab eis esset responsum secundum Evangelium, ubi scriptum est : « Ne vobis dicatis patrem in terra, unus est » enim pater vester Deus[1] : » etiam hoc audito nihilominus quærere cœperunt, utrum eis Cæcilianus pater esset, an mater. Cum jam dictum fuisset a Catholicis nec patrem sibi eum esse nec matrem ; sed fratrem, sive bonum, si bonus esset, sive malum, si malus esset, quia et malus propter sacramenta communia frater esset : hinc aliquanto diutius conflixerunt, Donatistis eadem repetentibus, et Catholicis eadem respondentibus. Nam et hoc objecerunt Donatistæ, quomodo diceret Apostolus : « Etsi multos » pædagogos habetis in Christo, sed non multos patres : in » Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui [2]. » Et responsum est a Catholicis, hoc honorificentiæ causa dictum propter evangelicum ministerium quod dispensabat Apostolus. Nam patrem ad fidem salutemque æternam non esse nisi Deum. Neque enim posset contrarium Christo Apostolus loqui, ut cum ille diceret : » Ne vobis dicatis » patrem in terra, unus enim pater vester Deus : » contra Apostolus tanquam resistens verbis Christi partem se diceret eorum, quibus annuntiaverat Evangelium : nisi esset utique distinguendum, quid divinæ gratiæ, quid humanæ honorificentiæ causa diceretur.

IX. Quæsierunt etiam, quis ordinaverit Augustinum, nescio quas, sicut jactabatur, calumnias præparantes. Ubi cum eis intrepide responderet, a Megalio se ordinatum, qui tunc fuerit primas episcoporum in Numidia Ecclesiæ catholicæ ; et urgeret instanter, ut jam proferrent quæ præparaverunt[3], et ibi etiam calumniosi demonstrarentur : illi intentionem in aliud detorserunt, redeuntes ad Cæciliani personam, quam dicebant catholicæ Ecclesiæ non obesse, etiamsi vera ejus crimina mon-

[1] Matth. xxiii, 9. — [2] 1 Cor. iv, 15. — [3] *Forte* præparaverant.

strarentur; et tamen etiam ipsa non posse vera monstrari.

X. Tunc itaque Donatistæ protulerunt litteras, quas ab universo concilio suo se accepisse dicebant, quibus responderetur mandato Catholicorum, quod primo die actionis fuerat allegatum : et die sequenti antequam ad secundam actionem die tertio veniretur, data notoria Donatistæ edi sibi poposcerant, ut instructi possent ad cognitionem venire. Et fortasse propter has litteras diligenter scribendas etiam ipsa secunda actione dilationem petiverunt, quæ illis sex dierum concessa est. Quarto itaque loco hæc acta sunt : lectæ sunt supradictæ litteræ Donatistarum, quibus conati sunt respondere mandato Catholicorum, quod gestis primæ actionis insertum est. Cui mandato non eos potuisse respondere inveniet qui utraque legere et considerare voluerit : primum quia testimonia ex Lege et Prophetis et Psalmis et Apostolicis atque Evangelicis litteris deprompta, quibus ostenditur Ecclesia catholica per totum mundum diffundi, incipiens ab Jerusalem, unde in propinqua et longinqua crescendo etiam in Africam venit, et in alia loca et civitates per quas primitus dilatata est, in quibus multæ Ecclesiæ ad ipsam unicam pertinentes, apostolico labore fundatæ sunt, quibus Donatistas non communicare manifestum est; non solum non pertractare, sed omnino nec attingere voluerunt; nec aliquod testimonium in tam prolixa Epistola sua proferre ausi sunt de Scripturis sanctis, quo assererent Ecclesiam partis Donati esse prædictam et prænuntiatam : sicut tam multa Catholici protulerunt pro Ecclesia cui communicant, quæ incipiens ab Jerusalem toto orbe diffunditur. Has ergo partes testimoniorum tantorum cum omnino non attigissent, sed tanquam in illo mandato Catholicorum, cui respondere videbantur, dicta non fuerint, præterissent : illud ostendere tentaverunt

prolatis multis testimoniis divinarum Scripturarum, quod Ecclesia Dei non cum malorum hominum commixtione futura prædicta sit. Et tamen postea cum ad Evangelicam similitudinem venissent, quam Catholici in mandato suo posuerant de retibus in mare missis, quibus congregari dixit Dominus omnia genera piscium, et bonos a malis in littore, hoc est, in fine sæculi separari[1] : etiam ipsi fassi sunt, in Ecclesia esse permixtos saltem occultos malos. Zizania vero inter triticum non in Ecclesia, sed in ipso mundo permixta dixerunt, quoniam Dominus ait: « Ager est hic mundus[2]. » De area sane, cui paleam Catholici dixerant usque ad tempus ventilationis admixtam, tanquam omnino in Evangelio nihil tale scriptum sit, exponere similitudinem istam nec conati quidem sunt; sed quasi hoc a se ipsis Catholici dixerint, eam tantum modo reprehenderunt, velut ex testimonio Jeremiæ prophetæ, qui ait : « Quid paleis ad triticum[3]? » non attendentes unde hoc ille dixisset. Non enim aiebat de Ecclesia, sed de divinis Prophetarum visionibus et humanis somniis, ne ullo modo compararentur. Illam quoque similitudinem de ovibus et hœdis qui simul pascuntur, et in sæculi fine segregabuntur, quam inter alias Catholici ex Evangelio posuerant, omnino attingere noluerunt[4]. Neque enim poterant illic dicere, etiam hœdos a pastoribus in communibus pascuis ignorari, sicut dixerant inter retia pisces malos in mari a piscatoribus non videri.

XI. Item cum Catholici in mandato suo volentes ostendere toleratos a bonis in Ecclesia malos, nec bonos malorum contagione pollutos, commemorassent exempla Prophetarum et ipsius Domini Christi et Apostolorum, et post hæc etiam bonorum episcoporum, et judicio[5]

[1] Matth. XIII, 47. — [2] Ibid. 38. — [3] Jerem. XXIII, 28. — [4] Matth. XXV, 33. — [5] *Forte* judicium.

ipsorum quoque Donatistarum qui quosdam suorum in Maximiani schismate positos negaverunt Maximiani contagione pollutos : illi in suis litteris ad hæc respondere conati, de Prophetis, et de Domino Christo et Apostolis quodcumque dixerunt : de episcopis autem et Maximianistis siluerunt. In episcopis enim premebantur auctoritate Cypriani, cujus verba ex epistola[1] ejus prolata Catholici in suo mandato posuerunt ; quibus manifestissime ostendebatur, et præcepisse ut pro unitate in Ecclesia mali tolerarentur, nec propter ipsos Ecclesia relinqueretur ; et[2] quosdam collegas suos etiam ipsum, a quorum malis moribus longe abhorrebat, et de quorum factis pessimis non tacebat, in Ecclesia tolerasse. Hujus ergo auctoritate oppressi Donatistæ, cum de Prophetis et Domino Christo et Apostolis aliquid dixissent, ad[3] hoc tamen, non tolerandos in Ecclesia permixtos malos, de episcopis omnino nihil dicere voluerunt. Et tamen etiam de Juda traditore[4], et de his quos Paulus toleravit per invidiam Christum annuntiantes[5], ipse Cyprianus sic intellexit, sic scripsit, quemadmodum ea Catholici in suo mandato posuerunt : quod et Dominus Judam ad exemplum malorum in Ecclesia tolerandorum pertulerit ; et Paulus eos de quibus talia dixit, non extra, sed intra Ecclesiam sustinuerit. De Maximianistis autem quid responderent, cum adhuc homines viverent, de quibus possent apertissime facillimeque convinci ? Proinde ad illud quod in mandato suo Catholici dixerant, eosdem Maximianistas a Donatistis per judicia publica basilicis pulsos, utcumque respondere conati sunt, non se criminaliter accusasse, aut ad communionem suam invitum aliquem coëgisse : « Sed res suas vel suorum civiliter re-

[1] Epist. ad Maxim. — [2] Serm. de Lapsis. — [3] *Forte* ad ostendendum non tolerandos, etc. — [4] Joan. VI. — [5] Philip. I, 15.

petisse : » obliti quod Primianus aliquando dicendum apud Acta mandavit : « Illi auferunt aliena, nos intermittimus ablata. » Ad illa vero quæ de Maximianistis in Catholicorum mandato dicta sunt, quod a se damnatos in integro honore susceperint, quod Maximiani socios ab illo pollutos esse negaverint, quod baptismum ab eis in schismate datum approbare potius quam rescindere atque iterare maluerint, nec leviter respondere tentaverunt : sed illa omnia miro quodam silentio, tanquam dicta non fuerint, transierunt.

XII. De ipso etiam baptismo quod in illo mandato a Catholicis dictum est Apostolum de quibusdam dixisse : « Veritatem in iniquitate detinent, » ut ostenderetur fieri posse, ut non destruenda veritas in destruenda iniquitate teneatur, aut non intellexerunt, aut id quod ipsi intellexerant, ne ab aliis intelligeretur, verbis suis obscurare voluerunt, dicentes, hoc Apostolum de gentilium errore dixisse : quasi ad rem pertineat de quorum errore dixerit, cum tamen ostenderit posse veritatem in iniquitate detineri, ut hæc duo cum in uno homine inventa fuerint, et approbetur veritas et iniquitas corrigatur : sicut Catholica facit, cum agnoscit in Donatistis, et amplectitur sacramenti veritatem, detestatur autem in eis et corrigit hæreticam iniquitatem. Et illud quod a Catholicis in mandato dictum est, non ideo destruendum baptismum Christi, quia eum etiam hæretici tradunt; sicut non ideo negandus est Christus, quia eum etiam dæmones confitentur : similiter aut non intellexerunt, aut obscurare voluerunt, dicentes Catholicos contra martyres locutos, non tamen exprimentes quos martyres dicerent. Dicentes etiam eos dæmoniis velle communicare : quasi hæreticis communicetur, quando eorum anathematizatur iniquitas, quamvis in eorum consecratione inventus

baptismus non destruatur; sicut anathematizatur iniquitas dæmonum, quamvis in eorum confessione auditum nomen Domini non negetur.

XIII. De persecutionibus etiam quas perpeti se queruntur, multa in suis litteris posuerunt : nec tamen respondere ausi sunt ad illud quod in mandato Catholicorum dictum est, quod ipsi primitus apud Constantinum imperatorem accusaverunt Cæcilianum; qui de Imperatorum legibus conqueruntur, invidiam Catholicorum exaggerantes, sive mortes, quas eorum Circumcelliones sibimetipsis inferunt, sive omnia[1] quæ non pro communione Donati, sed pro sceleribus quibus violenter sæviunt, nefarieque vivunt, per leges publicas disciplinasque patiuntur : sicut etiam de Oppido Vagaitano[2] commemorasse ausi sunt; ubi manifestatum est, quanta mala commiserint, et quam minora perpessi sunt.

XIV. Ad illud quoque in Catholicorum mandato, quod dictum est de purgatione et absolutione Cæciliani et Felicis Aptuginensis, de quorum criminibus apud imperitos solebant Catholicis magnam invidiam concitare; cum illic tota causa propter quam venerant, versaretur, nihil omnino respondere in tam prolixis litteris voluerunt : quia et in eo quod dicebant, et divinis testimoniis velut astruebant, non esse malos in Ecclesia tolerandos, sed ab eis recedendum propter contagium peccatorum; ita se dicere demonstrabant, ut tamen ignoratis peccatis alienis neminem maculari posse faterentur. Hoc enim et de malis piscibus dixerant, quod sicut illos latentes in fluctibus, quamvis jam intra retia, non vident piscatores; sic latentes malos in Ecclesia nesciunt sacerdotes, et ab eis ideo minime polluuntur. Nec tamen vel leviter vel tenuiter in tam prolixis et tanta dilatione ac-

[1] *Forte* damna. — [2] *Pro*, Bagaitano.

cepta conscriptis litteris probare conati sunt, quod maxime in mandato Catholicorum commemoratum est, ut probarent, non solum vera esse crimina Cæciliani (nam hoc parum est); sed etiam Ecclesiæ, quæ per omnes gentes usque ad terræ terminos dilatatur, ea probari et innotescere potuisse, ut consequenter saltem secundum ipsos posset cognit orum peccatorum contagione maculari.

XV. Cum itaque litteræ Donatistarum recitatæ fuissent, voluit Cognitor, ut etiam quæ Catholici recitanda dederant legerentur. Sed Donatistæ ad ea quæ scripserant ut responderetur, flagitare cœperunt. Quod et Catholici magis volebant, ne illæ litteræ sic manerent, quasi eis non potuerit responderi. Incipientibus ergo Catholicis respondere, Donatistæ interrumpere et obstrepere cœperunt, ne perpetuus respondentis sermo decurreret, sicut eorum litteræ nullo interpellante fuerant recitatæ. Volentibus ergo Catholicis divina testimonia quæ ipsi posuerant, et ea quæ illi commemoraverant, ostendere quemadmodum essent accipienda, ne inter se deprehenderentur esse contraria, cum essent utraque divina, et utique consona non dissona esse deberent, primitus de areæ similitudine cœperunt dicere. Tunc Donatistæ interrumpentes dixerunt, quod de area non legeretur in Evangelio scriptum [1]. Cumque expressius a Catholicis locus Evangelii commemoraretur, rursus interrumpendo dixerunt occultos malos dictos esse paleam postea ventilandam. Inde inter strepitus et interruptiones eorum, de zizaniis et tritico dissensio nata est, propter mundi nomen, quo Donatistæ nolebant intelligi Ecclesiam, quia scriptum est : « Ager est hic mundus [2]. » Et multa testimonia protulerunt, quibus sancta Scriptura mundum non nisi malos commemorasset ; sicuti est, « Qui dilexerit

[1] Confer lib. 2, cont. Gaudent. cap. 4. — [2] Matth. XIII, 38.

mundum, non est charitas Patris in illo [1]; » et cætera talia : ut quasi ex hoc ostenderent mundi nomine Ecclesiam significari minime potuisse. Contra Catholici alia testimonia proferebant, quibus in bono mundi nomen esse positum ostenderetur; sicuti est, « Deus erat in »Christo mundum reconcilians sibi [2] : » et cætera hujusmodi, ubi ostenderetur Ecclesia, quoniam ipsa utique per Christum reconciliatur Deo. Et hæc agebantur, Catholicis sermonem suum prosequendo perpetuare conantibus, illis autem ne id fieret perstrepentibus ; cum suam responsionem non reservarent, sicut Catholici fecerant, cum eorum Epistola legeretur; sed crebras contradictiones interponendo, ne Catholicorum prosecutio imperturbata procurreret, impedirent.

XVI. Flagitantibus itaque patientiam eorum Catholicis, et per multas Cognitoris interlocutiones vix impetrantibus; responderunt litteris eorum, ostendentes multis sanctarum Scripturarum testimoniis et exemplis malos, in Ecclesia nunc sic esse permixtos, ut quamvis debeat vigilare ecclesiastica disciplina, ad eos non solum verbis, sed etiam excommunicationibus et degradationibus corripiendos, tamen non solum in ea latentes nesciantur, sed plerumque propter pacem unitatis etiam cogniti tolerentur: sic ostendentes divina testimonia consonare, ut et illa quibus commendaretur Ecclesia cum malorum commixtione, hoc tempus ejus significarent, qualis est in præsenti sæculo; et illa testimonia quibus commendatur non habere commixtos malos, illud ejus tempus significarent, qualis venturo sæculo in æternum futura est. Sicut nunc mortalis est, id est, ex mortalibus hominibus constat : tunc autem immortalis erit, quando in ea nemo morietur : sicut ipse Christus isto tempore fuit pro illa

[1] 1 Joan. II, 15. — [2] 2 Cor. V, 19.

mortalis, post resurrectionem autem jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur [1]; quod etiam Ecclesiæ suæ in fine sæculi præstiturus est. Hæc duo tempora Ecclesiæ, quæ nunc est, et qualis tunc erit, significata esse etiam duabus piscationibus : una ante resurrectionem Christi, quando mitti jussit retia [2], nec sinistram nec dexteram nominans partem, ut nec solos malos, nec solos bonos, sed commixtos bonis malos intra retia suorum sacramentorum futuros doceret : post resurrectionem autem quando jussit retia mitti in dexteram partem [3], ut post resurrectionem nostram bonos solos in Ecclesia futuros intelligeremus, ubi ulterius hæreses et schismata non erunt, quibus modo retia disrumpuntur. Nam et Evangelium non tacuit in prima piscatione commemorare retia esse disrupta : et in novissima dictum est : « Et » cum tam magni essent pisces, retia non sunt disrupta[4]. » . De tali Ecclesia dictum esse, quod per illam non erat transiturus incircumcisus et immundus [5]. Ad immundos enim pertinere schismaticas separationes, quæ tunc non erunt, quia retia non sunt disrupta. Hoc etiam significasse, quod corvus avis immunda exierit de arca, et non redierit [6]. Quæ tamen arca exeunte corvo non utique omnibus immundis animalibus caruit, sed in ea fuerunt et munda et immunda usque ad diluvium, sicut in Ecclesia boni et mali usque ad sæculi finem. Sed sicut non de immundis, sed de mundis animalibus Noë obtulit sacrificium ; ita non ii qui mali sunt in Ecclesia, sed ii qui boni sunt perveniunt ad Deum.

XVII. De Prophetis etiam, quia dixerant Donatistæ in litteris suis, non eos communicare illis in quos mala tanta dixerunt : responderunt Catholici, quod unum tem-

[1] Rom. VI, 9. — [2] Luc. V, 5. — [3] Joan. XXI, 6. — [4] Ibid. 11. — [5] Isaï. LII, 1. — [6] Gen. VII, 8.

plum fuerit quo universi utebantur, nec quemquam Prophetarum, qui tanta dixerunt in malos, constituisse sibi aliud templum, sacrificia, sacerdotes. Et quod Donatistæ in litteris suis posuerant testimonia Scripturarum, quibus ostenderent ad peccata parentum etiam filios pertinere; cum hoc utique nunquam recte intellectum sit, nisi de iis filiis qui parentum iniquitates imitarentur: responderunt Catholici, cum tanta in illum populum et acerba dicta sint divinis Eloquiis, quæ etiam ipsi in suis litteris commemoraverunt, ut quasi nullus illic remansisse videretur bonus, non solum ibi fuerunt iidem ipsi Prophetæ sancti, verum etiam ex ipso populo exorti erant, quos ipse Dominus in suæ carnis adventu laudabiles reperit, sicut fuerunt Zacharias et Elizabeth, et sicut Joannes filius eorum, sicut Simeon senex et Anna vidua [1]. Unde apparet quam impie, quam calumniose objicerentur Catholicis toto orbe diffusis crimina Cæciliani; cum Simeoni et Annæ et cæteris talibus objici non possent crimina illius populi, in quo nati fuerant, sacramentis ejusdem populi consecrati, quæ crimina eidem populo non humana opinio, sed sermo divinus objecerat. Commemoratum est etiam testimonium propheticum [2], ubi signati sunt, ne cum malis perirent, qui gemebant facinora, quæ fiebant in medio eorum; nec tamen corporaliter separati sunt.

XVIII. Deinde ubi commemoratum est qualis separatio bonis hoc tempore ab impiis et malis fieri debeat, ne communicetur peccatis alienis, corde videlicet et vitæ morumque dissimilitudine; nec aliter intelligi debere quod scriptum est: « Exite de medio eorum, recedite inde, et »immundum ne tetigeritis [3];» id est, discernimini aliter vivendo, et immunditiæ non consenseritis. Ibi etiam op-

[1] Luc. I et II. — [2] Zach. IX. — [3] Isaï. LII, II.

portunissimo loco responsum est Donatistis ad illud quod dixerant, cum eos peteret Cognitor ut sederent, scriptum sibi esse, ut cum talibus non sederent. Dictum est enim a Catholicis, cum eorum litteris responderent, non sic intelligendam esse separationem a malis hoc tempore, quemadmodum illi intellexerant, qui secum tanquam cum impiis non sederunt, quia scriptum est : « Non sedi in » consilio impiorum [1]. » Cum utique si impios putarent, nec illud quod in eodem Psalmo consequenter prohibetur, facere debuerunt. Nam ibi sequitur : « Et cum ini- » qua gerentibus non introibo. » Cum ergo illi intrassent cum eis quos impios putarent, quare non etiam sederunt; ut in utroque non corporalem, sed spiritalem consessum et ingressum devitasse viderentur? Ibi commemorata est etiam causa Maximianistarum toties jam illis objecta, ubi et se et illos quibus dilationem dederunt in Maximiani schismate positos, ejusdem in damnatione Primiani socios, tamen illius contagio dixerunt non esse pollutos; qui Cæciliani criminibus orbem christianum usque ad terminos terræ periisse contenderent.

XIX. Ad hæc Donatistæ, cum validissimis Scripturarum documentis et exemplo suo de Maximianistis respondere non possent; ad illud quod jam peractum fuerat redierunt, dicentes mundum non bene intelligi Ecclesiam, in qua simul et triticum et zizania jussa sunt crescere : cum Catholici et tot testimonia divina jam commemorassent, quibus ostenderetur mundus etiam in bona significatione positus, et in ea non nisi Ecclesia posset intelligi; et quomodolibet acciperetur mundus, quando utrumque semen per mundum cresceret, non debere propter zizania totius mundi triticum deseri. Cum ergo hæc jam dicta fuissent, et quæstio ipsa jam terminata

[1] Psal. xxv, 4.

videretur, ad eam rursus summa inopia redierunt, eadem per eadem replicantes, quærentes quomodo potuerit diabolus in Ecclesia seminare zizania. Deinde calumniantes, quod duas Ecclesias Catholici dixerint, unam quæ nunc habet permixtos malos, aliam quæ post resurrectionem eos non esset habitura : veluti non iidem futuri essent sancti cum Christo regnaturi, qui nunc pro ejus nomine cum juste vivunt tolerant malos.

XX. Ad hæc Catholici responderunt, etiam ipsos jam fuisse confessos, esse in Ecclesia vel occultos malos : et vicissim quæsierunt, quomodo eos in Ecclesia diabolus seminaverit; quod illi quasi fieri non posset, de zizaniis requirebant. Repetierunt etiam Catholici testimonium Cypriani, qui eamdem Evangelicam similitudinem non aliter intellexit [1], quam ut in Ecclesia diceret esse zizania, nec latere, sed cerni. Contra quod testimonium illi omnino nihil ausi fuerant respondere; cum auctoritatem Cypriani tanti habeant, ut per illam conentur defendere, quod male de iterando baptismo sentiunt et faciunt. De duabus etiam Ecclesiis calumniam eorum Catholici refutarunt, identidem expressius ostendentes quid dixerint, id est, non eam Ecclesiam quæ nunc habet permixtos malos alienam se dixisse a regno Dei, ubi non erunt mali commixti; sed eamdem ipsam unam et sanctam Ecclesiam nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram; nunc habere malos mixtos, tunc non habituram : sicut nunc mortalem quod ex mortalibus constaret hominibus, tunc autem immortalem quod in ea nullus esset vel corpore moriturus : sicut non ideo duo Christi, quia prior [2] mortuus postea non moriturus. Dictum est etiam de homine exteriore et interiore, quæ cum sint diversa, non tamen dici duos homines : quanto minus dici duas Ecclesias,

[1] Epist. ad ax. — [2] *Forte* prius est mortuus.

cum iidem ipsi qui nunc boni tolerant permixtos malos et resurrecturi moriuntur, tunc nec mixtos malos habituri sint, nec omnino morituri. De ipso quoque numero, quoniam Donatistæ Scripturarum testimonio unam Ecclesiam commendaverunt, velut contra duas quas Catholicos affirmasse jactabant; responsum est a Catholicis, etiam multas Ecclesias in Scripturis inveniri dictas, et septem ad quas Joannes scribit[1], quæ tamen multæ illius unicæ membra esse intelligerentur: ut hinc appareret multo minus sibi debere objici duas, cum eamdem ipsam unam dixerint non talem nunc esse qualis in resurrectione futura esset, quandoquidem Apostolicis litteris non objiciantur multæ, ex quibus ipsa una constaret. Ad hæc Donatistæ rursus eadem replicare non destiterunt, insuper adjicientes et invidiose jactantes, quod Ecclesiam mortalem Catholici dixerint; et ideo negantes eam mortalem esse, quia Trinitas immortalis est, cujus gratia consecratur Ecclesia; et quia Christus ideo pro ea mortuus sit, ut eam faceret immortalem: quasi Catholici dixerint, non eam fieri immortalem gratia Dei, et effuso pro ea sanguine Salvatoris: sed tempora esse discernenda dixerunt, præsens videlicet quo moriuntur omnes sancti, sicut mortuus est ipse Christus; et futurum, quo resurgent, et nullo morituro vivent cum illo qui jam resurrexit.

XXI. Hæc inter eos cum agerentur, et quamvis manifesta atque dilucida Donatistis certantibus superflua replicarentur, promisit Cognitor de his se quæ satis audisset extrema sententia judicaturum, et jussit illud agi potius, unde extiterit prima causa discidii. Tunc Donatistæ urgere cœperunt, ut de his quæ audisset primitus judicaret. Quod cum etiam Catholici exigerent, et

[1] Apoc. 1.

ille in eo quod dixerat permaneret, juberetque illud agi potius, ut causa primi discidii monstraretur ; petierunt Catholici, ut quæ offerebant recitarentur. Quod cum fieri præcepisset, obnixius Donatistæ resistere cœperunt, et cogere [1] ut jam de cognitis judicaret, eadem quæ transacta fuerant repetentes ; et addentes, quod omnino judicare de illa causa non deberet, quam volebat agi recitatione eorum, quæ a Catholicis oblata fuerant recitanda ; dicentes hujus causæ Christum judicem esse debere ; et invidiam facientes Catholicis, quod hominem petiverant judicem ; dicentes etiam solita de persecutionibus, quas perpeti viderentur. Ad hoc Catholici responderunt, nec de homine judice postulato eos debere facere invidiam, qui et de causa Maximianistarum judicaverunt, nec eam Christo judici servaverunt ; et ipsam Cæciliani causam primitus ad hominem, hoc est, ad Imperatorem Constantinum accusantes miserunt : nec de persecutionibus, quod aliquid ab Imperatoribus pro Ecclesia Catholici peterent, cum eorum Circumcelliones ducibus clericis tam horrenda mala committerent. Ubi frustra responderunt, nihil hoc ad sacerdotes pertinere ; cum clericis ducibus illi talia fecisse asserebant.

XXII. Ibi etiam cum dictum esset, quod calce et aceto humanos oculos persecuti sint, in quo scelere diabolum crudelitate pervicerunt, qui hoc in sancti viri carne non fecit [2], quam in potestatem acceperat affligendam : hic Donatistæ quæsierunt, utrum qui faciunt, filii essent diaboli, an qui patiuntur : quasi Catholici aliud quam passiones suas dixerint immanissimas a clericis et Circumcellionibus eorum. Verumtamen etiam hic non prætermiserunt Catholici, occasione oblata, eis Maximianistas objicere, et dixerunt secundum eorum sententiam melio-

[1] Id est, instare. — [2] Job, 2.

res esse Maximianistas, quos apud tres vel eo amplius proconsules persecuti sunt. Illi enim si passi sunt [1], victi fecerunt. Et urgebant Catholici, ut responderent, utrum ex ipsis quos damnaverunt et persecuti sunt, non susceperint Felicianum, et utrum non eum habeant in collegio suo. Ad quod illi objectum sicut semper omnino obmutescentes, in aliud ierunt, objiciendo Catholicis, quod diabolum defendissent : quia dixerant eum sancti Job oculis pepercisse, unde illum isti crudelitate vicissent. Et susceperunt accusare diabolum velut defensum a Catholicis, dicentes eum magis crudeliter in carne Job oculis pepercisse, ut manerent ad spectaculum vulneris, quod universo corpori inflixerat. Quod multum mirum est, quare hoc pro magno dicere voluerint, nisi forte ut intelligerentur pie fecisse, qui oculos in hominibus persecuti sunt, ne cruciarentur videndo vulnera sua, quæ ab eis per totum corpus acceperant.

XXIII. Sed cum iterum Donatistæ persecutiones quas patiuntur exaggerantes, suorum quasdam mortes commemorarent in oppido Bagaiensi; responsum est a Catholicis, eos hoc passos esse, dum eorum violentiæ resisteretur, quam et judici inferre conati sunt. In illo oppido commemoraverunt Catholici ab eis horrenda esse commissa, ita ut etiam basilica esset incensa, et in ignem missi codices sancti. Mortes autem illorum magis esse ex consuetudine quam habent, ut se ipsi præcipitent. Cumque his Donatistæ respondentes exaggerarent identidem velut persecutiones, quas paterentur, tanquam ex his fructibus suos adversarios malam esse arborem jactitantes, et petentes identidem ut de agro et zizaniis et de una et immortali Ecclesia judicaretur; contra autem Catholici fructus eorum commemorarent schismata et rebaptizationes,

[1] *Forte* illi enim persecutionem passi sunt, isti fecerunt.

et quod ipsi primitus majores suos apud Imperatorem accusassent, atque in hujusmodi mutuis objectis diu conflicto versaretur: maluit Cognitor hæc omnia cohibere, promittens de his judicium posteriore sententia. Et recitari jussit quod a Catholicis oblatum jam legi cœperat et fuerat interruptum. Sic peracta est causa Ecclesiæ, quam magnopere Catholici curaverant a Cæciliani causa distinguere; quoniam ei non posset cujuslibet præjudicari criminibus, quæ contra omnes humanas criminationes tot testimonia divina meruisset. Ex hoc jam cœpit agi etiam causa Cæciliani.

XXIV. Quinto ergo loco hæc acta sunt. Recitatæ sunt duæ relationes Anulini proconsulis ad Constantinum imperatorem: una quæ jam superius erat recitata, qua ostendit majores Donatistarum, id est, de parte Majorini, dedisse sibi chartas criminum Cæciliani, et postulasse Constantino mittendas, seque illas memorato Imperatori misisse: altera autem qua ostendit ex ejusdem Imperatoris jussione denos ex utraque parte, ad agendam causam, ut mitterent, eos se convenisse, atque illos promisisse facturos. Tum deinde lectæ sunt etiam litteræ supradicti Imperatoris ad episcopos datæ, ubi eis causam Cæciliani injunxit audiendam. Atque inde ex ordine legi cœpit etiam episcopale judicium Melchiadis Romani episcopi et aliorum cum illo Gallorum et Italorum episcoporum, in eadem urbe Romæ factum, cujus judicii prima parte, id est, gestis primi diei recitatis, ubi accusatores Cæciliani qui missi fuerant, negaverunt se habere quod in eum dicerent; ubi etiam Donatus a Casis nigris in præsenti convictus est, adhuc diacono Cæciliano schisma fecisse Carthagine; de Carthaginis enim schismate exorta est adversus Ecclesiam catholicam pars Donati: ubi etiam promiserunt iidem adversarii Cæciliani alio die se repræ-

sentaturos, quos causæ necessarios subtraxisse arguebantur; et hoc mentiti, ulterius ad judicium accedere noluerunt. Hac ergo judicii parte recitata, cum cœpisset recitari quid alio die gestum sit, interruperunt Donatistæ, et petere instantissime cœperunt, ut prius ea quæ offerebant recitarentur, asserentes non esse ordinis, ut prius absolutio Cæciliani, quem nondum accusaverant, legeretur; et de hoc aliquanto diutius conflixerunt: cum Catholici dicerent, non debere interrumpi quod legi jam cœperat, donec ejusdem judicii omnia gesta terminarentur; illi autem e diverso assererent ea, quæ interrumpebantur, nec incipi debuisse ut legerentur, quoniam non competeret prius defendi hominem quam accusari. Ad hoc Catholici respondebant, cum causa schismatis a Cognitore quæreretur, petisse ut illa legerentur, quæ oblata fuerant ad legendum, cum ageretur de persona petitoris. Duas itaque ob res illa voluisse recitari; ut appareret eos primitus in hac causa hominem judicem potulasse, qui faciebant Catholicis invidiam, quod in hac Collatione homo Cognitor residebat; et ut petitoris persona constaret: et quoniam legi cœpta fuerant, non debere interrumpi, sed usque ad finem recitando perduci. Inter hæc Cognitor, cum hoc primo voluisset, quod a Catholicis petebatur, ut ea quæ recitari cœperant finirentur; postea tamen ei Donatistæ extorserunt, ut ea quæ ipsi offerebant dilatis illis legi permitterentur.

XXV. Tunc Donatistæ aliquantum prælocuti sunt, quod Mensurius qui fuerat ante Cæcilianum Ecclesiæ Carthaginensis episcopus, tempore persecutionis tradiderit persecutoribus sanctas Scripturas. Et hoc ut probarent, legerunt ejus Epistolam ad Secundum Tigisitanum datam, qui tunc habebat primatum episcoporum Numidiæ. In qua Epistola videbatur Mensurius velut de suo

crimine confiteri : qui tamen non scripserat se sanctos codices tradidisse, sed potius ne a persecutoribus invenirentur abstulisse atque servasse ; dimisisse autem in basilica Novorum quæcumque reproba scripta hæreticorum, quæ cum invenissent persecutores et abstulissent, nihil ab illo amplius postulasse. Verumtamen quosdam Carthaginensis ordinis viros postea suggessisse proconsuli, quod illusi fuerant qui missi erant ad Christianorum Scripturas auferendas et incendendas, quia non invenerant nisi nescio quæ ad eos non pertinentia ; ipsas autem in domo episcopi custodiri, unde deberent proferri et incendi : proconsulem vero ad hoc eis consentire noluisse. In eisdem etiam litteris lectum est eos, qui se offerrent persecutionibus non comprehensi, et ultro dicerent se habere Scripturas, quas non traderent, a quibus hoc nemo quæsierat, displicuisse Mensurio, et ab eis honorandis eum prohibuisse Christianos. Quidam etiam in eadem Epistola facinorosi arguebantur et fisci debitores, qui occasione persecutionis vel carere vellent onerosa multis debitis vita, vel purgare se putarent, et quasi abluere facinora sua, vel certe acquirere pecuniam, et in custodia deliciis perfrui de obsequio Christianorum. Crimen tamen Donatistæ non ingerebant Mensurio, nisi de codicibus traditis : mentitum eum quippe dicebant, quod illi non fuerint codices sancti, et peccatum suum tegere voluisse ; quamvis et ipsam fictionem criminarentur. Recitarunt etiam rescripta Secundi Tigisitani ad eumdem Mensurium pacifice data, ubi et ipse narravit, in Numidia persecutores quæ egerint : et qui comprehensi et Scripturas sanctas tradere nolentes, et multa mala passi et gravissimis suppliciis excruciati et occisi sunt : eosque honorandos pro martyrii sui merito commendavit, laudans eos non tradidisse Scripturas sanctas; illius mulieris

exemplo, quæ duos exploratores in Jericho[1], in quibus figurarentur duo Testamenta, Vetus et Novum, tradere persecutoribus noluit. Quod quidem exemplum si sub hac figura est intelligendum, Mensurium potius adjuvabat. In suis enim litteris Mensurius reprehendebat eos, qui Scripturas sanctas, quamvis eas non traderent, se tamen habere faterentur; quod mulier illa non fecit. Neque enim eos exploratores qui quærebantur, apud se esse confessa est, sed negavit. Scripsit etiam Secundus, et ad se ipsum missos a Curatore et Ordine Centurionem et Beneficiarium, qui peterent divinos codices exurendos, eisque respondisse: « Christianus sum et Episcopus, non traditor. » Et cum ab eo vellent aliqua ecbola[2], aut quodcumque accipere; neque hoc eis dedisse, exemplo Eleazari Macchabæi[3], qui nec fingere voluit suillam carnem se manducare, ne aliis præberet prævaricationis exemplum. Hæ litteræ Mensurii et Secundi donec legendo terminarentur, Catholici patienter audierunt; quamvis testati fuerint eas esse familiares, nec ad causam Ecclesiæ pertinere.

XXVI. Cognitor ergo commonens Donatistas, ut patientiæ vicem redderent, jussit perlegi quæ oblata a Catholicis jam ex parte fuerant recitata. Hic Donatistæ poposcerunt, ut prius etiam legeretur quod de causa Cæciliani offerebant. Hoc quoque sine ulla difficultate Catholicis permittentibus, et commendantibus quam patienter hoc permitterent, ut hoc eis et illi rependerent; jussit quod offerebatur Cognitor recitari. Et recitatum est a Donatistis concilium ferme septuaginta episcoporum

[1] Josuë. 2. — [2] Ecbola hic dicuntur ejectamenta, seu res quarum nullus est usus. Huc pertinet illud Sylvani in Actis supra citatis lib. 3. contra Cresconium cap. 29. *Nihil hic remansit, totum hoc ejecimus.* — [3] 2 Macch. VI, 24.

contra Cæcilianum apud Carthaginem factum, ubi eum absentem damnaverunt, quod ad eos venire noluerit ; tanquam a traditoribus ordinatus, et quia cum esset diaconus, victum afferri martyribus in custodia constitutis prohibuisse dicebatur. Nominati sunt etiam quidam collegæ Cæciliani, qui traditores asserebantur publicis gestis, quæ tamen gesta non legebantur. Inter hos autem maxime Felix Abtugensis acerbius accusatus est : « Ita ut fons malorum omnium diceretur. » Deinde sententiæ a singulis dictæ sunt ; primitus a Secundo Tigisitano, qui eorum princeps fuit ; deinde a cæteris : quibus expresserunt se Cæciliano et collegis ejus non communicare. Hoc itaque concilio recitato Catholici responderunt, illas litteras Mensurii et Secundi ad invicem datas, satis demonstrasse pacatos, nihil postea criminis de facto Mensurii vel accusatum vel judicatum : concilium vero quod contra Cæcilianum factum legerant, non quidem habere consulem et diem, sed hinc se nullum crimen objicere, quod magis negligentiæ quam fraudis esse potuerit.

XXVII. Sed obtulerunt iidem Catholici aliud concilium sub eodem Tigisitano habitum in civitate Cirtensi, cujus consul et dies cum legeretur, Donatistæ dixerunt, nec consulem, nec diem talia solere habere decreta [1]. Hic Catholici responderunt, illorum esse istum forsitan morem, qui concilia sua nollent in aliqua falsitate convinci, Catholicorum autem concilia consules et dies semper habuisse. Deinde cœpit identidem concilium, quod Catholici attulerant, recitari, ubi Secundus quosdam de quorum traditione audierat, et singillatim interrogabat, et eos confessos a consessu removebat. Quod eo modo recitabatur, ut cum ex Cirtensi concilio lecta esset confessio traditorum, legeretur etiam de concilio Carthaginensi

[1] Vide lib. 3. contra Cresconium, cap. 27, et Optatum lib. 1.

nomen ejus [1], velut traditoris in Cæciliani causa damnati. Deinde ventum est ad ipsius Secundi Tigisitani a Purpurio Limatensi crimen objectum; cui Purpurio idem Secundus occisos ab eo in carcere Milei filios sororis ejus objecerat : ubi ille vicissim ei crimen traditionis objecit, dicens detentum eum fuisse a Curatore et Ordine ut Scripturas daret, nec eum potuisse dimitti nisi aliquid tradidisset. Hoc autem quod ei objecit Purpurius, detentum eum fuisse a Curatore et Ordine ut Scripturas daret, idem Secundus in litteris quas Mensurio rescripserat, pene confessus est, ubi ait missum ad se fuisse a Curatore et Ordine Centurionem et Beneficiarium, et a se Scripturas petitas, vel quælibet cebola; quæ quidem se non tradidisse dixit : sed cum ipse illic commemoraverit tot martyres, qui cum tradere noluissent, excruciati et occisi sunt; quomodo ipse detentus et convictus et nolens aliquid tradere, nihil pati et dimitti potuerit, nec Mensurio scripsit, nec Purpurio respondit. Non enim Centurioni et Beneficiario dixit se Scripturas non habere, sed respondit se omnino non tradere. Quod illi auditum quomodo illo dimisso renuntiare potuerint sine suo exitio, non apparet; præsertim quia idem Secundus non quoslibet infimos, sed etiam patres-familias, cum hoc idem persecutoribus respondissent, crudelissimis mortibus dixit occisos. Sed de hac re Catholici nullum Secundo crimen objecerunt : sed tantummodo quod ei Purpurius objecit, et propter quod pacem, ne schisma fieret, omnia illa Deo dimittens, cum traditoribus fecit, recitari voluerunt, ut quales homines in absentem Cæcilianum sententias dixerint, appareret.

XXVIII. Hoc autem recitato, petierunt Catholici, ut etiam illa quæ dilata fuerant, legerentur, de concilio Car-

[1] Id est, cujusque eorum, quorum lecta erat confessio.

thaginensi, in quo lectum fuerat absentem Cæcilianum a multis episcopis fuisse damnatum. Hoc illud concilium, quia Catholici recitaverant relationes Anulini proconsulis, quibus appareret chartas criminum Cæciliani Constantino Imperatori esse transmissas, quod utique agentes confirmaverunt a majoribus suis Cæcilianum apud Imperatorem accusatum. Responsum est autem a Catholicis, illud Carthaginense concilium sic non præjudicare absenti Cæciliano, quemadmodum non præjudicavit absenti Primiano concilium eorum a quibus in Maximiani causa damnatus est: quoniam magis tenuit pars Donati, quod actum est postea pro Primiano, quam illius concilii auctoritatem quo fuerat ante damnatus : sic ergo et in Cæciliani causa debere attendi quod postea gestum est. Hic Donatistæ de Maximiani causa coarctati dixerunt : « Nec causam causæ, nec personam præjudicare personæ. » Quam sententiam in ore habere solent omnes Catholici, cum Donatistæ aliorum crimina aliis objicientes suam separationem defenderent, et orbem Christianum nescio quibus Afrorum criminibus accusarent. Nam et ista Collatione totum quod egerant Catholici, ut Ecclesiæ causam a causa Cæciliani distinguerent asserentes in Ecclesia permixtos malos non obesse bonis, nec eos suis maculare peccatis, hoc utique egerant, ut nec causa causæ præjudicaret, nec persona personæ. Quod ab adversariis dum aliud ageretur, voce apertissima confirmatum est. Sed Cognitor cum quæsisset quid de Carthaginensi concilio Catholici responderent, iterum responderunt non esse contemnendam similitudinem causæ Primiani, quia et Dominus Christus Judæos de factis eorum convincens perducebat ad verum.

XXIX. Deinde Donatistæ longa prosecutione agebant, ut ex illius auctoritate Carthaginensis concilii confirma-

retur Cæciliani damnatio, quod ad tot sacerdotes venire noluerit; quasi non et Primianus ad eos a quibus damnatus est, cum eorum factionem cognosceret, simili voluntate non venerit : et quod non expectaverit Cæcilianus, ut princeps a principe ordinaretur ; cum aliud habeat Ecclesiæ catholicæ consuetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores episcopi episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent : sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis episcopus, metropolitanus sed de proximo Ostiensis episcopus. Hoc autem dicentes de sua consuetudine, quam nescio quando instituerunt, Ecclesiæ catholicæ præjudicare conabantur : quæ consuetudo si antiqua esset, hoc ipsum objecissent Cæciliano, quando eum absentem damnaverunt. Dixerunt etiam scripsisse Optatum, quod Cæcilianus dixerit : « Si traditores sunt qui me ordinaverunt, ipsi veniant, et ordinent me. » Quod quidem si dictum est, ideo dici potuit ad illos irridendos, quibus hoc mandasse perhibetur, quoniam certus erat ordinatores suos non esse traditores. Non enim ait, quia traditores sunt : Sed, « Si traditores sunt : » ut innocentia eorum probanda restaret, ubi probari recte potuisset.

XXX. Ad hæc, et si quæ alia prolixa prosecutione dixerunt, breviter responderunt Catholici, non sufficere ad causam Cæciliani Carthaginense concilium, ipsos etiam judicasse, qui eam ad Imperatorem accusando miserunt ; et sic demonstrarunt hoc potius esse expectandum, quo res pervenerit usque ad Imperatoris sententiam, cui eamdem causam mittendam duxerunt. Hoc enim Catholici instabant, ut omnibus morarum umbraculis amputatis illa potius legerentur, quibus lectis olim causa finita, et Cæciliani innocentia manifestata luce clarius appareret. Quæ Donatistæ ut legerentur, omnino nolentes, quidlibet aliud interponendo impediebant. Nam cum

Cognitor quæsisset, utrum prius esset factum Carthaginense concilium, et postea missa fuerit ad Imperatorem causa Cæciliani; dixerunt Catholici quoniam consulem et diem illud concilium non haberet, ad utrumque se respondere : quia si prius causa ad Imperatorem missa est, quo exitu terminata sit expectari oportere : si autem postea, nihilominus non istorum, sed illius judicium esse quærendum, quo eam post judicium suum mittendam putarunt. Sed cum multa Donatistæ insererent de consule et die, cur in suorum majorum concilio non legeretur, ne hinc falsitatis arguerentur, et assererent hanc esse ecclesiasticam consuetudinem, ne dies et consules decretis episcoporum conscriberentur, legi volentes etiam concilium Cypriani, ut hoc probarent, quia nihil aliud nisi moræ quærebantur; (neque enim Catholici in eo causam suam constituerant, quando ad utrumque responderant, sive prius, sive posterius esset illud concilium, quod contra Cæcilianum apud Carthaginem fecerant;) jussit Cognitor, Catholicis instantibus, ut ista potius quæ dilata fuerant, legerentur.

XXXI. Tunc Donatistæ aliam quæstionem interposuerunt morarum plenissimam, sed revera in qua pro se laborare voluerunt, si possent ostendere quod volebant : illud scilicet Cirtense concilium falsum esse, ubi lectæ fuerant confessiones traditorum invicem sibi ignoscentium ne schisma fieret; quia ipsi legebantur inter cæteros contra Cæcilianum absentem sententias protulisse. Hoc ergo falsum demonstrare conantes, multa dixerunt; sed alia levia esse ipsi judicantes, duo quædam in ea quæstione multum commendaverunt, et in eis multum immorati sunt : unum, quia contra ecclesiasticam consuetudinem ipsum Cirtense concilium diem et consulem haberet; alterum autem, quod persecutionis tempore non posset concilium congregari. Exigebant ergo Donatistæ a Ca-

tholicis, ut vel alia concilia proferrent antiqua episcoporum, ubi ostenderent consules et dies etiam conscriptos, vel de ipsis sanctis Scripturis tale aliquid recitarent. Ubi Catholici cum viderent de re inanissima moras mirabiles et inexplicabiles interponi, (quis enim eos hinc falsitatem crederet objecturos, ubi ad majorem diligentiam temporum attestatio prænotata legeretur, ne forte per hanc esset aliquando necessaria indagatio veritatis? Quis ergo eos crederet hoc objecturos, ut præpararet antiqua concilia, quibus hanc consuetudinem demonstraret? aut quis tunc iret et vetusta ecclesiastica archiva revolveret?) cum hoc viderent Catholici, et in Melchiadis concilio diem et consulem demonstrabant, et de ipsis sanctis Scripturis commemoraverunt Prophetas indicia antiquissimorum temporum suis litteris prænotasse, quoto anno, cujusque mense anni, quoto die mensis factum esset super eos verbum Domini. Cognitor autem illud de die et consule objectum contemnendum et removendum existimans, jussit gesta apud Melchiadem habita cætera recitari : et recitata sunt. Quibus apparuit omnium qui tunc consederant episcoporum sententiis et ipsius Melchiadis, Cæcilianum absolutum atque purgatum : Donatum vero damnatum, qui præsens in prima fuerat actione convictus ; ille scilicet Donatus a Casis nigris, quem præsentem fuisse tunc constitit.

XXXII. Sed hoc recitato, cum quæreretur a Donatistis quid responderent ad illud Cirtense concilium, eo redierunt, conantes falsum esse monstrare. Tum dixerunt[1] tempore persecutionis congregari non potuisse concilium. Quod Cognitor non contempsit, et validum existimans, a Catholicis responsionem poposcit; atque inter hæc quæsivit, unde probaretur tempus fuisse persecutionis.

[1] *Forte* ut diceretur.

Tunc Donatistæ protulerunt Martyrum gesta, ubi auditi et pro confessione passi sunt. Jussit etiam Cognitor computare Officium, et renuntiare consideratis utriusque consulibus et diebus, et qui de concilio Cirtensi, et qui de gestis Martyrum legebantur : quia dictum fuerat a Catholicis, post illorum Martyrum passionem, unde persecutionis tempus probabatur, prope annum consecutum fuisse usque ad consulem et diem concilii Cirtensis. Responsio autem computantis Officii mensem interfuisse suggesserat. Voluerunt ergo Catholici de tabulis tolli quod dixerant, ut hoc solum gesta retinerent quod Officium responderat; hoc enim verius esse crediderant. Sed Donatistæ, quod a Catholicis dictum erat, noluerunt de tabulis tolli unde Catholici non contenderunt, ut eorum in hoc calumniosus animus appareret. Porro autem illud erat verius quod Catholici dixerant; Officium autem in computando errans falsum renuntiaverat, quod postea conscripta et diligentius considerata gesta docuerunt, sicut potest probare, quem libuerit legere, et non piguerit computare. Nam gesta Martyrum quibus ostendebatur tempus persecutionis, consulibus facta sunt Diocletiano novies, et Maximiano octies, pridie Idus Februarias; gesta autem episcopalia decreti Cirtensis post eorumdem consulatum, tertio Nonas Martias : ac per hoc tredecim menses interesse inveniuntur, plures utique quam undecim, quos[1] prius Catholici minus diligenter computando responderant : sed Officium ut falleretur et mensem interesse responderet, eumdem consulatum putavit, post consulatum autem non advertit, ubi annus jam alius agebatur. Proinde Catholici tanquam ex vera Officii responsione cogebantur ostendere tempore persecutionis illos undecim vel duodecim episcopos in domum privatam convenire

[1] *Forte* quot.

potuisse, Donatistis instantibus, ut hoc ex aliis conciliis ostenderent, si aliquo tempore persecutionis facta episcoporum concilia reperire potuissent. Quod Catholici quoniam tunc inquirere et ad horam veteres chartas in archivis ecclesiasticis discutere non poterant, respondebant multo facilius duodecim homines in domum convenire potuisse eo tempore, quo etiam congregationes plebium fieri solebant, quamvis persecutione fervente, sicut ipsis gestis Martyrum monstrabatur, qui confitebantur in passionibus suis se collectam et Dominicum egisse. Hoc autem Catholici dixerant, et antequam supputaret et responderet Officium. Dictum est etiam a Catholicis, episcopalia gesta illa Cirtensia, quæ diligentia majorum usque ad hæc tempora servari et inveniri potuerint, sic habenda quemadmodum illæ epistolæ Mensurii et Secundi, quas Donatistæ recitaverunt. Concilium quippe Carthaginense, ubi absentem Cæcilianum septuaginta damnaverunt, commemoratum est etiam a Melchiade, habitum[2], ubi Cæcilianus est absolutus. Litteræ vero illæ Mensurii et Secundi nusquam alibi commemoratæ dicebantur, unde nullo alio testimonio veritas earum asserebatur, nec tamen ideo dicebant Catholici falsas esse. Dictum est etiam hoc a Catholicis, ut probarent Donatistæ si possent, tempore persecutionis sic ad se invicem scripsisse episcopos, quemadmodum Mensurium et Secundum scripsisse proferebant. Quod non ideo dicebant Catholici, ut hinc illas Mensurii et Secundi litteras falsas esse monstrarent, quæ seu veræ seu falsæ essent, causæ nihil officerent : sed ut hinc intelligerent Donatistæ, quam vana tergiversatione Catholicos cogerent alia proferre concilia persecutionis tempore congregata : quia si eis simili obstinatione diceretur, Proferte et vos alias epistolas persecutionis tempore

[1] *Forte* in judicio habito.

sic scriptas et missas, quæ si aliquo modo deprehenderentur, et codices occultati exigi possent, et Ordo et Curator et Centurio et Beneficiarius ad discrimen capitis pervenire, qui Secundum tradere nolentem impunitum dimisisse prodebantur; nullo modo ad horam reperirent alias epistolas tempore persecutionis ab episcopis ad episcopos in tam longinqua terrarum similiter datas.

XXXIII. Cum ergo hinc diuturna conflictatio fieret, sæpe repetentibus Donatistis non potuisse tempore persecutionis concilium congregari ad episcopum ordinandum, quia in apostasia erat mundus, nec erant quibus ordinaretur, et cætera talia : Catholicis autem respondentibus, quod et episcopi facile congregarentur tam pauci, ut nec concilium dici debeat; quando plebes congregabantur, sicut gesta Martyrum testarentur; et erant sine dubio quibus ordinarentur episcopi, ipsæ utique plebes quas tunc solitas congregari gesta Martyrum loquebantur : hæc cum assidue multis et variis modis dicerentur, et responderentur : nam et domum privatam Christianis congregandis præstitam constitit tempore persecutionis, sicut in quibusdam gestis Martyrum legebatur; quia Donatistæ dixerunt fieri non potuisse, ut illo tempore domum suam quisquam præberet : et commemoratum est usque adeo non esse incredibile, quod in privatam domum pauci illi episcopi persecutionis tempore convenerunt, ut fervente persecutione etiam in carcere doceantur baptizati Martyres, et illic a Christianis celebrata sacramenta, ubi Christiani propter eadem sacramenta tenebantur inclusi: inter hæc ergo tandem aliquando, sæpe etiam Cognitor interlocutus, fieri potuisse illum conventum ab episcopis, quando et plebes congregatæ probabantur; compulit Donatistas, ut contra concilium judiciumque Melchiadis, quo Cæcilianus purgatus atque absolutus

legebatur, si haberent aliquid dicerent, quoniam illic potius quam in illo Cirtensi concilio causa consisteret.

XXXIV. Tunc Donatistæ ipsum Melchiadem cœperunt crimine traditionis arguere, et dicere majores suos propterea illius judicium refugisse, quod traditor fuisset: quasi non jam judicio ejus assisterent, et responderant se in Cæcilianum non habere quod dicerent. Sed tamen facto judice intento, utrum de traditionis crimine Melchiadis aliquod judicium, vel publicum, vel ecclesiasticum proferretur, ipsisque Catholicis id ut probaretur expectantibus et exigentibus, legerunt Donatistæ gesta quædam prolixissima apud præfectum, ubi nec præfectus ipse cujusmodi esset apparebat, nec locus legebatur, ubi hæc agebantur. Sed gesta ipsa multos multa ecclesiastica tradentes longissima recitatione sonuerunt, ubi nomen Melchiadis omnino non sonuit. Quibus peractis cum Cognitor miraretur aliud promissum et aliud recitatum, illi adhuc ejus patientiam deposcentes, gesta alia recitarunt, in quibus legebatur Melchiades misisse diaconos cum litteris Maxentii imperatoris et litteris præfecti prætorio ad præfectum urbis, ut ea reciperent quæ tempore persecutionis ablata memoratus Imperator Christianis jusserat reddi. Et cum his quoque gestis nullum Melchiadis crimen et Cognitori et Catholicis defensoribus appareret, dixerunt Donatistæ, Stratonem diaconum, quem cum aliis Melchiades ad recipienda loca ecclesiastica miserat, superioribus gestis recitatum esse traditorem; et ideo volebant etiam Melchiadem crimine traditionis aspergere, quod diacono illo non degradato uteretur. In prosecutione autem sua dixerunt Melchiadem tertium episcopum fuisse ab illo, qui tunc erat cum traditio illa facta esset. Hic Cognitor requisivit, utrum saltem in illis traditionis gestis esset expressum, quod Straton diaconus fuerit. Et

recitatum est eum « Hortatorem vanissimæ superstitionis appellatum : quod non solum ipse, sed etiam cæteri qui tradebant, appellabantur. Sed Donatistæ responderunt, a gentilibus persecutoribus in contumeliam religionis et diaconos et presbyteros ita vocitatos.

XXXV. Ergo Catholici responderunt, cum mirum non esset, essetque in rebus humanis usitatissimum, ut non duo tantum, verumetiam plures homines uno nomine vocarentur; fieri quidem potuisse ut ille traditor Straton presbyter fuerit, iste autem alius Straton diaconus : quoniam Donatistæ dixerant et diaconos et presbyteros hortatores vanissimæ superstitionis a gentilibus appellari : quanquam omnes clericos isto contumelioso nomine gentiles appellare potuerint, et multo esset incertius cujus gradus clericus ille traditor fuerit : verumtamen etiamsi eum diaconum fuisse posset ostendi, neque hoc esse incredibile aut mirum, cum ante parvum tempus in ipsa urbe Roma duo Petri diaconi fuerint. Illud quoque additum est a Catholicis, quia etsi demonstraretur, quod omnino non demonstrabatur, eumdem Stratonem diaconum tradidisse, quem postea Melchiades ad recipienda loca ecclesiastica cum aliis diaconis misit, non continuo Melchiadem isto crimine aspergi, quem potuit persecutio longe facere absentem, ut hoc omnino nesciret, eumque innocentem putaret, quem nemo reum accusando monstraret. Contra hic frustra Donatistæ eadem per eadem diutissime clamaverunt.

XXXVI. Post Collationem sane etiam de Cassiano Melchiadi calumniati sunt, quia etiam hoc nomen et in diaconis invenitur, quos ad præfectum misit Melchiades, et in illis gestis ubi facta traditio recitata est. Quod si in Collatione dicerent, facile potuit a Catholicis responderi, in tanta turba Romanorum clericorum nihil mirum fuisse

si duo vel plures, non solum Stratones, sed etiam Cassiani reperirentur; cum in duodecim Apostolis, non solum duo Judæ, sed etiam duo Jacobi legerentur : nisi forte ipsis licuisset Casensem a Donato Carthaginensi distinguere, cum timerent ne major auctor ipsorum Donatus Carthaginensis damnatus in Melchiadis judicio putaretur; et Catholicis non liceret in tanta multitudine clericorum Romanorum habere plures similibus nominibus appellatos. Falsum enim erat quod Donatistæ dixerant, convenire personas, convenire loca, convenire regiones : quando nec loca, nec regiones, nec ipsæ expressæ personarum dignitates de utrisque gestis, sed sola nominum convenientia legebatur, quam in diversis personis generis humani consuetudo frequentare non cessat.

XXXVII. Spernens itaque Cognitor incertissimas suspiciones, jussit aliquid manifestum contra illa gesta proferri, aut certe Constantini judicium, cujus mentio jam facta fuerat, recitari. Et recitatum est judicium Constantini, quemadmodum se inter partes causam Cæciliani cognovisse, ad Eumalium vicarium Africæ scripsisset, quod remotis omnibus arbitris Cæcilianum innocentem, illos calumniosissimos cognovisse testatus est; commemorans etiam in Arelatensi oppido pro Cæciliano factum episcopale judicium, cui judicio jam plurimi ex dissensione consenserant, reliquis adhuc resilientibus et discordantibus : unde ipse de re tota inter partes coactus est judicare. Post harum imperialium litterarum recitationem, quæsivit Cognitor a Donatistis quid contra dicerent. Ibi Donatistæ rursus ad Melchiadis calumniosam criminationem redire conati sunt : unde cum essent Cognitoris interlocutione depulsi, et ab eis esset flagitatum, ut contra judicium Melchiadis, vel imperialem sententiam, si haberent aliquid, recitarent : responderunt,

etiam imperatorias aures pravis suggestionibus inflatas. Ibi eis Cognitor respondit, quod attentissime adverterat, inter partes fuisse judicatum. At illi exigere cœperunt, ut hoc legeretur, utrum inter partes judicaverit Imperator. Quod cum fuisset Cognitore jubente recitatum, nihil invenientes quod dicerent, cœperunt de consule memoratis imperialibus litteris calumniari; quod sine consule fuerant recitatæ. Hinc exorto conflictu, cum Donatistæ invidiose dicerent episcopale concilium cum consule fuisse recitatum, et imperatoris litteras consulem non habere, et Catholici responderent, non ibi causam consistere : Cognitor etiam interlocutus est evidentissimis legibus definitum, imperialia constituta, etiamsi consules non legerentur, in dubium non vocari. Deinde Catholici urgebant, ut aperte dicerent falsum esse quod lectum est; posse enim archiva conquiri.

XXXVIII. Sed hinc repulsi, velut aliquid validissimum prolaturi, petierunt Optatum legi, quod et ante petiverant; unde se probaturos dicebant Cæcilianum ab Imperatore damnatum : et promissum eis fuerat, sed dilatum. Prius ergo volebat Cognitor ut exprimerent, utrum litteras imperatorias arguere falsitatis auderent. Quod quidem illi minime audebant, tamen nihilominus consuem deesse invidiosissime causabantur : Optatum vero legi multo instantius flagitabant. Hæc cum diutius agerentur, in alia charta illarum imperialium litterarum inventus est consul. Quod cum esset suggestum, Donatistæ dixerunt : « Certe consulem habere non debuit? » quasi hoc aliquando dictum esset, quod habere non debuerit; ac non etiamsi consul defuisset, non impediri imperialis constituti veritatem. Quod cum eis Cognitor identidem respondisset, recitatus est et Optatus. Recitantibus Donatistis ubi ait : « Eodem tempore idem Donatus petiit

ut ei reverti licuisset et ad Carthaginem accederet; tunc a Philomeno suggestore ejus Imperatori suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ teneretur; et factum est. » In quibus verbis Optati, cum omnino nulla Cæciliani damnatio, sicut illi demonstraturos se esse promiserant, reperiri potuisset, jussit Cognitor totam paginam recitari, ut de superioribus et inferioribus verbis voluntas ejus qui scripserat, nosceretur. Et ex officio recitatum est : « Cæcilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus. » Quod cum recitaretur, Donatistæ dixerunt, hoc se non petisse recitari, stomachantes adversus eos qui risum tenere non potuerant, cum audissent quam apertam contra semetipsos paginam protulissent. Deinde cum illis verbis quæ ipsi recitaverant, extenuasse dicerent Optatum damnationem Cæciliani, et exprimere noluisse : flagitatum est ab eis, ut aliunde manifestum legerent, quod ab illo dicerent extenuatum. Quod cum minime potuissent, etiam inde post aliquantas morarum inanium perplexitates, cum et de Donati nomine contendissent quod non Carthaginensis, sed Casensis Donatus in judicio Melchiadis adversus Cæcilianum astitisset, quod et Catholici concedebant, aliquando transitum est.

XXXIX. Deinde quia Constantini litteris, quibus eum inter partes cognovisse, et pro Cæciliano contra illos judicasse constabat, Cognitor eos si quid haberent, respondere cogebat : petiverunt suum libellum esse recitandum, quem dicebant datum Constantino a majoribus suis. In quo libello satis aperteque monstrarunt, quam falsum dixerint de damnatione Cæciliani apud Brixiam : idem quippe libellus ostendit quemadmodum contra eos senserit Constantinus. Nam ibi dicunt, nullo modo se communicaturos « Antistiti ipsius nebuloni, » paratosque

esse perpeti quidquid eis facere voluisset. Quem Constantini antistitem nebulonem utique Cæcilianum intelligi volebant. Quomodo ergo eum Constantini antistitem dicebant, cui se contra Constantinum loquentes non communicare confirmabant, si eum apud Constantinum superaverant, ita ut ab illo Brixiæ scirent esse damnatum?

XL. Cum ergo Catholici dixissent, hoc eos contra se ipsos recitasse, hoc idem ipse etiam Cognitor esset interlocutus, addiderunt etiam illi suæ falsitati convincendæ magnum aliud firmamentum recitantes ipsius Constantini litteras scribentis ad Verinum vicarium, ut libero eos dimittat arbitrio, se jussisse insinuans ut de exilio remearent. In quibus litteris Constantinus sic eos detestatur, ut nihil illa indulgentia possit deformius inveniri. Quos utique non ita culpasset, sĕd magis laudasset, si ab eis Cæcilianus apud illum victus ab eoque damnatus Brixiæ relegaretur. Ac per hoc ista contra se ipsos proferentes atque recitantes, et a Cæciliano se superatos memorati Imperatoris judicio manifestissime monstraverunt; et suam falsitatem, qua eum dicebant esse damnatum, apertissime convicerunt : et quia Catholicos persecutionem facere, se autem pati gloriabantur, Cæcilianum tamen per suas accusationes ab Imperatore damnatum etiam falso gloriari voluerunt. His itaque recitatis, cum Catholici dicerent, et Cognitorem breviter admonerent, quod etiam ipse cernebat, pro se illa, hoc est, pro innocentia Cæciliani contra illos fuisse recitata, et hoc idem etiam ipse fuisset interlocutus; Donatistæ responderunt dicentes : « De libero arbitrio nihil dicit potestas tua : » hoc enim putantes secundum Constantini litteras sibi posse a præsente Cognitore concedi, eas etiam contra se pro Cæciliani causa recitandas existimaverunt. Hic cum eis Cognitor respondisset aliud sibi esse a præsentis temporis

Imperatore[1] præceptum, ierunt in aliud, quod contra se identidem multo mirabilius protulerunt.

XLI. Recitaverunt etiam alias litteras ejusdem Constantini imperatoris ad Probianum proconsulem datas, quæ quidem consules non habebant; sed nihil quasi de objectione mutua Catholici agere voluerunt: quamvis et hinc se ipsos Donatistæ convincerent, quam calumniose Catholicis id objecerint; cum prior chartula ex qua recitatum est judicium Constantini, quo absolutus est Cæcilianus, consules non haberet, qui tamen mox in alia chartula inventi sunt. Istæ itaque litteræ ad Probianum proconsulem datæ, continent Imperatoris jussionem, qua præcepit ut ad se Ingentius mitteretur, cujus confessione in proconsulis Æliani judicio Felix Abtugnensis ordinator Cæciliani a crimine traditionis fuerat absolutus. Hoc autem imperiale præceptum ideo Donatistæ se recitare dicebant, ut quasi ostenderent Cæciliani causam adhuc fuisse suspensam, etiam post illud judicium quo se Constantinus inter partes omnia terminasse jam scripserat: cum et in ipsis litteris, quas ad Probianum proconsulem datas recitaverunt, quibus quasi ostenderent adhuc pendere judicium, quoniam ad se mitti jusserat Imperator Ingentium, tanta contra se legerint, ut omnino mirum sit quibus illa oculis aspicere, vel quo ore pronuntiare potuerint. Ibi enim Constantinus dixit, ab Æliano proconsule audientiam præstitam competentem, Felicemque innocentem ab exustione codicum divinorum constitisse; illos autem esse in præsentia confutandos, qui diuturnis diebus eum interpellare non quiescerent; ut eis liquido appareret, frustra eos Cæciliano invidiam comparare, et adversus eum violenter insurgere voluisse. Hic ergo per illas litteras, non solum Cæcilianum, sed

[1] Honorio.

etiam Felicem purgatum, seque innocentium persecutores apud Imperatorem extitisse docuerunt.

XLII. Hac autem accepta opportunitate Catholici recitandam protulerunt et ipsius Æliani tunc proconsulis relationem, de hac re ad Constantinum datam, ubi se causam Felicis audisse et finisse commemorat; et ipsa gesta proconsularia, quibus absolutus est Felix, et omnium necessariarum personarum testimonio a traditionis crimine innocens comprobatus. Quibus recitatis quid contradici posset, Cognitor inquisivit. Tunc Donatistæ, quod et ante dicere cœperant, identidem repetierunt, quærentes utrum ex præcepto Imperatoris directus ad Comitatum fuisset Ingentius, et quid postea gestum esset, ut ostenderetur, a Catholicis exigentes : et gesta proconsularia, quibus possent verbis, refellere conantes, quibus absolutus est Felix; objicientes gratiam judicis, vel suppositas fuisse personas, et cætera quæ solent homines contra gesta quibus vincuntur, suspiciosa querimonia jactitare. Dicebant etiam non recte Felicem absentem fuisse absolutum. Ad ista responsum est a Catholicis, omnia quæ lecta sunt, ad absolutionem Cæciliani et Felicis apertissime pertinere; si quid autem Donatistæ arbitrarentur misso ad Comitatum Ingentio pro se fuisse judicatum, et mutatum esse judicium, quo Constantinus inter partes cognoscens purgato Cæciliano illos calumniosissimos judicaverat, ipsos debere proferre. Quando autem hoc Catholici dicebant, in illa temporis brevitate non poterant considerari consules; quorum ordinem in ipsis gestis qui voluerit considerans, inveniet posterius ab imperatore Constantino absolutum esse Cæcilianum, quam Felicis causam ab Æliano proconsule discussam atque purgatam : post aliquot etiam annos Constantinum scripsisse ad Verinum vicarium, quas litteras ipsi recita-

verunt, ubi sibi asserebant liberum arbitrium ab illo Imperatore concessum, in quibus litteris eos tanquam pessimos et christianæ pacis inimicos ostendit. Quod utique non fecisset, si aliquid pro illis contra Cæcilianum judicasset, cum ad Comitatum missus esset Ingentius. Cognitor ergo interlocutus est, non posse gesta, quæ tanta roboravit antiquitas, removeri, nisi aliis posterioribus gestis e contrario recitatis. Dictum est etiam a Catholicis, magis ad declarandam Felicis innocentiam profuisse, quod absens fuerat absolutus, quia gratiæ suspicio, si præsens esset, potius oriretur.

XLIII. Urgere deinde Cognitor cœpit, ut si qua posteriora gesta Donatistæ haberent contra absolutionem Cæciliani vel Felicis, jam jamque proferrent. Hic illi ad ea quæ jam toties dixerant et Catholicis toties ad omnia respondentibus transacta jam fuerant, rursus quasi a capite redire et ea replicare conati sunt. Ubi cum interlocutus esset Cognitor, admonens ut eos jam pigeret eadem repetere, quæ peracta et transacta jam fuerant, et identidem proferre compelleret si quid recitandum haberent adversus Cæciliani et Felicis sic evidentissimas absolutiones : et illi nihil omnino adversus illa proferentes, eadem repetere non cessarent, ut de illis quæ dixerant judicaretur : et contra Cognitor illud potius flagitaret, ut legerent si haberent quod legi posset adversus imperiale et proconsulare judicium, ut posset de omnibus pronuntiari, quoniam legibus prohibetur semiplenam proferre sententiam : instarent etiam Catholici, ut rebus omnibus Cognitori manifestatis, et Donatistis quid respondeant non invenientibus, eadem repetentibus, tandem aliquando causa finiretur ; in ultimo Cognitor dixit : Si contra nihil est quod legatis, exire dignamini, ut possit plena de omnibus scribi sententia. Et utrisque exeuntibus, sententiam

scripsit quam rursus intromissis partibus recitavit, qua complexus est omnia quæ de prolixa trium dierum actione potuit recordari. In quibus quædam non eo ordine quo gesta sunt commemoravit, omnia tamen veraciter posuit, confutatos a Catholicis Donatistas omnium documentorum manifestatione pronuntians.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

AD DONATISTAS

POST COLLATIONEM.

LIBER UNUS [1].

Ipsos Donatianæ partis laïcos monet Augustinus, ne ulterius seducantur a suis episcopis, quos jam esse in Collatione apud Carthaginem habita, propriis suis verbis ac sententiis prolatisque per eosdem ipsos documentis confutatos, Gesta commonstrant. Horum vanas adversus Collationis ejusdem judicium calumnias diluit, scripta ab iis quædam post Collationem in vulgus sparsa examinans obiter et refellens.

I. Quid adhuc, Donatistæ, seducimini ab episcopis vestris; quorum fallaces tenebræ clara luce discussæ sunt; quorum apparuit error, quorum pertinacia superata est? Quid adhuc vobis jactant vana mendacia? Quid adhuc creditis hominibus victis? Cum vobis dicunt, judicem præmio fuisse corruptum, quid novum faciunt? Quid aliud omnes victi facere consuerunt, qui veritati consentire nolunt, nisi ut de judicis iniquitate mentiantur? Quærite ab eis, et ad hoc primum vobis respondeant, si

[1] Scriptus anno 412. — Vide Retract. lib. II, cap. 40.

possunt, quare ausi sunt venire Carthaginem, et in unum locum nobiscum Collationis gratia convenire? Jam ante aliquot annos conveneramus eos publice, ut nobis conferentibus veritas appareret, et dissensio, quæ nos dividit, de medio tolleretur. Sed ipsam veritatem refugientes, actis responderunt: « Indignum est, ut in unum conveniant filii martyrum et progenies traditorum. » Quare ergo modo nobiscum convenire voluerunt? Puto quod non facerent quod eis videbatur indignum, nisi nos cognoscerent non esse progeniem traditorum. Aut certe ipsi vobis respondeant, quare dixerunt: « Indignum est ut in unum conveniant filii martyrum et progenies traditorum, » et in unum nobiscum postea convenerunt. Quæ res eos coëgit facere quod indignum est? Non enim ligati adducti sunt, sed omnino liberi convenerunt. Si dixerint, quia jusserat Imperator: ergo tunc faciunt quod indignum est, quando jusserit Imperator? Quid ergo irascuntur nescio quibus traditoribus ad causam nostram non pertinentibus? Codices enim Dominicos persecutoribus dare, utique indignum est: quod cum fecit traditor, non habet crimen, quia jusserat Imperator. Hoc dicimus, non secundum veritatem, sed secundum ipsorum perversitatem. Ipsi enim dixerunt: publica gesta proclamant, apud acta dixerunt. Non quilibet ignotus, sed Carthaginensis episcopus eorum Primianus hoc dixit. Primianus hoc scriptum magistratui Carthaginis dedit, et a diacono suo dicendum apud acta mandavit: « Indignum est ut in unum conveniant filii martyrum et progenies traditorum. » Ecce convenimus in unum, quid ad ista respondent? Si dicunt, non est indignum: quare mentiti sunt, quando indignum esse dixerunt? Si dicunt, indignum est: quod indignum est quare fecerunt? Uno modo se poterunt asserere, quod indignum est non fecisse, et in illis Primiani verbis non

fuisse, mentitos, si dicant, Indignum est quidem ut in unum conveniant filii martyrum et progenies traditorum, sed nos ideo vobiscum in unum convenimus, quia cognovimus vos non esse progeniem traditorum. Quod si ita est, quare nobis jam convenientes in unum, ipsas calumnias objecerunt, nisi forte ut etiam nos eos cognosceremus non esse filios martyrum? Martyres enim testes dicuntur, testes autem Christi, veri testes sunt. Isti autem falsi testes inventi sunt, qui traditionis crimina et aliena aliis objecerunt, et nec ipsa probare potuerunt.

II. Quid adhuc attenditis humana mendacia, et divina testimonia non attenditis? Quid adhuc victis hominibus creditis, et veritati quæ nunquam est victa non creditis? Veritas enim Dei, sicut in ipsa etiam Collatione probavimus, perhibuit testimonium Ecclesiæ suæ per multa documenta Scripturarum sanctarum, per prophetica et evangelicas litteras : et locus designatus est, unde Christi Ecclesia fuerat incœptura; et fines terræ, quo usque fuerat perventura. Per omnes gentes futuram Ecclesiam suam Dominus dicit, incipientem ab Jerusalem [1]. Divina lectio recitatur, quemadmodum cœperit ab Jerusalem, ubi primum congregatis fidelibus missus est de cœlo Spiritus sanctus [2]. Divinæ lectiones recitantur, quemadmodum se ab Jerusalem per vicina et longinqua diffuderit. Expressa sunt nomina locorum, manifestata sunt nomina civitatum, in quibus Ecclesia Christi Apostolico labore fundata est. Quæ loca et civitates etiam epistolas ab Apostolis accipere meruerunt : quas Epistolas et ipsi in vestris congregationibus legunt, et tamen non communicant eorum locorum et civitatum Ecclesiis, quæ ipsas Epistolas accipere meruerunt, objicientes eis nescio quæ crimina Afrorum, quod eorum contagione perierint; cum ipsi dixerint in

[1] Luc. XXIV, 47. — [2] Act. II, 1,

hac ipsa Collatione, quam modo Carthagini habuimus : « Quod nec causæ causa, nec personæ persona præjudicet. »

III. Tunc autem hoc dixerunt, quando eis diximus : Concilium quod contra Cæcilianum profertis, sic non obest absenti Cæciliano, quemadmodum concilium quod in causa Maximiani factum est, ubi damnatus est Primianus, non obest absenti Primiano. Protulerunt enim ibi septuaginta et quod excurrit episcopos, qui absentem damnaverunt Cæcilianum, cum proferantur plus minus centum episcopi partis ipsorum, qui damnaverant absentem Primianum. Quia ergo diximus, eis sicut illud non obesse Cæciliano, quemadmodum hoc non obest Primiano, quoniam contra absentes facta sunt ambo concilia : continuo non invenientes quæ responderent, et horribiles angustias passi, dixerunt : « Nec causam causæ, nec personam præjudicare personæ : » quod adversus omnes humanas calumnias in ore habet catholica Ecclesia, nunc autem multo fortius multoque liberius, quando id quod semper veritas tenuit, etiam inimicorum confessio confirmavit. Quis ergo sine tristitia perferat gravi? Quis gemitum cohibeat? Quis non in lacrymas et in vocem doloris erumpat, qui hoc digne consideraverit? Ecce ut ab episcopis partis Donati damnatus Primianus non amittat episcopatum, aut ut Primianus non damnatus non inquietet partem Donati, nec causæ causa, nec personæ persona præjudicat : ut autem Cæcilianus, quem absentem inimici similiter damnaverunt, non deputetur episcopus, et contaminet omnes christianas gentes usque ad terminos terræ, et causæ causa, et personæ persona præjudicat.

IV. Sed voce ipsius unitatis clament Ecclesiæ Ponti, Bithyniæ, Asiæ, Cappadociæ, cæterarumque orienta-

lium regionum, ad quas beatus Petrus apostolus scrbit : O pars Donati, non novimus quid dicatis, quare nobis non communicatis [1] ? Si Cæcilianus mali aliquid fecit, quod nobis non probatum est nec demonstratum, tamen si mali allquid fecit, quare nobis præjudicat? Si nos audire non vultis, vos ipsos audite dicentes : « Nec causæ causa, nec personæ persona præjudicat. » An usque adco potest vestra perversitas, ut hæc verba valeant ne vobis præjudicet Primianus, et hæc verba non valeant ut nobis præjudicet Cæcilianus? Clament etiam similiter Ecclesiæ orientales septem ad quas scribit apostolus Joannes, Ephesi, Smyrnæ, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, Laodiciæ, Pergami [2]; et dicant : Quid vobis fecimus, fratres, qui potius Donati quam nostræ communionis esse voluistis? Si Cæcilianus peccavit, quamvis et ipsius crimen non potuistis ostendere, quia sicut Primianus vester, sic absens etiam iste damnatus est : verumtamen qualiscumque ille fuerit, nos vobis quid fecimus? Quare Christiani cum Christianis pacem habere non vultis? Quare in nobis communia sacramenta rescinditis? Quid vobis fecimus? Quare Primiani causa non præjudicat parti Donati, nisi quia verum est quod dixistis : « Nec causæ causa, nec personæ persona præjudicat? » Quare ergo causa Cæciliani præjudicat hæreditati Christi, in qua sumus Apostolorum labore plantati? Ad unam nostrum scribit apostolus Joannes. quod habeat pauca nomina in Sardis [3], eorum qui non inquinaverunt vestimenta sua ; nec tamen ab eis qui in ipsa Ecclesia immundi fuerunt, illorum paucorum vestimenta polluta sunt : quoniam verum est quod dixistis nec causam causæ, nec personam præjudicare personæ. Quomodo ergo potest causa et persona Cæciliani præjudicare nobis? Aut si non præjudi-

[1] 1 Petr. 1, 11. — [2] Apoc. 1, 11. — [3] Id. III, 4.

cat, quare separamini a nobis? Dicant etiam Ecclesiæ ad quas Paulus apostolus scribit; Romanorum, Corinthiorum, Philippensium, Colossensium, Thessalonicensium; nam de Galatia et Epheso supra jam dictum est : dicant ergo et istæ, Litteras ad nos datas, fratres, quotidie legitis, qui vultis adhuc esse de parte Donati. In ipsis Epistolis per nomen pacis nos Apostolus salutavit, dicens: «Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo.» Quare pacem in nostris Epistolis legendo didicistis, et eam nobiscum tenere noluistis? In tam longinquis terris trans mare positis Afrum nobis objicitis Cæcilianum : certe verum est quod dixistis : « Nec causæ causa præjudicat, nec personæ persona. » Quæ est ista privata et peculiaris sanctificatio, qua vobis licet ut Afræ parti Donati causa non præjudicet Afri Primiani, nec personæ Primiani Carthaginensis præjudicet persona Mustitani Feliciani, et ad nos Africana præjudicia tam longe mittantur ut præjudicet causa Cæciliani?

V. Dicat etiam catholica ecclesia in ipsa Africa constituta et per pacem atque unitatem Christi illis omnibus communione copulata : dicat etiam ipsa, Nec mihi Cæciliani causa præjudicat, contra quem absentem septuaginta episcoporum est prolata sententia; quia non præjudicat Ecclesiæ quæ toto orbe diffunditur in cujus communione permaneo : aut certe præjudicet parti Donati causa Primiani, quem sui collegæ similiter absentem numerosiore concilio damnaverunt. Si autem ideo non præjudicat, quia nec causa causæ, nec persona personæ, multo magis servanda est ista justitia erga unitatem catholicam Christi, si eam servari erga se postulat pars Donati. Hoc Ecclesia catholica in Africa constituta proclamat : O pars Donati, tu ista verba dixisti, tu ista verba tua recognovisti, tu istis verbis etiam subscripsisti, « Nec

causa causæ, nec persona personæ præjudicat. » Ego inter spiritus olim requiescentium recito Cæcilianum, tu adhuc vides et tecum habes in corpore Felicianum, a quo damnatus est Primianus. In ipsa Primiani causa Felicianum damnasti, et eum postea sicut erat, episcopum Primiano tibique sociasti. Si tantum valet quod nec causa causæ præjudicat, nec persona personæ, ut tibi non præjudicet hodie tecum viventis communio Feliciani, mihi quomodo præjudicat olim defuncti memoria Cæciliani ?

VI. Quid ad ista respondent, qui vobis adhuc jactant inania, et suæ saluti, si non se correxerint, nocitura mendacia ? Quid adhuc dicunt nos judicem corrupisse, ut pro nobis sententia proferretur ? Numquid et tanti apud vos meriti[1] episcopum præclarissimum defensorem corrupimus, ut pro nobis talia loqueretur ? Hoc enim agebamus omnibus viribus, hoc instabamus, ut Cæciliani causa atque persona, qualiscumque ille fuerit, ad causam et personam Ecclesiæ, quam Deus suis sanctis testimoniis roboravit, non pertinere ostenderetur. Hoc agebamus etiam similitudinibus Evangelicis, ut causa et persona zizaniorum non præjudicaret causæ et personæ tritici, quamvis in eodem agro eadem pluvia simul crescerent usque ad messem, quando separari oporteret : ut causa et persona paleæ non præjudicaret personæ frumenti, quamvis in eadem area simul triturarentur, donec novissima ventilatione separarentur : ut causa et persona hœdorum non præjudicaret causæ et personæ ovium, quamvis communibus pascuis utraque pecora permixta serventur, donec a pastore summo, in judicio novissimo, alii ad sinistram, alii ad dexteram segregentur: ut causa et persona piscium malorum non præjudicaret causæ et personæ piscium bonorum, quamvis intra ea-

[1] Indicare videtur Emeritum.

dem retia tenerentur in extremo littore separandi, hoc est, in fine maris, quod significat finem sæculi. Quibus parabolis et figuris Ecclesia prænuntiata est usque ad finem sæculi bonos et malos simul habitura [1], ita ut mali bonis obesse non possint, cum vel ignorantur, vel pro pace et tranquillitate Ecclesiæ tolerantur, si eos prodi aut accusari non oportuerit, aut aliis bonis non potuerint demonstrari : ita sane ut nec emendationis vigilantia quiescat, corripiendo, degradando, excommunicando, cæterisque coërcitionibus licitis atque concessis, quæ salva unitatis pace in Ecclesia quotidie fiunt secundum præceptum Apostolicum charitate servata, qui dixit : « Si » quis autem non obaudit verbo nostro per Epistolam, » hunc notate, et nolite commisceri cum eo, ut erubescat, » et non ut inimicum existimetis, sed corripite ut fra» trem [2]. » Sic enim et disciplina servat patientiam, et patientia temperat disciplinam ; et utrumque refertur ad charitatem, ne forte aut indisciplinata patientia foveat iniquitatem, aut impatiens disciplina dissipet unitatem.

VII. Ista cum fiunt a bonis, non inquinantur a malis ; quia nec eorum peccatis consentiendo communicant, et ab eis, et si non corporali segregatione, tamen spiritali vitæ dissimilitudine et morum diversitate discedunt, eo modo obedientes præcepto Dominico quo ait : « Dis» cedite inde, et immundum ne tetigeritis [3]. » Nam qui hoc non spiritaliter observandum putant, arrogantia vanitatis in illud incidunt quod per eumdem Prophetam Dominus detestatur dicens : « Qui dicunt, noli me tan» gere, quoniam mundus sum [4], » hic fumus indignationis meæ. Hoc episcopi vestri faciendum putaverunt, quando utrisque nostrum a judice oblato consessu, nobis-

[1] Matth. XIII, 49. — [2] 2 Thess. III, 14. — [3] Isaï. LII, 11. — [4] Id. LXV, 3.

cum sedere noluerunt, dicentes scriptum sibi esse, ne cum talibus sedeant, illud utique non spiritaliter, sed carnaliter intelligentes quod in Psalmo positum est : « Et » cum impiis non sedebo [1] : » et tamen fecerunt quod in eodem ipso loco Psalmi pariter prohibetur. Nam ibi dicit Propheta : « Et cum iniqua gerentibus non introibo [2]. » Si ergo quia nos iniquos vel noverant vel putabant, ideo nobiscum sedere noluerunt, quare, quod similiter prohibetur nobiscum introierunt, ex parte sancti, ex parte polluti : nisi quia Scripturas sanctas non intelligendo et carnaliter sapiendo ipsam unitatem dissipaverunt?

VIII. Non itaque polluunt mali bonos in eodem agro, in eadem area, in eisdem pascuis, in eisdem retibus constituti ; quia non eis communicant boni, sed altari et sacramentis Dei. Communicant autem malis, qui consentiunt factis malorum. Scriptum est enim : Non solum qui faciunt ea, verum etiam qui consentiunt facientibus [3]. Cum vero mali pacis conservandæ necessitate tolerantur, non iniquitatis communicandæ societate appetuntur, ut cum zizaniis triticum suavem pluviam pariter bibat, servet tamen ubertatem suam, nec convertatur in zizaniorum sterilitatem, sed utrumque simul usque ad messem crescat, ne forte cum colliguntur zizania [4], eradicetur simul et triticum, nullam cum bonis habent mali participationem salutis vel perditionis. « Quæ enim participatio jus- » titiæ cum iniquitate [5]? » Nullam cum bonis habent mali societatem regni, aut ignis æterni. Quæ enim societas luci ad tenebras? Non habent mali cum bonis consonantiam vitæ ac voluntatis. Quæ enim consonantia Christi ad Belial? Non habent boni cum malis partem, nec in pœna criminis nec in præmio pietatis. Quæ enim

[1] Psal. xxv, 5. — [2] Ibid. 4. — [3] Rom. I, 32. — [4] Matth. XIII, 29. — [5] 2 Cor. VI, 14.

pars fideli cum infideli? Et cum intra eadem retia donec ad littus perveniant, pariter divina sacramenta percipiunt, isti sociantur, illi dissociantur; isti consonant, illi dissonant; isti habent partem cum misericordia, illi cum judicio: quoniam misericordiam et judicium cantat Ecclesia Domino[1]: et qui manducat indigne, judicium non alteri, sed sibi manducat[2]. De ipso quippe pane, et de ipsa Dominica manu et Judas partem, et Petrus accepit: et tamen quæ societas, quæ consonantia, quæ pars Petro cum Juda? Quoniam nec causa causæ præjudicat, nec persona personæ.

IX. Sive ergo exeant, de quibus scriptum est: « Ex » nobis exierunt, sed non erant ex nobis[3]: » sive intus esse videantur, de quibus beatus Cyprianus apertissime loquitur, dicens: Nam etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Quibus verbis episcopi vestri nihil omnino ausi sunt respondere, quamvis diu frustra contenderent: « Quod non in Ecclesia prædicta sint futura zizania, quia dixit Dominus, Ager est hic mundus: nec dixit: Ager est Ecclesia[4]. » Nos autem mundum pro Ecclesiæ significatione positum dicebamus, sicut etiam Cyprianus intellexit, quia per totum mundum futura præfigurabatur Ecclesia. Unde illi dicebant: » Mundum semper in malam significationem positum: » et testimonia de Scripturis dabant, quia scriptum est: « Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo[5]: » et cætera talia. Nos vero non solum in malam, sed etiam in bonam significationem mundum in Scripturis positum respondebamus, et commemorabamus inter alia etiam

[1] Psal. c, 1. — [2] 1 Cor. xi, 29. — [3] 1 Joan. ii, 19. — [4] Matth. xiii, 38. — [5] 1 Joan. ii, 15.

illud quod scriptum est : « Deus erat in Christo mundum » reconcilians sibi [1] : » qui utique non sibi reconciliat nisi Ecclesiam. Sive ergo exeant mali, sive intus vel ignorentur, vel videantur, hoc agit misericordia et justitia Dei, ut sibi ad mala non consentientibus bonis mali non obsint, sed utrique propriam sarcinam portent : ut nec filius accipiat peccata patris, nisi eum fuerit in malis imitatus ; sed anima quæ peccaverit, ipsa moriatur [2]. Cum ergo quisque malis consentit ad malum, jam unam causam habet cum eis, et totius societatis malorum fit una persona : ac per hoc cum simul pereunt simulque damnantur, causa sua et persona sua cuique præjudicat, non aliena. Cum vero boni et mali idem verbum Dei simul audiunt, et simul Dei sacramenta percipiunt, et tamen dissimiles habent actuum suorum causas, et dissimiles gerunt voluntatis diversitate personas, eumdem cibum sanctum aliis manducantibus digne, aliis indigne, nec causa causæ præjudicat, nec persona personæ.

X. Ac per quod quæcumque testimonia divinarum Scripturarum episcopi vestri commemorare potuerunt, quibus ab omni malorum hominum permixtione pura prænuntiabatur Ecclesia, non qualis nunc est illis tessimoniis prænuntiabatur, sed qualis post istam mortalitatem in vita æterna futura est. Et quæcumque testimonia Scripturarum posuerunt de filiis, quos merito parentum imitando malitiam, unam cum eis causam habere voluerunt : quod non intelligentes divina testimonia secum pugnare cogebant, nec utrasque voces Dei pro diversitate temporum, causarum, personarumque distinguentes in concordiam redigebant, sed sicut contra nos ipsi, ita etiam volebant inter se ipsa divina documenta pugnare. Nec mirum si pacem Scripturæ Dei non intel-

[1] 2 Cor. v, 19. — [2] Ezech. xviii, 4.

ligebant, qui pacem cum ejus Ecclesia non habebant.

XI. Nos autem utraque accipientes testimonia, demonstrabamus utrorumque concordiam. Nam et illud accipiebamus, quod in suis litteris commemoraverunt Ecclesiæ dictum esse : « Nec adjiciet ultra per te transire » incircumcisus et immundus[1] : » et illud quod scriptum est : « Sinite utraque crescere usque ad messem[2] : » sed hoc esse in agro, illud futurum in horreo. Denique et ipsi qui diu contenderunt, dicentes : « Zizania quæ cum cum tritico simul crescere usque ad messem permissa sunt, non in Ecclesia, sed in mundo esse, » contra intellectum martyris Cypriani, qui dixit : « Et si videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus[3]. » Et nolentes consentire mundi nomine Ecclesiam posse significari, contra verba Apostoli qui dixit : « Deus erat in Christo mundum » reconcilians sibi[4] : » et contra ipsius verba Domini qui dixit : « Non venit Filius hominis ut judicet mundum, » sed ut salvetur mundus per ipsum[5] : » neque enim reconciliari Deo et salvari per ipsum mundus potest, nisi mundi nomine intelligatur Ecclesia, quæ sola per eum Deo reconciliata salvatur : tamen in illa similitudine quam ex Evangelio commemoravimus, quod et boni et mali pisces[6], quo usque in littore, hoc est, in fine sæculi separentur, intra eadem permixti retia continentur, victi evidentia veritatis malos in Ecclesia usque in finem sæculi permixtos esse confessi sunt; sed eos occultos esse dixerunt, quoniam sic a sacerdotibus ignorantur, quemadmodum pisces intra retia cum adhuc in mari sunt, a piscatoribus intra retia non videntur. Quomodo ergo tes-

[1] Isaï. LII, 1. — [2] Matth. XIII, 30. — [3] Epist. ad Max. — [4] 2 Cor. V, 19. — [5] Joan. III, 17. — [6] Matth. XIII, 47.

timonium propheticum, quod in sua responsione posuerunt, quod Ecclesiæ dictum est : « Non adjiciet ultra per » te transire incircumcisus et immundus[1], » ad hoc tempus pertinere intelligitur, quando Ecclesia retibus comparata est, quibus in mari adhuc positis pisces malos bonis permixtos vel occultos esse confessi sunt? Unde manifestum est nonnisi in futuro sæculo post judicium nullum incircumcisum et immundum per Ecclesiam transiturum. O violentia veritatis, quæ suos, non in carne, sed in corde torquet inimicos, ut eam confiteantur inviti?

XII. Ecce manifestatum est quod dicebatur a nobis, distinguenda esse tempora Ecclesiæ : non eam nunc esse talem, qualis post resurrectionem futura est : nunc malos habere permixtos, tunc omnino non habituram : ad illam ejus puritatem, non ad hujus temporis permixtionem illa divina testimonia pertinere, quibus eam Deus prædixit ab omni malorum permixtione penitus alienam. Ecce etiam ipsi veritate evangelica non aliud coacti sunt confiteri, qui malos occultos nunc ei permixtos esse dixerunt. Ecce nunc transit per illam, licet occultus, immundus : non est ergo tempus quod prædictum est, dicente Propheta : « Non adjiciet ultra per te transire incircumcisus et im- » mundus[2] : » nunc ergo transeunt vel occulti. Nam et hoc ipsum quod ait : « Non adjiciet ultra, » ostendit eos prius solere transire, sed ultra non transituros. Et a nobis invidiose requirebant, quomodo potuerit in Ecclesia Christi diabolus seminare zizania, cum ipsi faterentur in Ecclesia malos saltem occultos esse permixtos, nec vellent attendere a diabolo utique seminatos.

XIII. Hoc ipsum etiam quod sibi acutum invenisse videbantur, contra se potius proferebant. Si enim Dominus propterea retibus bonos et malos pisces pariter con-

[1] Isaï. LII, 1. — [2] Ibid.

gregantibus Ecclesiam comparavit; quia malos in Ecclesia non manifestos, sed latentes intelligi voluit, quos ita nesciunt sacerdotes, quemadmodum sub fluctibus quid ceperint retia nesciunt piscatores : propterea ergo et areæ comparata est, ut etiam manifesti mali bonis in ea permixti prænuntiarentur futuri. Neque enim palea quæ in area est permixta frumentis, etiam ipsa sub fluctibus latet, quæ sic omnium oculis est conspicua, ut potius occulta sint in ea frumenta, cum sit ipsa manifesta. De hac autem areæ similitudine, quia et ipsam inter cæteras ex Evangelio posueramus, nihil in litteris suis contra nos scribere potuerunt, nisi Jeremiam prophetam dixisse : « Quid paleis ad triticum[1] ? » Quod ideo dixit, quia similia non sunt, non quia permixta esse non possunt; quia in horreo non simul erunt, non quia in area pariter non triturantur. Quanquam Jeremias cum hoc diceret, non agebat de populo Dei, sed de somniis hominum et visionibus Prophetarum : quia hæc duo nulla similitudine comparanda sunt, sicut plenitudini tritici inanitas paleæ non potest comparari.

XIV. Tentaverunt sane episcopi vestri negare scriptum in Evangelio, quod areæ sit Ecclesia comparata : sed mox Evangelicorum verborum commemoratione convicti ad id se converterunt, ut etiam ibi dicerent occultos malos significatos, non manifestos, de quibus scriptum est : « Veniet ferens ventilabrum in manu sua, et » mundabit aream suam; frumenta recondet in horreo, » paleas autem comburet igni inextinguibili[2]. » Vos itaque judicate, aperite oculos, aures intendite veritati : si propterea, sicut ipsi dixerunt, Dominus Ecclesiam retibus comparavit, quia non manifestos, sed latentes in ea malos intelligi voluit, quos ita non vident sacerdotes,

[1] Jerem. XXIII, 28. — [2] Matth. III, 12.

quemadmodum pisces intra retia sub fluctibus non vident piscatores : numquid et area sub aqua vel sub terra triturator? aut certe nocturnis horis, non in sole conteritur, aut in ea rusticus cæcus operatur? Quanto ergo melius se ipsos corrigunt, quam Evangelia sancta pervertunt, et ad vanum suæ mentis errorem eloquia Dominica detorquere conantur. Aut enim et illa piscium similitudo non propter occultos, sed tantum propter mixtos in Ecclesia malos a Domino posita est : aut certe singulis rebus propriæ similitudines datæ sunt, de piscibus propter occultos, de area propter manifestos malos; quod sicut illi ante littus, sic isti ante ventilabrum bonis in Ecclesia misceantur. Ipsi enim nos admonent, ut in area paleam manifestos in Ecclesia malos intelligamus, qui pisces reprobos intra natantia retia propter occultos malos intelligi volunt, quia sicut illos nesciunt piscatores, sic istos nesciunt sacerdotes. Cur enim non dicamus : Sic ergo et palea manifesti sunt mali, quia in aperto eam vident trituratores? Sed sicut illi non possunt ante littoris exitum separi, sic nec illa potest ante finem debitum ventilari. Custodit autem Deus innocentiam sanctorum et fidelium suorum, sicut piscium bonorum, sicut pinguium frumentorum, ut intra ista retia non eis noceant permixta genera reprobanda, et in ista area non eis noceat permixta palea ventilanda : quia sicut ipsi dixerunt, relegerunt, subscripserunt : « Nec causæ causa, nec personæ poterit præjudicare persona. »

XV. Hæc verba se negarent forte dixisse, nisi sua possent subscriptione convinci. Ecce quam diligenter actum est pro salute vestra, ut verbis nostris subscriberemus : quod fieri omnino nolebant, et ut facerent tandem aliquando pudore compulsi sunt. Nam extant verba eorum, ubi hoc facere recusarunt : et rursus alia verba, ubi hoc

facere consenserunt, quod primo negaverant. Omnia scripta sunt, omnibus subscriptum est. Ideo enim videbantur nolle subscribere, ut negare se possint dixisse quod dixerant, et de gestis corruptis judici calumniari. Quod modo quia non possunt, dicunt ipsum esse corruptum : qui ut contra illos judicaret, nonnisi ipsi fecerunt, qui contra se ipsos pro nobis tanta dixerunt : quæ ut negare non possent, etiamsi coacti et inviti, suis tamen prosecutionibus subscripserunt. Ideo ergo nolebant subscribere, ut liceret eis per calumniam corruptorum gestorum negare quod dixerant : et ideo postea instante judice consenserunt, quia sentiebant omnibus apparere, nihil se aliud indicare nolendo subscribere, nisi se verba sua ne sibi legerentur timere. Maluerunt enim prosecutiones suas quibuscumque nebulis postea defendere, quam eas tam cito damnare.

XVI. Sed videte, rogamus vos, quemadmodum ipsa sua defensione se pejus implicent, et agant causam nostram, et omnino perimant suam. Nam post Collationem, posteaquam victi appellare voluerunt, objecta sunt eis hæc verba : et ea conantur pejore sua implicatione defendere, quando ab eis quid egerint quæritis. Ita enim vos putant cor non habere, ut non intelligatis eos omni modo esse superatos; quando vobis ea dicunt, quæ omnino non dicerent, si aliquid utile quod dicerent, invenirent. Quis enim ferat victos homines conqueri, quod nocte contra eos est prolata sententia : quasi non sæpe judices audiendi necessitas teneat, ut usque ad multam partem noctis sedere cogantur? Aut ideo non est verum quod dicitur, quia per noctem dicitur? Nec audiunt Scripturam clamantem : « Per diem mandavit Dominus mise-» ricordiam suam, et nocte declaravit[1]. » Et iterum :

[1] Psal. XLI, 9.

« Ad annuntiandam mane misericordiam tuam, et veri-» tatem tuam per noctem[1]. » Aut quod dixerunt, nocte venisse ad Dominum tenendum persecutores, non attendentes quoniam ipsis nocturnis horis etiam Dominus veritatem suis Discipulis prædicavit; nec advertere voluerunt, quod scriptum est, apostolum Paulum usque ad medium noctis produxisse sermonem[2]. Si haberent verum quod dicerent, nox eos impedire non posset. Sed sane tenebrosissimam noctem in suis mentibus patiebantur, quando contra seipsos tanta proferebant, nec ad veritatis lucem perversum animum corrigebant. Et adhuc utique dies erat, quando nobis forensi more de tempore præscribebant, dicentes causam lapsam esse, et agi jam omnino non posse : nec intelligentes nihil se hominibus ostendisse, nisi quantum timuerint ne ageretur, ubi eorum perversitas et catholica veritas monstraretur.

XVII. Adhuc dies erat, quando volentes destruere judicium Romani episcopi Melchiadis, quo purgatus et absolutus est Cæcilianus, etiam ipsum Melchiadem traditorem fuisse dixerunt. Cujus criminationis cum ab eis esset exacta probatio, gesta prolixissima recitarunt, ubi Melchiadis nomen, quod aliquid tradiderit, non fuit. Et recitaverunt etiam alia gesta, ubi legebatur Melchiadem misisse diaconos cum litteris Maxentii imperatoris et præfecti prætorio ad præfectum urbis, ut reciperent loca quæ fuerant a Christianis tempore persecutionis ablata. Ubi cum Melchiadis crimen nullum penitus appareret, dixerunt superioribus traditionis gestis traditorem Stratonem fuisse recitatum, quod vocabatur unus etiam ex diaconis, quos ad recipienda loca miserat Melchiades, eumdem ipsum esse contendentes et non ostendentes. Neque enim Stratonem qui tradiderat, saltem diaconum fuisse

[1] Psal. xci, 3. — [2] Act. xx, 7.

monstrabant. Quod etiam si esset, respondimus eis, ante parvum tempus in eodem clero Ecclesiæ Romanæ duos Petros diaconos fuisse. Ita mente cæci, tenebrosas calumnias innectebant, addentes etiam manifestissimam falsitatem, quod non solum nomen, sed etiam loca et regiones et personæ convenirent, quibus non alius, sed ipse esse Straton ostenderetur : cum in illis gestis omnino nihil conveniens, præter similitudinem nominis, legeretur; qua plena est consuetudo generis humani, ut non solum duo, sed etiam plures homines uno nomine vocitentur. Nam ipsi quoque Donatum suum Carthaginensem, ne in judicio Melchiadis ipse putaretur esse damnatus, quem multi pro magno habent, a Donato Casensi distinguendum esse clamaverunt, quia Donatus Carthaginensis contra Cæcilianum missus fuerat ad Melchiadis episcopale judicium : tam crassam noctem in corde gestantes, ut Donatum infamari nollent similitudine nominis sui, et Melchiadem maculari vellent similitudine nominis alieni. Nunc autem Stratoni etiam Cassiani nomen addere dicuntur, quod in Collatione tacuerunt, quasi Straton solus cognominalem habere potuisset, et Cassianus non potuerit. Nec attendere potuerunt interna sua nocte impediti, non solum duos Joannes, unum Baptistam, alterum Evangelistam, sed etiam duos Simones, unum Petrum, alterum Magum : in ipsō denique tam parvo numero Apostolorum, non solum duos Jacobos, unum Alphæi, alterum Zebedæi; sed etiam duos Judas, unum sanctum, alterum diabolum; cui tamen Judæ apostolo sancto quisquis similiter mente cæcus de crimine Judæ traditoris calumniaretur, non nisi istos imitaretur. Non enim mirum est, si tales istos calumniatores post tam longum tempus patitur existimatio Melchiadis de duobus Cassianis, vel de duobus Stratonibus, quales evangelica

veritas patitur de duobus Herodibus. Nam quia non est expressum quis Herodes pro Christo occisis infantibus continuo mortuus fuerit, et quis Herodes cum Pilato Dominum persecutus sit; putantes unum fuisse, objiciunt Evangelio crimen falsitatis : sicut isti putantes unum fuisse Stratonem vel Cassianum, objiciunt Melchiadi maculam traditionis. Et tamen illi tolerabilius errant, quia non solum nomen, verumetiam dignitas consonat, uterque enim legitur rex Herodes : isti autem dignitatem consonare mentiti sunt, quia utrosque fuisse diaconos nullo modo legere potuerunt.

XVIII. Adhuc dies erat, quando Cirtense concilium, si tamen concilium dicendum est, in quo vix undecim vel duodecim episcopi fuerunt, unde recitavimus traditores fuisse quosdam, qui cum Secundo Tigisitano contra Cæcilianum sententias protulerunt, falsum volentes ostendere, dixerunt persecutionis tempore non potuisse in aliquam domum illos undecim vel duodecim episcopos congregari : et ut probarent tempus fuisse persecutionis, protulerunt martyrum gesta, ut diebus et consulibus consideratis, quod tempus fuerit, appareret. Quæ martyrum gesta, contra se ipsos protulisse convicti sunt. In eis quippe gestis manifestatum est illo tempore persecutionis christianas plebes solitas congregari. Unde constitit non esse incredibile, quod etiam illi episcopi in privatam domum similiter convenisse legebantur, ut plebi quæ poterat, sicut gestis martyrum continebatur, etiam persecutionis tempore congregari, occulte ordinaretur episcopus, qui posset sibi etiam ipse occulte clericos ordinare in tanta necessitate, ubi anterior episcopus cum clero lapsus, per epistolam ipsius Secundi, quæ ab istis allegata est, monstrabatur. Ex his martyrum gestis quæ ipsi proferebant, admoniti sumus et in alia gesta marty-

rum intendere; et invenimus, et diximus, fervente tempore persecutionis, et privatam domum, quod illi fieri potuisse negaverant, congregationi Christianorum fuisse concessam, et in carcere fuisse martyres baptizatos: ut viderent quam non esset incredibile tempore persecutionis in privatam domum paucos episcopos congregari, quando et in ipso carcere celebrabantur sacramenta Christi, in quo inclusi homines tenebantur pro fide Christi. Quantum nos ergo adjuverint gesta martyrum proferendo, quis non videat, qui non similem noctem habet in corde, qualem illi habebant, qui hoc non videbant?

XIX. Qui etiam hinc gestis ipsis Cirtensibus calumniabantur, quia ibi dies et consules legebantur; et exigebant a nobis, ut aliqua ecclesiastica concilia proferremus, ubi dies recitarentur, et consules. Ipsi enim Carthaginense concilium factum sine die et consule proferebant. Dicebant enim etiam concilium Cypriani consules non habere: ubi tamen legitur dies; in illo autem ipsorum Carthaginensi nec dies. Nos autem, quod in manibus erat, Romanum concilium Melchiadis, sicut illud Cirtense, et diem habere demonstrabamus et consules. Neque enim tunc ad horam antiqua archiva ecclesiastica discutienda nobis fuerunt, unde ista consuetudo etiam veterum fuisse doceretur. Nec tamen inanes eis etiam nos calumnias movere voluimus, quare in Cypriani concilio dies inveniretur, in ipsorum autem non inveniretur: quia illi vanas moras volebant innectere, quas nos conabamur avertere. Nam etiam hoc exigebant, ut de Scripturis sanctis ostenderemus alicubi dies et consules esse conscriptos: quasi episcoporum concilia Scripturis canonicis aliquando fuerint comparata; aut possent etiam ipsi de Scripturis sanctis proferre concilium, ubi Apostoli judi-

ces sederint, et accusatum aliquem vel damnaverint, vel absolverint. Et tamen respondimus eis, etiam Prophetas libros suos prænotatis et definitis commendasse temporibus, quo anno, cujus regis, quoto mense anni, quoto die mensis factum super eos fuerit verbum Domini : ut ostenderemus quam inaniter et calumniose de diebus et consulibus episcopalium conciliorum quæstiones vanissimas excitarent. Fieri enim potest, ut in codicibus sit ista varietas, dum alii etiam dies et consules diligentia majore describunt, alii tanquam superfluum prætermittunt. Sicut etiam codex de quo primum legimus judicium Constantini, quo inter partes Cæcilianum innocentem, illos autem calumniosissimos pronuntiavit, diem et consulem non habebat; alius autem quem contra eorum calumnias postea protulimus, habebat. Quia etiam illic invidiosissime proclamaverant, quod Imperatoris litteras sine die et consule recitavimus : et tamen etiam ipsi alias ejusdem Imperatoris litteras in causa Felicis ordinatoris Cæciliani, quas mirabili cæcitate contra se ipsos protulerunt, sine die et consule recitarunt : nec eis inde aliquid objecimus, ne similiter ut ipsi, tempora necessaria superfluis verbis occuparemus. Hæc autem modo dicimus, ut vos saltem oculos aperiatis, et tenebrosa nocte careatis, quam vestri episcopi corde gestabant, qui nocturnam sententiam cognitioni judicis objecerunt, et ipsi per diem interioribus tenebris involuti mirabili cæcitate contra se ipsos tanta dixerunt.

XX. Leguntur actis apud Carthaginis magistratum expressa verba Primiani, ubi dicit : « Quod parentes eorum nostri majores variis exiliis vexaverunt : » et in Collatione probare conantur, accusantibus majoribus suis ab Imperatore Cæcilianum exilio esse damnatum. Dicunt in litteris suis « Communionem suam esse Ecclesiam verita-

tis, quæ persecutionem patitur, non quæ facit : » et conantur ostendere Cæcilianum damnatum judicio Imperatoris persequentibus majoribus suis. Et hoc dicunt factum, non per Donatum Casensem, sed per eum quem præ cæteris prædicant Donatum Carthaginensem. Hoc enim scriptis suis per suos modo jactare dicuntur, ubi victi judicem accusant, quia noctem cordis ipsorum nocturna veritas confutavit. Donatum illum, illum, inquam, Donatum, quem dixerunt « Ecclesiæ Carthaginis ornamentum et martyrialis gloriæ virum, » sic commendare voluerunt, ut dicerent : « Quod apud imperatoris Constantini cognitionem, ipse reum et asseruerit et convicerit Cæcilianum. » Ille ergo vir gloriæ martyrialis apud Imperatoris cognitionem reum constituit et asseruit Cæcilianum, illamque cognitionem Cæciliani damnatio consecuta est : illo viro gloriæ martyrialis accusante et instante, Cæcilianus ab Imperatore damnatus est. Quod quidem nos falsum esse convicimus, qui ejusdem Imperatoris litteras, quibus se inter partes audisse et judicasse testatur, ubi Cæciliano absoluto atque purgato illorum calumnias detestatus est, prolatas de archivo publico recitavimus. Contra quas omnino quid responderent, nihil invenire potuerunt, et ad eas confirmandas contra se ipsos alia protulerunt. Proinde a majoribus eorum apud Imperatorem accusatum constitit Cæcilianum ; damnatum autem non constitit, imo etiam constitit absolutum. Sed tamen vel vos videte quantum adjuverint causam nostram episcopi vestri, qui de illa voluerunt etiam falsitate gloriari. Si enim Donatus ille vir gloriæ martyrialis apud Imperatoris cognitionem reum asseruit Cæcilianum, et illo viro gloriæ martyrialis accusante et instante Cæcilianus ab Imperatore damnatus est ; respondeant vobis, quando hæc agebantur, quis erat martyr, utrum Donatus qui

hominem apud Imperatorem persequebatur, an Cæcilianus qui illo persequente ab Imperatore damnabatur? Ubi est nunc illa definitiva regula ipsorum, « Communionem Donati, esse Ecclesiam veritatis quæ persecutionem patitur, non quæ facit? » Ecce patitur Cæcilianus, Donatus facit : quis eorum est vir gloriæ martyrialis?

XXI. Attendite, advertite, nolite in errorem perniciosum adhuc usque seduci. Veritatem quæ vobis occultabatur, Deus aperire dignatus est : falsitatem quæ vobis offundebatur, Deus confutare dignatus est : tanto ejus beneficio quare adhuc estis ingrati? Hoc est nempe, quod vobis sæpe dicebant, unde cordis vestri oculos astuta fallacia caligabant : et adhuc etiam convicti inde se jactant, inde nos lacerant, quia nos facimus persecutionem, ipsi patiuntur. Hoc eis remansit omni ex parte superatis, unde adhuc nebulas faciant imperitis, hinc se quasi ostendentes esse « Ecclesiam veritatis, quæ persecutionem patitur, non facit. » Non vos ergo adhuc fallant : hoc eis facimus, quod majores suos et ipsum quem prædicant velut martyrialis gloriæ virum, Cæciliano fecisse gloriantur. Hoc egit ille apud Imperatorem, ut convictus Cæcilianus illius judicio damnaretur : hoc et nos egimus, ut isti convicti similia paterentur. Si male fecit, quare hoc illi Donatus faciebat? Si autem recte fecit, quare hoc Catholica parti Donati non faciat? Imo recte fieri nec illi dubitant, qui hoc majores suos, quos multum laudant, fecisse gloriantur : nec nos dubitamus, qui hoc eis esse faciendum negare non possumus, ut sine effusione sanguinis, qui verbis non emendantur, aliqua mitissima pœna legum corripiantur inquieti : et si forte Imperator permotus mentis sacrilegæ pertinaciam graviore supplicio statuit esse plectendam, mitius agant judices, quibus semper licuit lenire atque emollire sententiam. Interim ergo quamvis non

possit ostendi Cæcilianum ab imperatore Constantino esse damnatum, a vobis tamen error ille sublatus est, quo putabatis eam esse veram Ecclesiam quæ persecutionem patitur, non quæ facit : fecit enim Donatus, passus est Cæcilianus. Et si persecutionem patitur pars Donati, patitur cum illa etiam pars Maximiani, quam et ipsi Christi Ecclesiam non esse confirmant. Ac per hoc et facere persecutionem non est iniquitatis indicium, quia et boni faciunt malis, et mali bonis : et pati persecutionem non est justitiæ documentum, quia eam non soli boni pro pietate, sed mali pro iniquitate patiuntur.

XXII. Restat ergo vobis errore depulso Ecclesiam Christi videre ac tenere Catholicam, non ut in ea eligatis quia persecutionem patitur. Cum enim dixisset Dominus : « Beati qui persecutionem patiuntur [1] : » ne inde se jactent hæretici, addidit, propter justitiam. Nam quanta mala nostris fecerint furiosissimi clerici et Circumcelliones partis Donati, nostis et vos. Incensæ sunt ecclesiæ, missi in flammas codices sancti, incensæ etiam privatæ domus, rapti homines de sedibus suis, et omnibus quæ inerant ablatis aut perditis, ipsi cæsi, laniati, excæcati : nec ab homicidio potuit temperari ; quamvis sit mitius huic luci morientem, quam istam lucem auferre viventi. Ventum est ad homines, non ut retenti aliquo ducerentur, sed tantum ut ista paterentur. Nec tamen nostro sideo justificamus, quia ista perpessi sunt ; sed quia pro christiana veritate, pro Christi, pace pro Ecclesiæ unitate perpessi sunt. Illi autem sub tam multis, sub tam severis legibus et sub tanta Ecclesiæ catholicæ, quam Dominus ei tribuit, potestate, quid tale patiuntur ? Si quando enim morte mulctantur, aut ipsi se occidunt, aut eorum cruentæ violentiæ dum resistitur occiduntur, non pro communione

[1] Matth. v, 10.

partis Donati, nec per errore sacrilegi schismatis, sed pro apertissimis facinoribus et sceleribus suis, quæ more latronum immani furore et crudelitate committunt. Pro parte autem Donati vix aliquid tale patiuntur, quale Cæcilianum Donato instante passum esse dixerunt.

XXIII. Aut ergo persecutio non omnis injusta est, aut non est persecutio dicenda cum justa est. Quapropter aut persecutionem pars Donati patitur justam, aut persecutionem non patitur, quia patitur juste. Non autem juste passus est Cæcilianus, quia innocens probatus et absolutus est. Quod quidem illi negaverunt, et potius ab Imperatore damnatum esse dixerunt, et ideo majores suos maximeque Donatum, a se tanta prædicatione laudatum, Cæciliano persecutionem fecisse confessi sunt. Illum autem convictum atque damnatum probare minime potuerunt: imo etiam, quod nos dicebamus, eum esse absolutum atque purgatum, ipsi quoque multa contra se ipsos legendo firmarunt. Et tamen liberum arbitrium sibi ab Imperatore concessum esse jactant. Victi atque confusi, id sibi etiam nunc flagitabant debere concedi, quod majores eorum Cæciliano non concedebant: quem sic apud Imperatorem accusarunt, quem illis accusationibus [1], ab Imperatore damnatum isti etiam mentiri voluerunt. Si voluntas libera unicuique tribuenda est, Cæciliano prius tribueretur. Si hæc non homini judici permittenda, sed Deo potius dimittenda sunt, Cæcilianus prius apud Imperatorem non accusaretur.

XXIV. Expergiscimini aliquando, non vos tartareus obliget somnus, non in profundum sacrilegi erroris adhuc impia consuetudo demergat: jam consonate paci, cohærete unitati, acquiescite charitati, cedite veritati: Ecclesiam catholicam incipientem ab Jerusalem cognoscite

[1] *Forte* accusatoribus.

usquequaque diffundi, cui non communicat pars Donati, cui causa non præjudicat Cæciliani. Toties enim purgatus, toties absolutus, etiam si non esset innocens : « Nec causa causæ præjudicat, nec persona personæ. » Hæc verba per orbem terræ universa personat Ecclesia, clamat etiam membrum illius in Africa : Testimonium Dei novi, negotium Cæciliani non novi : credo innocentem a vestris majoribus insectatum, quem lego toties absolutum : sed qualiscumque sit causa ejus, causæ meæ nihil præjudicat : qualiscumque sit persona ejus, personæ meæ nihil præjudicat. Vos hoc dixistis, vos ad hoc subscripsistis : « Nec causa causæ præjudicat, nec persona personæ. » Ecce Dominus dicit : « Per omnes gen» tes incipientibus ab Jerusalem [1] : » divinam veritatem in una Ecclesia teneamus, et humanas lites aliquando finiamus.

XXV. Numquid enim verba ista, ubi dixerunt : « Nec causam causæ, nec personam præjudicare personæ. » ullo modo post ipsam Collationem defendere potuerunt, ac non potius se multo perplexius implicarunt? Sic namque in quibusdam scriptis suis locuti sunt : « Causam causæ et personam non præjudicare personæ, a nobis, inquiunt, dictum esse memoriter recensitum est : sed alloquimur nobis non præjudicari ab iis qui a nobis vel rejecti sunt, vel damnati ; ii autem qui ex Cæciliani ordinatione descendunt, quos de prædecessore origo numerat ad reatum, quemadmodum non possint ordinatoris sui criminibus obligari, cum per seriem protensus peccatorum funis quoscumque communionis vinxerit vinculo, necesse est ut consortes faciat esse peccati? » O mira defensio! Tam densum et arctum est ubi eis adhæserunt pedes, ut eos evellere conantes, frustra et manus et caput figant,

[1] Luc. XXIV, 47.

et in eodem luto hæsitantes arctius involvantur. Ex eis enim quos vel rejecisse se, vel damnasse commemorant, hoc est, ex Maximianistis, secum habent Felicianum, et damnatorem Primiani, et a se damnatum in causa Primiani. Quid est quod funem tam longum a Cæciliano usque ad hæc tempora catholicæ Ecclesiæ implicare contendunt, et catenam suam tam in proximo non attendunt? Præclara quippe illa Bagaitana sententia de Maximiano et sociis ejus : « Trahit, inquit, ad consortium criminis plurimos catena sacrilegii. » Felicianus ergo ista catena trahebatur. Si illis non præjudicat Felicianus, quare nobis Cæcilianus? An forte ubi volunt, præjudicat, ubi autem nolunt, causæ non præjudicat causa, et pro libidine ipsorum fortior est funis antiquus, quam nova catena? Non præjudicat Maximianus Feliciano [1], a quo damnatus est, non præjudicant Maximianus et Felicianus Primiano a quibus damnatus est, non præjudicat Maximianus eis qui dilationem acceperunt, quibus in uno schismate sociatus est, non præjudicat Felicianus parti Donati, a qua in eodem honore susceptus est, nec baptismus quem in sacrilego schismate dedit, ibi destructus est : et præjudicat Cæcilianus tot christianis gentibus, qui semel damnatus est absens, quomodo Primianus, et ter absolutus est [2] præsens, quomodo non Primianus? præjudicat nobis olim defunctus ignotus : et istis non præjudicat vivus, a quibus legitur paulo ante damnatus, et quibus cernitur modo sociatus? Nobis involvitur funis Cæciliani a quibus ignoratur, et illis non involvitur catena Feliciani quorum in eum sententia recitatur, ubi ipsa catena damnatur? Illis licet dicere, Suscepimus quos damnavimus pro pace Donati, quia nec causa causæ præjudicat, nec

[1] *Forte* cum quo. — [2] Judicio Romani concilii et Arelatensis et imperatoris Constantini.

persona personæ : et nobis non licet dicere, Propter eos quos damnastis, non deserimus pacem Christi, quia nec causa causæ præjudicat, nec persona personæ? O ferream frontem, o furoris tenebras, nocturnam sententiam judici objicientes, et in sui cordis nocte palpantes, offendentes, cadentes, contra nos rabide litigantes, et pro nobis tanta dicentes.

XXVI. Insuper adhuc etiam modo commemorare audent prophetica et apostolica testimonia, quibus nos universaliter in illa Collatione respondimus, ostendentes ipsos Prophetas sanctos cum iniquis in uno templo, sub eisdem sacerdotibus, inter eadem sacramenta versatos, nec tamen a malis fuisse pollutos : quia noverant inter sanctum et immundum, non sicut isti sentiunt corporaliter populum dividendo, sed bene judicando et bene vivendo discernere. Et hoc sine intermissione faciebant, ut in illa domo magna, ubi erant sicut dicit Apostolus, alia vasa in honorem, alia in contumeliam [1], se ipsos a talibus morum diversitate mundarent, et essent vasa in honorem utilia Domino ad omne opus bonum semper parata. Sed bene, quod ipsi ex multis testimoniis, quæ litteris suis non intelligentes inseruerunt, quas in Collatione protulerunt et legerunt, tanquam præcipuum de Aggæo propheta testimonium modo post Collationem victi commemorarunt [2]. In isto ergo Propheta multo evidentius quod volumus demonstramus, quia non corporalis, sed spiritalis contactus, qui fit per consensionem ipse polluit homines, quorum causam unam facit ipsa consensio.

XXVII. Nam quando impios Dominus etiam visibili pœna perdere voluit, ipse ab eis justos admonitione separavit. Sicut Noë cum domo sua ab eis quos diluvio fuerat perditurus [3] : sicut Loth ab eis quos igne fuerat consump-

[1] 2 Tim. II, 20. — [2] Aggæi. II. — [3] Gen. VIII.

turus [1]. sicut populum suum a synagoga Abiron, quam mox fuerat extincturus [2]. Ideo et illum qui non habebat vestem nuptialem, non illi qui invitaverant, sed ipse Dominus cujus erat convivium, ligari jussit et projici [3]. Neque enim et ipse sicut piscis sub fluctibus erat, et sic ab invitatoribus, quomodo a piscatoribus videri non poterat. Proinde ne putaretur, sicut isti putant, quod velut unus in turba latenter subrepsisset ignaris, continuo Dominus in eodem ipso uno, quem ligatis manibus et pedibus in tenebras exteriores ex illo convivio projici jussit, multam societatem malorum esse intelligendam, inter quos pauciores boni in convivio Dominico vivunt, significare non distulit. Nam posteaquam dixit : « Ligate illi manus » et pedes, et projicite eum in tenebras exteriores, ibi erit » fletus et stridor dentium : » continuo subjunxit : « Multi » enim sunt vocati, pauci vero electi [4]. » Quomodo hoc verum est, cum potius unus e multis esse projectus in tenebras exteriores, nisi quia in illo uno grande corpus figurabatur omnium malorum ante Domini judicium convivio Dominico permixtorum ? A quibus se boni corde interim ac moribus separant, simul manducantes et bibentes corpus et sanguinem Domini, sed cum magna distinctione : quia isti in honore sponsi induti sunt veste nuptiali non sua quærentes, sed quæ Jesu Christi ; illi autem non habent vestem nuptialem, hoc est, fidissimam sponsi charitatem, sua quærentes, non quæ Jesu Christi. Ac per hoc, quamvis in uno eodemque convivio, isti misericordiam manducant, illi judicium : quia ipsius convivii canticum est, quod et supra commemoravi : « Misericor- » diam et judicium cantabo tibi, Domine [5]. »

XXVIII. Nec ideo tamen dormit ecclesiastica disciplina, ut corripiat inquietos. Neque enim a populo Dei

[1] Gen. XIX. — [2] Num. XVI. — [3] Matth. XXII. — [4] Ibid. 13, 14. — [5] Psal. C, 1.

separamus, quos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus. Et ubi hoc facere pacis et tranquillitatis Ecclesiæ gratia non permittimur, non tamen ideo Ecclesiam negligimus; sed toleramus quod nolumus, ut perveniamus quo volumus, utentes cautela præcepti Dominici, ne cum volumus ante tempus colligere zizania, simul eradicemus et triticum [1], Utentes etiam exemplo et præcepto beati Cypriani [2], qui collegas suos fœneratores, fraudatores, raptores, pacis contemplatione pertulit tales, nec eorum contagione factus est talis. Unde et nos si triticum sumus, ejusdem beati Martyris verba fidentissime dicimus [3] : quia etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Hæc verba justissime ac piissime dicerent majores nostri, etiam si Cæcilianum et aliquos coepiscopos ejus malos viderent, quos tamen ab Ecclesia separare non possent, propter illos quibus mali demonstrari non poterant, et eos bonos et innocentes putabant: hæc verba omnino dicerent, hoc omnino sentirent, ne cum vellent temere zizania separare, simul et triticum eradicarent.

XXIX. Quod ergo jussus est quidam Propheta nec panem manducare, nec aquam bibere in Samaria [4], quo missus fuerat ut corriperet eos, qui vaccas constituerant adorandas more idolorum Ægyptiorum, hoc omnino facere debuit quod præceperat Dominus, cui tunc eo modo illos corripere placuit, ut nihil ibi alimentorum tangeret Propheta quem miserat. Neque enim in Ecclesia non fit quotidie, quando eos quos acrius corripimus, etiam si in eorum possessione sumus, nihil ibi apud eos con-

[1] Matth. XIII, 29. — [2] Serm. de Lapsis. — [3] Epist. ad Maximinum. — [4] 3 Reg. XIII.

tingimus, ut sentiant quantum eorum peccata doleamus. Numquid tamen ideo etiam plebis discissio facienda est, ut sicut mollis herba indiscrete eradicentur infirmi, qui de cordibus hominum et ignotis factis, etiam si nobis sint cognita, judicare non possunt? Nam in ipsa Samaria et Elias et Elisæus erant, et si ipsi in solitudine, non tamen devitandorum sacramentorum causa, sed quia persecutionem ab impiis regibus patiebantur. Nam illic erant, non utique in solitudine, separata, quæ ipse ignorabat Elias, septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal [1]. Denique inter præcipuos sanctos habitus Samuel et graviter Saulem corripuit [2], et cum eo tamen ad offerendum Domino sacrificium sine excusatione perrexit : nec peccatorum ejus contagione pollutus est, sed omnino mundus meritorum suorum conservatione permansit.

XXX. Sed istam nobis quæstionem quamvis evidenter et in collatione et modo soluta sit, evidentius tamen solvat Aggæus, cujus testimonium præ cæteris elegerunt; ut solum adhuc pro omnibus jactent. Arguit Dominus per Aggæum prophetam, populum ex Babylonia residuum, ubi captivus tenebatur, quod domum Domini negligerent, et suas domos excolerent; et dicit propterea se plaga sterilitatis eorum percussisse regionem. Tunc Zorobabel filius Salathiel, et Jesus filius Josedech sacerdos magnus, et omnis ille populus divinitus inspiratus operari cœpit in domo Domini Dei sui. Sic enim eadem Scriptura dicit : « Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel » filii Salathiel ex tribu Juda, et spiritum Jesu filii Jose» dech sacerdotis magni, et spiritum residuorum omnis » populi; et introierunt et faciebant opera in domo Do» mini omnipotentis Dei sui, quarta et vicesima mensis

[1] 3 Reg. xix. — [2] 1 Reg. xv.

» sexti, secundo anno sub Dario rege [1]. » Ecce et dies et mensis et annus definitus est, quando intraverunt ad operandum in domo Dei. Credo quod illi viri, et ille populus operans in domo Dei non erat immundus, præsertim quia dixerat ei Dominus, « Ego vobiscum : » et suscitaverat spiritum eorum ad bene operandum in domo sua. Denique videte quid sequitur ; contexit enim eadem Scriptura et dicit : « Septimo mense, una et vicesima » mensis, locutus est Dominus in manu Aggæi prophetæ » dicens ad Zorobabel filium Salathiel ex tribu Juda, et » ad Jesum filium Josedech sacerdotem magnum, et ad » omnem populum residuum, dicens : Quis ex vobis qui » vidit domum hanc in claritate illa sua pristina? Et quo- » modo videtis eam modo, tanquam non sit in conspectu » vestro? Et nunc prævale, Zorobabel, dicit Dominus, et » prævale, Jesu fili Josedech sacerdos magne, et præva- » lesce omnis populè terræ, dicit Dominus omnipotens, » et spiritus meus præest in medio vestrum. Bono ani- » mo estote, quoniam hæc dicit Dominus omnipotens : » Adhuc semel, et commovebo cœlum et terram, mare » et aridam et concutiam omnes gentes, et venient om- » nia electa gentium, et implebo domum hanc, dicit » Dominus omnipotens [2] : » et cætera quæ addidit, etiam futura prophetans ; quæ de Domini nostri Jesu Christi temporibus rectius intelligi solent, cujus populus verissimum et sanctissimum est templum Dei, non etiam in eis qui permixti tolerantur, sed in eis solis qui nunc interim a talibus bene vivendo spiritaliter separantur ; post vero etiam corporaliter separandi sunt. Verumtamen illum populum, cui prophetia ista prænuntiata est, et qui tunc operabatur in domo Dei, ubi erant et illi duo, Zorobabel filius Salathiel, et Jesus filius Josedech, quo-

[1] Aggæi. I, 1. — [2] Ibid. 1-7.

modo sit exhortatus et commendatus a Domino, satis in promptu est videre in his verbis Prophetæ, quæ sicut dicta sunt, inseruimus. Numquidnam ergo istum populum immundum possumus dicere, ad quem si quis accesserit inquinabitur, cui populo dicitur : « Et nunc » prævale, Zorobabel, dicit Dominus, et prævale, Jesu » fili Josedech sacerdos magne, et prævalesce omnis po- » pule terræ, dicit Dominus omnipotens, et spiritus meus » præest in medio vestrum ? » Quis dementissimus dixerit istum esse populum, ad quem si quis accesserit, inquinabitur?

XXXI. Nunc ergo attendite quid post illam prophetiam, quæ huic populo de Christi temporibus annuntiata est, consequenter Scriptura contexat : « Quarta et vice- » sima noni mensis anno secundo sub Dario rege, factum » est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens : » Hæc dicit Dominus omnipotens. Interroga sacerdotes » legem, dicens : Si sumpserit homo carnem sanctifica- » tam in summo vestimenti sui, et attigerit summum ves- » timenti ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut » omnem escam, si sanctificabitur? Et responderunt, sa- » cerdos et dixerunt, Non. Et dixit Aggæus, Si tetigerit » inquinatus in anima aliquid horum, si inquinabitur? » Et responderunt sacerdotes et dixerunt, Inquinabitur. » Et respondit Aggæus et dixit, Sic populus hic et gens » hæc in conspectu meo, dicit Dominus, et sic opera ma- » nuum ipsorum, et quicumque accesserit illo, inquina- » bitur, propter præsumptiones eorum matutinas a facie » laborum suorum, et odio habebatis in portis arguentes. » Quis est iste populus tam immundus, ut quisquis illo » accesserit, inquinetur? » Numquid ille cui dictum est, Prævalesce, et spiritus meus in medio vestrum ? Absit ut

[1] Aggæi. I, 7-12.

ille sit. Duo igitur erant : unus immundus, et alter qui ad immundum prohibetur accedere, qui exhortabatur prævalescere, quia spiritus Dei erat in medio eorum. Si ergo duo erant, ostendantur et duo templa, unum quo iste, alterum quo ille ingrediebatur : ostendantur et altaria duo, unum in quo iste, alterum in quo ille victimas offerebat : ostendantur et sacerdotes, hujus alii, et illius alii, qui pro suo quisque populo separatim sacrificabant. Si autem quisquis hoc affirmare conatur, insanit : sic erant isti duo populi in uno populo, sub uno sacerdote magno, unum templum intrantes; sicut erant etiam sub uno Moyse quidam Deum offendentes, quidam Deo placentes, de quibus Apostolus dicit : « Non in omnibus illis » beneplacitum est Deo [1]. » Neque enim ait, In omnibus illis non est beneplacitum Deo, tanquam omnes displicuerint Deo : sed ait, « Non in omnibus illis beneplaci- » tum est Deo : » ergo in quibusdam, non in omnibus. Et omnes sub eisdem sacerdotibus erant in uno eodemque tabernaculo, in uno eodemque altari hostias offerebant : et tamen distinguebantur factis, non locis; animo, non templo; moribus, non altaribus. Sic alii ad alios non accedebant, ne ab eis inquinarentur : hoc est, eorum malis factis non consentiebant, ne pariter damnarentur. Non enim et illos malos Moyses tantus propheta nesciebant, quorum impia murmura et horrendas amaritudines quotidie sufferebat. Sed istum nescisse faciamus : namquid et Samuel Saülem nesciebat, quem per os ejus æterna sententia damnaverat Deus ? Verumtamen et ipsum et sanctum David unum Dei tabernaculum intrantes, inter eadem sacrificia videbat; sed distincte utique videbat, quia distinctos videbat; et unum eorum in æternum amabat, alium pro tempore tolerabat. Sic et Ag-

[1] 1 Cor. x, 5.

gæus noverat in uno populo duos populos unum templum intrantes, sub uno magno sacerdote viventes, et alterum ostendebat immundum, alterum et immundum accedere prohibebat : et tamen nec illos nec se ipsum ab eodem templo et ab eisdem altaribus separabat. Ergo spiritalem prohibebat accessum consensionemque factorum : quod et ipsa verba clamant, si aures adsint, quas animositas furiosa non claudat, aut strepitus variæ contentionis impediat. Ait enim Propheta : « Omnis qui accesserit illo, » inquinabitur [1]. » Vitium notavit quo accedi prohibuit, non homines ab hominibus corporali disjunctione seclusit. Accedditur autem ad vitium corruptionis, vitio consensionis.

XXXII. Ac ne quisquam diceret, illum populum, cui primo dictum est : « Prævalesce, quoniam spiritus meus » præest in medio vestrum, » paucis interpositis diebus in deterius commutatum, ut audire mereretur, « Sic po- » pulus iste et gens ista, omnis qui accesserit illo, inqui- » nabitur ; » dies enim ferme nonaginta computantur inter verba illa quæ bona in populum dicta sunt, et ista quibus ejus immunditia vitanda præcipitur : ne quis ergo hoc putaret, bonum illum populum, quamvis hoc parvo temporis intervallo tam pessimum effectum, videte quid sequitur, attendite quid dicatur eo ipso die, hoc est, vicesima et quarta noni mensis, quo die dictum est : « Sic » populus iste et gens ista, omnis qui accesserit illo, in- » quinabitur. » Cum enim hoc dixisset, et mala eorum commemorasset, quorum merito demonstrarentur immundi, addens etiam et dicens : « Odio habebatis in » portis arguentes : » continuo subjunxit : « Et nunc po- » nite in cordibus vestris a die hoc et supra, priusquam » poneretur lapis super lapidem in templo Domini; qui

[1] Aggæi. II, 14.

» eratis cum mittebatis in capsella viginti sata hordei, et » fiebant decem sata, et intrabatis in torcular exhaurire » quinquaginta amphoras, et fiebant viginti. Percussi » vos infœcunditate, et venti corruptione et grandine om- » nia opera vestra, et non estis conversi ad me, dicit Do- » minus. Constituite igitur corda vestra a die hoc et dein- » ceps, a quarta et vicesima noni mensis, et a die qua » fundatum est templum Domini, ponite in cordibus ves- » tris, si adhuc cognoscetur in area, aut si vitis, aut ma- » lum, aut ficus, aut malum granatum, et ligna olcæ quæ » non fecerunt fructum, a die hoc benedicam[1]. » Ecce ipso die etiam benedici meruerunt. Benedictio ergo hæc puto quod non pertineat ad illos, ad quorum immundi- tiam prohibet accedi, sed ad illos bonos qui prohibentur accedere. In uno ergo fuerunt et permixti et separati : permixti quidem corporali tactu, separati autem voluntatis abscessu. Sed more suo Scriptura loquitur, quæ sic ar- guit malos, tanquam omnes in eo populo mali sint; et sic consolatur bonos, tanquam omnes ibi tales sint. Pro no- bis ergo episcopi vestri, etiam in eo quod post Collatio- nem victi scripsisse dicuntur, Aggæi prophetiam posue- runt, unde nos commemorarent evidentius probare quod dicimus, quia et in uno populo, in uno templo, sub eis- dem sacerdotibus, inter eadem sacramenta, hominibus dissimili voluntate viventibus et diversis moribus et dis- crepantibus, nec causæ causa, nec personæ potest præ- judicare persona.

XXXIII. Illud etiam quod ex Apostoli Epistola, scrip- tis suis etiam modo commemorant, ubi ait : « Nolite » jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio » luci ad tenebras[2] ? » etc., quæ supra commemoravimus, et quomodo recte intelligerentur, ostendimus, quid aliud

[1] Aggæi. II, 16-20. — [2] 2 Cor. VI, 14.

agunt, nisi ut nos commemorent quibus hoc Apostolus scripserit? In eodem quippe ipso populo Corinthiorum quod dicimus demonstramus; ne forte arbitrentur Prophetarum tantummodo moris fuisse, et non ad Novi Testamenti, sed ad Veteris consuetudinem pertinere, sic arguere reprehensibiles, quasi omnes in eo populo arguantur; et sic alloqui laudabiles, quasi omnes ibi laudentur. Ecce et ad Corinthios sic Apostolus loquitur : « Paulus vocatus » Apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei, et Sosthe» nes frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis » in Christo Jesu vocatis sanctis, cum omnibus qui invo» cant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco » ipsorum et nostro : Gratia vobis et pax a Deo Patre » nostro et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo » semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in » Christo Jesu, quia in omnibus divites facti estis in illo, » in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium » Christi confirmatum est in vobis, ita ut nihil vobis desit » in ulla gratia[1]. » Quis hæc audiens credat in Ecclesia Corinthiorum esse aliquos reprobos, quandoquidem verba ista sic sonant, velut ad omnes directa sit ista laudatio? Et tamen paulo post dicit : « Obsecro autem fra» tres, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis » schismata. » Rursus tanquam in hoc horrendo vitio velut omnes arguens atque increpans, dicit : « Divisus est » Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? » aut in nomine Pauli baptizati estis? » Puto autem eos qui in eo populo dicebant : Ego sum Christi, non duxisse jugum cum eis qui dicebant : Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ : et tamen omnes ad unum altare accedebant, et eadem sacramenta communicabant, qui eadem vitia non communicabant. His enim Corin-

[1] 1 Cor. 1, 1-7.

thiis etiam illud dictum est : « Qui manducat et bibit in-» digne, judicium sibi manducat et bibit[1]. » Quid enim aliud Apostolus nisi istos vaniloquos cogitabat, ut ei non sufficeret dicere, judicium manducat et bibit, nisi adderet, sibi : ne hoc etiam ad illos pertineret, qui pariter quidem, sed non judicium manducabant?

XXXIV. In ipsis etiam Corinthiis ibi erant qui non credebant resurrectionem mortuorum, quæ singularis fides est Christianorum; quod eis ita dicit Apostolus : « Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mor-» tuis, quomodo dicunt quidam in vobis, quia resur-» rectio mortuorum non est[2]? » Non dixit, in hac terra, vel in hoc mundo : sed, in vobis, inquit. Neque enim posset de Christi resurrectione præscribere, nisi jam utique Christianis, quibus de ipsa resurrectione Christi dicit : « Sic prædicamus, et sic credidistis. » Nunc attendamus verba illa, quibus Corinthiorum Ecclesiam in Epistolæ principio sic laudat, ut dicat : « Gratias ago Deo meo » semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in » Christo Jesu, quia in omnibus divites facti estis in illo, » in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium » Christi confirmatum est in vobis, ita ut nihil vobis de-» sit in ulla gratia[3]. » Ecce si erant ditati in Christo in omni verbo et in omni scientia, ita eis nihil deerat in ulla gratia, ut in illis essent qui resurrectionem mortuorum adhuc usque non crederent. Puto autem quod isti quibus nihil deerat in ulla gratia, non ducebant jugum cum eis qui resurrecturos mortuos non credebant. Ecce quomodo non ducunt jugum cum infidelibus, quamvis eidem populo misceantur, et sub eisdem sacerdotibus, eisdem sacramentis imbuantur.

XXXV. Denique ipse Apostolus, ne huic infidelitati

[1] I Cor. XI, 29. — [2] Id. XV, 12. — [3] Id. I, 3-7.

consentirent, quorum jam fides tenebat resurrectionem mortuorum, non eis præcepit corporalem separationem : multi quippe erant : non sicut ille unus, qui uxorem patris sui habuit, quem liberiore correptione et excommunicatione judicat dignum : longe aliter iste, aliter vitiosa curanda et sananda est multitudo, ne forte si plebs a plebe separetur, per schismatis nefas etiam triticum eradicetur. Eos ergo qui jam credebant resurrectionem mortuorum, ab his qui eam in eodem populo non credebant, non corporaliter Apostolus separat : sed tamen spiritaliter separare non cessat, dicens : « Nolite seduci, corrumpunt » mores bonos colloquia mala[1]. » Non eorum congressum, sed consensum timet, ne malis colloquiis accommodent fidem, quæ corrumpunt mores bonos. Moribus ergo eos, non altaribus admonet separari. Postremo antequam eis hæc Apostolus scriberet, in eadem Ecclesia erant, qui resurrectionem mortuorum non credebant, in qua erant quibus nihil deerat in ulla gratia : et illi istos infidelitate sua non inquinabant, quia isti illis ad eamdem infidelitatem non consentiebant. Ecce quomodo illo non acceditur, ne quisquis accesserit, inquinetur : ecce quomodo nulla participatio est lumini ad tenebras : ecce quomodo, quamvis intra eadem retia natent pisces, utrique néc causa causæ præjudicat, nec persona personæ.

XXXVI. Quod cum ita sit, quæ tam cruda stultitia, quis tam ferreus cordis somnus non excutiatur, possitque aliquando sentire, Cæciliani causam catholico orbi terrarum, cui non communicat pars Donati, præjudicare non posse, si non præjudicat parti Donati causa Maximiani, vel potius causa Feliciani et Primiani modo conjunctorum, paulo ante invicem damnatorum. Sufficit certe, ut secundum ipsos loquamur, quod pisces mali sub

[1] 1 Cor. x, 33.

fluctibus latitantes ignaros non polluunt piscatores. Quamvis non sit de piscatoribus quæstio, quos fortasse in illa similitudine Dominus Angelos intelligi voluit. Magis enim attendendum est intra ipsa retia pisces bonos a malis non posse maculari. Neque enim et ipsi non vident invicem simul natantes, sicut a piscatoribus intra aquam positi non videntur. Sed, ut dixi, sufficit causæ nostræ, quod mali non polluunt, quorum mala facta nesciuntur.

XXXVII. Fuerunt quidam tempore Cæciliani beati pacifici, qui eum, etiamsi innocens non esset, scientes pro catholica unitate tolerarent, cum eum viderent tot ignotis gentibus, per quas ipsa unitas dilatatur, sacramentorum participandorum communione cohærere; eisque talem non posse monstrari, qualem ipsi eum esse cognoscerent : ipsi se contra istas calumnias defenderent verbis beati et pacifici Cypriani, clamarentque fidenter et dicerent : Ideo propter Cæcilianum non deserimus unitatem[1], quia etsi videntur in Ecclesia esse zizania; non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Istorum pacificæ patientiæ conveniret præclarissima laus illa, qua laudatur Angelus Ecclesiæ quæ est Ephesi : (quem nemo recte intelligens dubitat ipsius Ecclesiæ gestare personam,) cui dicit in Apocalypsi Spiritus : « Scio opera tua et laborem et patientiam, et quia » non potes sustinere malos, et tentasti eos qui se dicunt » Apostolos esse, et non sunt, et invenisti eos mendaces, » et patientiam habes, et sustinuisti eos propter nomen » meum, et non defecisti[2]. » Sic illi laudentur, qui in ista vita Cæciliani tempore fuerunt, qui propter nomen Domini, quod sicut unguentum effusum per innumerabiles gentes toto jam orbe fragrabat, non deficerent, patientis-

[1] Epist. ad Maxim. — [2] Apoc. II, 2.

sime sustinendo etiam quem malum nossent : si malus ille esset, qui eorum judicio aliis demonstrari, et ab eis avelli separarique non posset. Nostra alia causa est, arrogare nobis laudem hujus patientiæ non debemus. Non enim possumus dicere, nos pro pace tolerasse, quod ad nostram cognitionem prorsus non potuit pervenire. Nobis Cæciliani causa sub fluctibus fuit ; vox nostra talis est, qualis christianarum gentium cæterarum, contra quas isti non invenerunt omnino quod dicerent. Verumtamen ignotam Cæciliani causam recte credimus bonam, quem semel inimicorum factione damnatum, ipsis autem accusantibus tertio legimus absolutum. Aut credant isti centum ferme episcopis partis Donati de criminibus Primiani, et tunc nos cogant credere septuaginta majoribus suis de criminibus Cæciliani. Quod autem dicunt Cæcilanum objecta sibi in illo concilio crimina cum absens fuerit, tacendo firmasse : firmavitergo et Primianus crimina, quæ a centum episcopis sibi objecta nec postea saltem ostenditur diluisse.

XXXVIII. Sed videlicet : « Nec causa causæ præjudicat, nec persona personæ, » ne pars Donati minuatur ; præjudicat autem, ut Christi hæreditas dividatur. An vero Cæciliani causa non præjudicat unitati catholicæ quam tenemus, et cujus societate gaudemus, cum fuerit Cæcilianus Carthaginensis episcopus, et præjudicat ei causa Novelli Tyzicensis, Faustini Tuburbitani, quos nec accusandos postea sicut Cæcilianum Felicemque putaverunt [1] ; quorum nomina, imo vero ipsarum in quibus fuerunt civitatum nomina, nec universæ Africæ nota sunt, aut fortasse nec universæ proconsulari provinciæ ? Ecce quorum pisciculorum, etiam si mali fuerunt, tam in profundo latentium causam volunt præjudicare causæ

[1] Vide supra in Breviculo cap. 14.

tantæ piscationis, cujus plena retia toto orbe diffusa sunt, qui piscibus juxta natantibus vix noti esse potuerunt. Cur autem non credamus etiam istos innocentes fuisse; quando nec accusari ab eis, sicut dixit, postea meruerunt, et ille purgari potuit, quem majores eorum malorum omnium fontem in concilii illius inimica conspiratione dixerunt?

XXXIX. Sed qualescumque isti fuerunt, quid pertinet ad nos? Neque enim vere non nobis concedunt, ut istorum nescio quorum causa atque persona non præjudicet causæ atque personæ Ecclesiæ catholicæ: « Si nec causa causæ præjudicat, nec persona personæ. » Et tamen objiciunt nobis, ut adhuc vos seducant, quod aurum judici dederimus, ut pro nobis contra illos sententiam diceret. Vos dicite, si potestis, quantum dare debuerimus electis defensoribus episcopis vestris, ut tanta contra se pro nobis vel dicerent vel proferrent, ut sic agerent causam nostram, sic perimerent suam? Quanti emere debuimus, ut post verba Primiani quibus dixerat: « Indignum est ut in unum conveniant filii martyrum et progenies traditorum, » venirent tamen, et in unum nobiscum, quod indignum esse dixerant convenirent? Quansi emere debuimus, ut more forensium advocatorum de temporibus et diebus, de personis etiam nobis præscribere conarentur, et sic omnibus hominibus, etiam illis qui nostras disputationes intelligere non possent, satis aperte monstrarent quam malam causam haberent, quam proferre et agere sic timebant apud eum judicem, cujus erga se benignitatem atque justitiam tanto præconio laudaverant, et cujus motum adversum se nullum adhuc senserant? Quanti emere debuimus, ut ipsi deinde exigerent non secum agi debere forensibus formulis, sed divinis potius testimoniis, et de Scripturis sanctis similiter se res-

ponsuros esse promitterent : et cum mandatum concilii catholici, quod obtuleramus, recitatum esset, atque in eo ipsis etiam confitentibus claruisset, nos Ecclesiæ catholicæ [1] testimoniis sanctarum Scripturarum agere voluisse, rursus tanquam obliti quid sibi placere dixissent, ad easdem forenses præscriptiones perplexis et odiosis contentionibus remearent ?

XL. Quanti emere debuimus, ut subscriptionum nostrarum, quæ in eodem mandato demonstrabantur, numerositate commoti, exigerent totius concilii nostri præsentiam ; ex quo concilio non nisi decem et octo secundum edictum Cognitoris aderamus, et quæstionem falsitatis inferrent, quod alii pro aliis subscribere potuerunt ? Sic enim perventum est, ut eorum quoque numerus recenseretur, et ipsi in ea falsitate deprehenderentur, cujus in nos suspicionem intendere voluerunt : ita ut non solum quidam in eorum mandato legerentur subscripsisse pro absentibus, qui nec Carthaginem venerant ; verum etiam quemdam recitatum et non respondentem cum in itinere defecisse dixissent, quæsitumque ab eis esset, quomodo apud Carthaginem subscribere potuerit qui in itinere jam defecerat ; post magnas angustias perturbationis atque inconstantis et variæ responsionis suæ, non venientem, sed posteaquam subscripsit, ad propria remeantem in itinere defecisse asseverarent : deinde sub divina testificatione interrogati, utrum cum constaret fuisse Carthagini, vehementius perturbati dicerent : « Quid si alius se pro eodem apposuit ? » atque ita verbis suis falsitatem quam nobis objecerant, in suo mandato apparuisse, et convictam claruisse firmarent ?

XLI. Quanti emere debuimus, ut cum vellent de numerositate gloriari, etiam in hoc mendacia sua proderent ?

[1] *Forte* causam.

Nam cum aliquanto amplior nostrorum numerus adfuisset, dictumque a nobis esset, alios centum ferme episcopos catholicos, partim senectute, partim valetudine, partim diversis necessitatibus impeditos non venisse Carthaginem, illi hoc audito, multo plures suos non venisse dixerunt. Sicut etiam nunc plus quam quadringentos per totam Africam se esse jactantes, obliti sunt quod in sua notoria posuerunt, usque adeo se omnes venisse Carthaginem, ut eis solis exceptis quos vel in propriis sedibus, vel in itinere tenuit corporis ægritudo, nec gravissimos senes annositas et labor prolixi itineris potuerit impedire. Et lectæ sunt in mandato eorum subscriptiones, sicut facta supputatione respondit Officium, ducentæ septuaginta novem, annumeratis etiam iis in quibus falsitas deprehensa est, et qui pro absentibus subscripserant, quod ægritudine detenti non potuerint venire Carthaginem. Quomodo ergo verum est plures quadringentis eos esse, quando illos solos Carthaginem non venisse dixerunt, quos valetudo corporis impedivit : cum et pro ipsis quibusdam alii subscripserunt; ut non dicamus hoc pro omnibus ægrotantibus esse factum ? An forte sic eos invaserat pestilentia, ut eorum tertiam partem repente prosterneret ? Sic autem a primate suo per tractoriam fuerant evocati : « Quo prætermissis omnibus properarent convenire Carthaginem, ut scirent se decepisse [1] quod haberent optimum in causa, quicumque venire noluissent. » Hoc erat videlicet optimum in causa, ut ingens eorum numerus appareret : quasi tanto plus prosit ad aliquid facilius inveniendum, quanto major fuerit quærentium multitudo cæcorum ?

XLII. Quanti emere debuimus, ut in diem perendinum utrisque nostrum consentientibus cognitione dilata, pridie

[1] *Forte* decerpsisse.

per notoriam peterent, ut sibi nostrum mandatum ab officio ederetur, quo instructi adesse possent ; causantes quod conscribendis gestis tam angusto tempore occurrere non posset Officium? Sic enim factum est, ut sequenti die cognitionis, quamvis injustam peterent, acciperent dilationem : qui considerata causa, quæ mandato nostro tota continebatur, magnas patiebantur angustias, convincerentur tamen contra suos venire consensus. Quid enim justius, quam petere dilationem tanta veritatis firmitate turbatos? quod eis utinam profuisset, ut considerato mandato nostro, cui respondere minime potuerunt, corrigere potius pravitatem, quam in deterius augere maluissent. Juste itaque dilationem petebant : sed pridie non debuerant in notoria sua dicere, ideo sibi nostrum edi debere mandatum, ut parati ad diem constitutum venirent, quia exceptores occurrere cum gestorum conscriptione non possent ; et ipso actionis die rursus de ipsis exceptoribus, quia non occurrerant, velle causari. Quid eos ad hoc compulit, nisi vehemens perturbatio, cum viderent sic a nobis esse actam causam in conscriptione mandati, ut responsionem invenire non possent? Nam illud quanti emendum fuit, ut ipsam peterent dilationem, et acciperent sex dierum, ut nemo posset eos dicere, angustia temporis impeditos, non potuisse nostro respondere mandato?

XLIII. Ipso vero tertio nostræ Collationis die quanti emendum fuit, quod inanissimis et supervacuis morarum interpositionibus se omni modo pervenire ad causam nolle monstrabant, et quam malam causam haberent, ipso suo timore clamabant : quanquam eorum timor etiam in testimonium manifestissimæ vocis erupit, quando dixerunt : « Sensim inducimur in causam. Et alio loco, Pervidet, inquiunt, potestas tua sensim nos in causæ

interna deduci. » O violentia veritatis, quolibet eculeo, quibuslibet ungulis fortior ad exprimendam confessionem! Congregantur ex universa Africa tot episcopi, ingrediuntur Carthaginem cum tanta speciosi agminis pompa, ut tam magnæ civitatis oculos in se intentionemque convertant. Qui loquantur pro omnibus, eliguntur ab omnibus. Locus etiam re tanta dignus in urbe media procuratur. Utrique conveniunt, judex præsto est, tabulæ patent, suspensa omnium corda exitum tantæ Collationis expectant. Tunc a lectissimis et disertissimis viris, quantis viribus agi debuit aliquid, tantis agitur ut agatur nihil. Quærunt personas forensi more discutere, in qua quæstione annosa etiam tempora litigatores conterere consueverunt. Ista quippe actione Catholicos mandatum suum divinis potius testimoniis quam forensibus formulis conscripsisse confessi sunt, et similiter se de Scripturis responsuros esse promiserunt. Et quoniam mirifica opitulatione Deus voluit, ut cum quærunt personam petitoris, ne veniretur ad causam; ipsa inquisitio petitoris subito in medium mitteret causam, clamant præclari viri qui ad agendum videbantur electi, ac se potius ad non agendum electos esse testantur, et invidiose judici conqueruntur, sensim se in causæ interna deduci: quasi aliquid aliud prætermissis omnibus agi debuerit, quam illud quod tanto post, vel sero agi nolebant; quia nunquam prorsus agi volebant, ubi vinci metuebant. Hujus timoris apertissimam vocem quis de illorum clauso pectore excuteret, et non dico si eos donis largissimis ditaremus, sed si eos pœnis crudelissimis torqueremus?

XLIV. Cum enim personam petitorum forensi tritura conquirerent, et volentes ostendere nos esse petitores, ut personas nostras permitterentur jure discutere, et moras annosissimas invenire, legerunt libellum nostrum ali-

quando Proconsuli datum, quo eos petivimus conveniri, ut ipsa inter nos Collatio tunc fieret, quam modo ab Imperatore ut fieret impetravimus, ut eo libello nos quasi petitores esse monstrarent; responsum est a nobis, ideo nos semper voluisse fieri Collationem, non ubi eis crimina objiceremus, sed ubi ea quæ solent objicere purgaremus: propter hoc quippe hæretici et ab Ecclesiæ unitate separati, quia crimina objiciunt quæ probare non possunt. Deinde quia videbatur Cognitor secutus ordinem temporum, ut gestis quæ protuleramus, ubi et ipsi apud præfectos Collationem petiverant, ideo præferret libellum nostrum ab ipsis prolatum, quia gesta illa præfectoria tempore præcedebat: facillime nos atque justissime hac occasione oblata a Cognitore impetravimus, ut si ea præferret quæ tempore priora esse constaret, illud juberet potius recitari, ubi ipsi apud imperatorem Constantinum per Anulinum proconsulem accusarunt Cæcilianum, cujus crimina nostræ communioni objiciunt, quæ volebamus illa Collatione purgare. Proinde postea quam legi cœpit, quoniam illic apertissime in omnibus vincebantur, clamare cœperunt: « Sensim inducimur in causam. » Et iterum: « Pervidet postestas tua sensim nos in causæ interiora deduci. » O magna, sed non miranda confusio! Quando enim dæmon sic exorcistam timeret, quomodo timuerunt ne illa legerentur, ubi apparebat Cæcilianus et ab eorum præcessoribus apud Imperatorem accusatus, et tot judiciis non solum episcopalibus, sed etiam imperialibus absolutus?

XLV. Quando vel quanto pretio emere possemus, quod ipso timore turbati, redire ausi sunt etiam ad illius temporis præscriptionem, ubi dixerant, lapsam esse jam causam, et quatuor mensibus evolutis agi jam omnino non posse? Quid est hoc? Quis tam idoneus judex inveniri

potest animi eorum, quam timor iste sic expressus, sic apertus; ut cum timor soleat adimere libertatem, isti tam libere timuerint, ut judicium suum de mala sua causa nec silentio tegerent, sed verbis apertissimis proderent? O vehementem trepidationem ad extorquendam confessionem? Tam fortis ex ore prosilivit timor ut ejus impetu de fronte fugerit pudor. Si non legerentur ea, quibus ostendebatur Cæcilianus accusatus atque purgatus, petitores propter agendam causam inquirebantur, personæ discutiebantur: et quamvis morarum tendiculæ ne ad ipsam causam perveniretur, tergiversatorie necterentur; tamen propter agendam causam etiam ista postulari veluti jure videbantur. Postquam causa optima Cæciliani recitanda prolata est revocatur, explosa et convicta præscriptio, diem causæ agendæ jam transisse clamatur.

XLVI. Quid adhuc expectatis quid pro nobis pronuntiaverit Cognitor, cum videatis quid contra se ipsos episcoporum vestrorum pronuntiaverit timor? Dederat certe ipse Cognitor potestatem, ut alium cum illo quem vellent judicem constituerent: quod illi recusaverunt, quoniam si aliquem delegissent, mentiri vobis non possent etiam a nobis ipsum fuisse corruptum. Sed fecerunt quod recusaverunt: prorsus constituerunt cum illo alterum judicem, non quemlibet extraneum, sed intimum suum. Ecce ipse timor eorum alius judex fuit: certe ipse a nobis nihil accepit, et pro nobis libere judicavit: non gratificatus est eorum personæ, quibus internus hærebat, de quorum secreto cubiculo procedebat: et antequam causa diceretur, prior judicavit, quia eam prior in ipsorum corde cognovit. Denique processit ille ut causam nosset, processit iste qui noverat: ille judicavit stando, audiendo, loquendo; iste tantummodo in medium procedendo. Puto quod melius dicerent, ut causa jam non ageretur. Quanto

enim citius eam finivit litigatorum timor, quam Cognitoris labor? Ille quærebat quid ex eorum chartulis legeretur : iste indicavit quid in eorum cordibus ageretur.

XLVII. Quomodo autem ad hoc venerant, territi eis quæ prolata fuerant recitanda, ut dicerent jam lapsam esse causam temporibus, et agi non posse? Proposuerunt nobis quod jam fuerat ante transactum : ut si de Scripturis sanctis ageremus, illa minime legerentur; si autem illa recitanda legeremus, habere se validam præscriptionem, ut lapsam temporibus causam omnino agi non sinerent : cum ipsi non servaverint, quod ante promiserant se mandato nostro, ubi nos Ecclesiæ causam Scripturarum testimoniis egisse confessi sunt, similiter se Scripturarum testimoniis responsuros, qui petitorum discutiendas esse personas, non more disputantium, sed more litigantium contendebant. Respondimus ergo eis, ut si nihil aliud agi mallent, nisi ut quæreretur quæ vel ubi sit catholica Ecclesia, causam ejus nos nonnisi divinis, quibus prænuntiata est, testimoniis ageremus : si autem hominibus aliqua crimina objcerent, quoniam nec ipsi ea possent testimonis divinis, sed aliquibus aliis talibus documentis ostendere, etiam nos ea documentis talibus purgaturos. Sic illis assidue sua inania repetentibus, hæc a nobis perseverantissime repetita sunt : sic eos veritas vicit, et ad illa quæ protuleramus audienda confutatos superatosque constrinxit. Videbant enim, si nulla crimina Cæciliani objicerent communioni nostræ, nihil sibi remanere unde suam ab unitate separationem quoquo modo excusarent : si autem objicerent crimina Cæciliani, nec a se nisi talibus documentis posse asseri, nec a nobis posse aliter defendi.

XLVIII. Jamvero illud inter hos eorum contentiosissimos strepitus, quanti emendum fuit, quod cum dicere-

mus hoc nos proponere, ut crimina quæ solent objicere nostræ communioni, quæ per omnes gentes dilatatur, probarent si possent, ut hinc eorum separatio, utrum justa fuerit nosceretur: responderunt alienam causam nos agere velle, hoc est, transmarinarum Ecclesiarum, quibus hæc non objicerent, quoniam inter Afros esset ista contentio : illas vero Ecclesias potius expectare debere, ut eos sibi copulent qui in hac Collatione vicerint, et ipsi cum eis habeant catholicum nomen. Quid ergo adhuc quæritis, quidve dubitatis, quam Ecclesiam tenere debeatis? Ecce habetis eam, contra quam vestri episcopi causam se non habere confessi sunt, cui communio nostra conjuncta est, unde ipsorum communio separata est. Si enim modo eam expectare debere dixerunt, ut qui nostrum vicerint, ipsi ei copulentur, et cum illa teneant catholicum nomen : jam utique majores nostri majores eorum ante vicerunt; ideo illi Ecclesiæ copulati catholicum nomen in ejus unitate tenuerunt. Isti autem si a majoribus nostris jam in suis majoribus victi sunt, quare nobiscum ad huc usque contendunt? Si autem victi non sunt, quare non communicant illi Ecclesiæ, quam negare catholicam non valentes, nullam causam contra eam se habere confessi sunt? Ecce Ecclesia catholica transmarina in tot gentibus dilatata, quam debere expectare dixerunt, ut eos sibi qui vicerint copulet, quomodo expectare debet eos sibi copulare qui vicerint, nisi ab eis criminibus, de quibus inter nos agitur, aliena sit? Nam si ab eis aliena non est, etiam ipsa rea victa cum victis quomodo sibi est copulatura victores? Porro si ab his criminibus, sicut fatentur, aliena est ; alieni et nos sumus, qui eidem communione cohæremus. Nam si propter istam communionem nos contaminat crimen alienum ; et ipsam cui communicamus, crimen contaminat nostrum. Sed ipsam

confessi sunt non pollutam crimine Afrorum, quamvis ei sacramentorum communione socientur : ibi ergo convicti sunt nec nos pollui potuisse crimine illorum, quibus sacramentorum communione sociamur, quia nullo nexu consensionis involvimur. Quanquam et ipsius Cæciliani victrix causa eisdem verbis istorum facillime demonstratur. Si enim confligentibus nobis expectare debet Ecclesia transmarina ab istis criminibus aliena, ut eos qui vicerint, sibi et catholico nomini adjungat; tunc expectabat, quando majores istorum cum Cæciliano acriter confligebant. Ille ergo tunc vicit, quem sibi post conflictum illa quæ hoc expectaverat copulavit. Aut si potuit et pollutum sibi in sacramentorum communione copulare, et sicut jam confessi sunt, ab his criminibus impolluta persistere; multo magis vicimus hinc ostendentes proprium onus quemque portare, et nec causam causæ, nec personam præjudicare personæ.

XLIX. Jamvero ut mandato nostro, ubi universam causam complexi fueramus, nec repentinis verbis, sed conscriptis litteris respondendum putarent, quanti emendum fuit? Sic enim constitit eos respondere non potuisse his omnibus, quæ in nostro mandato posita, nec attingere omnino suis litteris voluerunt. Neque enim potest aliquis dicere, prosecutionem nostram memoriter eos non potuisse retinere, et propterea rebus necessariis non omnibus respondere voluisse. Editum est eis mandatum nostrum per notoriam postulantibus, et hoc ipsum allegantibus, ut instructi possent ad omnia respondere. Et cum jam septem delecti essent a cæteris, qui omnia pro omnibus agerent, litteras tamen ipsas quibus nostro mandato respondere conati sunt, totius concilii sui nomine protulerunt, tanquam epistolam ab omnibus illis ad Cognitorem datam. Quam si nollemus admittere, jure optimo

faceremus : neque enim ordinis erat, ut post injunctam septem hominibus causam, jam quidquam nisi per illos qui delecti fuerant, ageretur. Sed ne litteris nostris litteras eorum timuisse videremur, sine ulla hæsitatione ut legerentur admisimus. Optandum enim, et, ut dixi, emendum erat ut post dierum dilationem, quam eis petentibus concesseramus, afferrent elucubratum laborem, in quo eos mandato nostro non respondisse, satis utrasque litteras legentibus appareret, et nos eisdem ipsis litteris eorum sine ulla dilatione mox respondisse constaret. Si enim homines tam tardo ingenio sunt, ut eos arbitrentur aliquid dixisse, in quibus locis mandati nostri tacere noluerunt; neminem puto esse tam stolidum, qui etiam in his locis aliquid eos respondisse existimet, in quibus omnino tacuerunt. Non enim parva vel quasi contemnenda sunt, cum in his potius omnis causa consistat.

L. Nam testimonia Scripturarum quibus asseruimus Ecclesiam cui communicamus, ab Jerusalem cœptam, toto terrarum orbe diffundi, tanquam omnino dicta non fuerint, præterierunt magna mole divinæ auctoritatis oppressi. Item quod in nostro mandato positum est de beato Cypriano, qui tolerandos potius in Ecclesia malos, quam propter eos Ecclesiam deserendam, et præcepto admonuit, et suo confirmavit exemplo, attingere omnino non ausi sunt : credo, intelligentes quod Cypriani auctoritatem si in aliquo scripto ejus labefactare tentarent, faterentur etiam nos recte auctoritati ejus non cedere, in eo quod de iterando baptismo solent ejus placita vel decreta proferre : quam nec ipsam de baptismo Cypriani sententiam aperte commemorare voluerunt, scientes etiam illic, si facerent, se offensuros esse naufragium; quoniam Cyprianus non reliquit unitatem; et cum eis in illa permansit, qui de hac re diversa senserunt : unde aut

tunc Ecclesia periisse dicenda est, et non fuit jam ex qua nasceretur Donatus illorum; aut si, quod verum est, permansit Ecclesia, non in ea contaminant mali bonos, sicut Cyprianus etiam judicavit, qui cum diversa sentientibus in eadem diversitate permansit. Ac per hoc isti se detestando sacrilegio schismatis induerunt, qui propter nescio quorum crimina non probata, etiamsi vera essent, nullo modo se ab unitate toto orbe diffusa separare debuerunt. Hoc illi quantum intelligitur prævidentes, ab illo testimonio Cypriani, quod in nostro mandato commemoratum est, toto silentio transierunt.

LI. Illud etiam quod in causa Maximianistarum ipsi quoque suo judicio declararunt, non propter malos unitatem deserendam, qui Maximiani socios a Maximiano dixerunt non fuisse pollutos, et eos inde quos damnaverunt, in honore integro susceperunt; et baptismum Christi licet foris ab Ecclesia datum, agnoscendum potius quam destruendum esse monstrarunt, cum a Feliciano in schismate baptizatos, et cum illo postea receptos iterum baptizare non ausi sunt: etiam hoc ergo cum in nostro mandato legerent, tacendum potius et prætereundum, quam ulla contradictione refricandum esse censuerunt. Causam etiam Cæciliani a causa Ecclesiæ in nostro mandato distinctam, et tamen etiam ipsam omni ex parte defensam, respondendo prorsus non attigerunt. Quis ergo eos illi mandato nostro respondisse arbitretur, quando contra hæc omnia nullum verbum facere, nec saltem qualiscumque responsionis obumbratione conati sunt. Quod autem visi sunt respondere, legat qui voluerit, et judicet, eidem ipsi mandato nostro conferens litteras eorum, præter responsionem, quam continuo reddidimus, qua omnia vanitatis eorum machinamenta subversa sunt.

LII. Jam illud, si montes aureos daremus, quando

emere possemus, quod (objecta sibi Maximiani causa, ut intelligerent eo modo non obfuisse Cæciliano concilium quo in eum absentem septuaginta episcopi quod voluerunt pronuntiaverunt, quomodo non obfuit Primiano cum similiter absentem pro Maximiano centum ferme episcopi damnaverunt), vehementissime perturbati et in horrendas contrusi angustias responderunt, « Nec causam causæ, nec personam præjudicare personæ? » his paucissimis verbis totam nostram causam, de qua cum eis superius confligebamus, omnino invictam esse firmantes. Quid enim aliud agebamus tot testimoniis sanctorum eloquiorum, tanta auctoritate Prophetarum, Apostolorum, episcoporum, ipsorumque adversariorum, demonstrantes bonos a malis sacramentorum communione non pollui, si corde, voluntate, moribus, operibus diversas habeant causas, gerantque personas? Quid enim aliud laborabamus, nisi ut appareret, nec causam causæ, nec personam præjudicare personæ? Hoc ipsi breviter compulsi summa necessitate dixerunt, quia[1] cum a nobis diu diceretur, veritati credere noluerunt.

LIII. Illud etiam quibus thesauris, quibus opibus, quibus pretiosorum lapidum aggeribus emendum fuit, quod majores suos apud imperatorem Constantinum persecutos Cæcilianum non confiteri tantum, verumetiam profiteri atque gloriari minime dubitarunt, eumque ab Imperatore damnatum etiam mentiendo asseverare conati sunt? Ubi est illa vox, qua vos decipere consueverunt, nobis invidiam concitantes, quod apud Imperatorem causam agamus Ecclesiæ? Ubi sunt verba Primiani apud acta magistratus Carthaginensis expressa : « Illi portant multorum imperatorum sacras, nos sola offerimus Evangelia? » Ubi est illa præclara laudatio, qua extollunt se-

[1] *Forte* qui.

parationem suam, dicentes « Eam esse Ecclesiam veritatis, quæ persecutionem patitur, non quæ facit? » Nempe elisa est, nempe prostrata. Leguntur persecutiones eorum; negare non possunt, quia leguntur etiam subscriptiones eorum. Tenemus eos confitentes, profitentes, gloriantes majores suos Cæcilianum apud Imperatorem graviter persecutos; tenemus etiam Cæcilianum eis persequentibus ab Imperatore damnatum. Non ergo jam clament, segregationem suam ideo esse Ecclesiam veritatis, quia persecutionem non facit, sed patitur: aut fateantur non eam fuisse Ecclesiam veritatis, quando a majoribus eorum Cæcilianus patiebatur. Si enim continuo boni sunt qui persecutionem patiuntur; bonus erat Cæcilianus quando patiebatur. Si autem potest quidem fieri, ut et mali persecutionem patiantur, sed boni non possunt esse qui faciunt; non erant boni majores eorum, quando Cæcilianum persequebantur. Porro si fieri potest ut et boni faciant, et mali patiantur; non ideo nos culpandi sumus, nec ideo isti laudandi, quia tale aliquid patiuntur, quale Cæcilianum majoribus suis facientibus passum esse gloriantur. Et tamen Cæcilianum ab Imperatore damnatum omnino non constitit: sed in ejus absolutione atque purgatione, quæ judicii episcopalis et imperialis recitatione constiterat, nil postea probari potuit immutatum. Ita factum est, ut remota Cæciliani damnatione de qua ipsi mentiti sunt, remanserit persecutio, quam majores suos fecisse confessi sunt.

LIV. Parum fuit, ut Cæcilianum ab Imperatore damnatum et mentiendo gloriari auderent, et asserendo probare non possent: insuper etiam probaverunt, et nostra in eam rem documenta fortius adjuverunt, Cæciliani absolutionem mansisse firmissimam, non sicut mentiti fuerant Imperatoris posteriore judicio in contrarium com-

mutato. Nam primo Milevitanæ Ecclesiæ catholicum episcopum Optatum recitandum putaverunt, pollicentes inde se probaturos Cæcilianum ab Imperatore damnatum. Quæ lectio cum magis contra eos recitaretur, nemo risum potuit continere. Qui tamen risus non utique conscriptioni gestorum potuisset adjungi, et omnino latuisset, nisi et ipsum latere non sinerent dicentes : « Audiant qui riserunt : » hoc sane scriptum est, et subscriptum. Quod enim pro se legi voluerunt, ambiguum fuit : unde cum rectissime Cognitor jussisset paulo superius recitari, ut inde si possent verba illa clarescerent, hoc recitatum est quod nolebant, id est, Cæcilianum fuisse purgatum; quem prius legendum dederant, non sicut jactabant damnatum, sed Brixiæ bono pacis retentum. Hic cum dixissent, illis verbis Optatum damnationem Cæciliani extenuare voluisse : dictum est eis, ut evidentem Cæciliani damnationem aliunde recitarent, ut ab Optato eam extenuatam posset ostendi, qui apertissime scripserat Cæcilianum fuisse purgatum. Hoc cum facere omnino non possent, interjectis atque consummatis omnium morarum superfluis ambagibus, apertissime nos adjuvare cœperunt. Tanquam enim a nobis essent instructi, vel tanquam nobiscum ad innocentiam Cæciliani defendendam declarandamque delecti, cum quæreretur ab eis, ut si possent ostenderent quod dicebant, posteriore judicio Cæcilianum ab Imperatore damnatum cujus Imperatoris litteras legeramus, quæ illum ostenderant absolutum : protulerunt libellum majorum suorum ad eumdem Constantinum imperatorem datum, quo apertissime demonstrarent illius judicio se potius fuisse damnatos. Contigit enim eis apud imperatoriam potestatem, quod inimicis sancti, Danielis, qui hoc ab eisdem leonibus passi sunt[1],

[1] Dan. VI, 24.

quod pati voluerant innocentem. Hic cum breviter admonuissemus illum libellum pro nobis contra se potius recitasse, aliud addiderunt. proferentes ejusdem Imperatoris litteras ad Verinum Vicarium datas, ubi eos graviter detestatur, et Domini judicio qui jam in eos cœperat vindicare, dimittens, ignominiosissima indulgentia de exilio relaxavit. Ita manifestissime constitit, non solum nullam Cæciliani damnationem fuisse postea consecutam, verumetiam ejus absolutionem atque purgationem, et pœnam illorum detestabili indulgentia fuisse firmatam. Hæc tam excellentia documenta, quod fatendum est, non habebamus in manibus, sed forsitan si alicubi esse audiremus, unde nobis gratis dari non possent, quolibet præmio perveniremus, ut nobis scribenda permitterentur. Quantum autem daremus, si venale proponeretur, ut pro nobis etiam ab ipsis adversariis legerentur?

LV. Quid videtur addi jam posse, ut nos cumulatius adjuvarent? et tamen addiderunt. Commemoraverunt enim causam Felicis Aptugnensis, a quo Cæcilianus fuerat ordinatus, cui Felici traditionis crimen intenderant. Absoluto autem Cæciliano cum perficiendæ instaretur unitati, quæstionem de isto Felice commoverant, eo modo posse arbitrantes Cæcilianum jam purgatum alienis criminibus irretiri. Etiam hæc ergo causa Felicis discussa est proconsulari judicio: ubi liquidissime innocentia Felicis apparuit. Sed quoniam quidam Ingentius, qui eidem judicio adversum Felicem falsum se fecisse confessus est, nec puniri facile debuit ubi causa episcopi vertebatur, nec facile a proconsule dimitti potuit tanti criminis reus, nisi Imperatore consulto, quo instante illa omnia gerebantur: retulit inde proconsul, et rescripsit Imperator, ut ad ejus comitatum idem Ingentius mitteretur, volens majores istorum, a quibus quotidie interpellabatur, in

præsentia confutari : nihil tamen dubitans de purgatione, imo eam verborum quoque suorum manifestatione confirmans, sicut rescriptum ejus ostendit. Hæc nos omnia documenta causæ Felicis in manibus habebamus, et disposueramus tradere recitanda. In quo ipsi nos prævenerunt, et easdem Imperatoris litteras de Ingentio ad se mittendo priores protulerunt; et recitaverunt, jam fortasse nobis ea non recitaturis, quia sufficere putabamus etiam causam Cæciliani ita peractam esse, ut nihil amplius exigi videretur. Sed adversariis nostris id agentibus, ut persecutio quam majores eorum apud Imperatores nostris majoribus fecerunt; et eorum calumniæ superatæ cumulatius apparerent; quid faceremus, nisi oblata libenter accipere, et gratias Domino in omnibus agere? Constantini ergo litteras ipsi protulerunt, ipsi recitaverunt. Incredibile videtur esse quod dico, sed gesta testantur : conscriptæ sunt eorum prosecutiones, tenentur subscriptiones. Ipsi, inquam, recitaverunt : « Constantinum scripsisse quod Ælianus proconsul in causa Felicis audientiam præbuerit competentem, et quod a crimine traditionis innocentem Felicem fuisse constiterit. Sed Ingentium ad comitatum suum propterea mitti voluisse, ut his, inquit, qui in præsentiarum agunt, et diuturnis diebus interpellare non desinunt, præsentibus et coram assistentibus apparere et intimari possit, frustra eos Cæciliano invidiam comparasse, et adversus eum violenter insurgere voluisse. » Ipsi recitaverunt. Quis nostrum hoc auderet optare, ut quos iniquitas fecerat nostros accusatores, eos veritas nostros faceret defensores? Sic et illum Balaam [1], quem temporibus antiquis ad maledicendum Dei populum conduxit iniquitas, benedicere compulit veritas.

[1] Num. XXIII.

LVI. Sicut autem ordo consulum ostendit, quem tunc considerare temporis angustia non sinebat : (neque enim præsto erant libelli qui consulares vocantur, aut quisquam eos rem tam inanem crederet objecturos, ut respondere nos vellent, quid misso Ingentio gestum fuerit, vel utrum omnino sit missus Ingentius, cum et innocentiam Felicis proconsularis sententia declaraverit, et eamdem sententiam responsio Imperatoris ab ipsis prolata et recitata firmaverit. Et magis utique ipsi protulissent, si quid misso Ingentio pro se gestum fuisse confiderent.) Sicut ergo consulum ordo declarat, primo Cæcilianus episcopali judicio Melchiadis est absolutus, deinde non post longum tempus Felicem proconsulari judicio constitit innocentem, ac sic postea Cæcilianus etiam ad Imperatore inter partes cognoscente purgatus est : deinde postquatuor annos adversarii ejus ignominiosa illa indulgentia relaxati sunt. Nam Melchiades judicavit Constantino ter et Licinio iterum consulibus, sexto Nonas Octobres, Elianus proconsul causam Felicis audivit, Volusiano et Anniano consulibus, quinto-decimo Kalendas Martias, id est, post menses ferme quatuor. Constantinus ad Eumalium vicarium de purgatione[1] Cæciliani scripsit, Sabino et Ruffino consulibus, quarto Idus Novembres, id est, post biennium et menses prope octo. Et idem Imperator ad Valerium vicarium de illorum exilio soluto, et eorum furore Deo vindici dimittendo, litteras dedit, Crispo et Constantino iterum consulibus, tertio Nonas Maias, id est, post quartum annum, et mensem ferme sextum. Unde sine ullis ambagibus liquidissime constat, sive misso ad comitatum Ingentio, sive non misso, nihil postea contra Cæcilianum fuisse judicatum, imo eum judiciis quoque imperialibus victorem adversariorum et persecutorum suorum postea declaratum.

[1] Vide supra lib. 3, contra Cresc. c. 71.

LVII. Eat nunc pars Donati, toties improbata, toties calumniosa, toties mendax, toties confutata, totiens modis omnibus superata atque confusa: adhuc jactet judicem a nobis fuisse corruptum; quasi vox alia victis esse consueverit. Prorsus judex corrumpendus fuit, ut quod ipsi bene egerant, illius infirmaret auctoritas. Sed nec male illos egisse dixerim: imo vero optime egerunt, qui contra suos errores pro veritate tanta dixerunt. Nam si causa eorum consideretur, revera contra ipsos: si autem prosecutiones eorum legantur, magis secundum ipsos judicavit. An vero in ea causa ille qui medius erat adversaretur nobis, in qua illi qui ex adverso stabant, dixerunt, protulerunt, recitaverunt tanta pro nobis? Quid emere a judice deberemus, quando ab adversariis illa non emimus, quæ judicem cogerent, etiamsi ab ipsis accepisset pecuniam, pro nobis ferre sententiam? Quanquam si non eum nossemus Deum timentem, et justitiæ dilectorem, et ab omnibus hujusmodi sordibus alienum, nos in illum talem suspicionem dirigere deberemus; qui nimia patientia, cum eos videret premi veritate, nec eis videri vellet adversus, nimium patienter pertulit homines per inania vagantes, et tam multa superflua dicentes, et ad eadem toties convicta redeuntes; ut gesta tantis voluminibus onerata pene omnes pigeret evolvere, et quemadmodum acta causa sit legendo cognoscere: quod illi utrum magis inopia veritatis, an industria calliditatis egerint, nescio. Hinc tamen solum causam tam pessimam utcumque adjuvare potuerunt, quam potius deserere debuerunt. Denique si in illos qui egerunt, intendant cæteri accusationem, eosque potius asserant a nobis fuisse corruptos, ut tot prosecutionibus, vel a se prolatis lectionibus sic adjuvarent causam nostram, sic perimerent suam; nescio quemadmodum se possint defendere,

et ab ista suspicione purgare, nisi forte dicant : Si corrupti essemus, causam tam malam, et per nos et per illos convictam, cito etiam finiremus : nunc vero vel inde credite nos ex animo adfuisse, et aliquid prodesse voluisse, quod multum loquendo egimus, ne quod actum est facile legeretur, et nos esse victos cito cognosceretur. Si hoc ab eis non fieret, nec ipsis, nec nobis jurantibus forsitan crederetur, illa quæ pro nobis contra se, et tam multa dixerunt, et tam multa legerunt, gratis eos nobis omnia præstitisse. Nec tamen ipsis, sed Deo potius hinc agimus gratias. Ut enim illa omnia vel loquendo vel legendo pro causa nostra promerent atque propalarent, veritas eos torsit, non charitas invitavit.

LVIII. Quapropter, fratres ; si tamen non irascimini quia fratres vocamus : illi enim cum hoc a nobis audirent, injuriam sibi fieri apud acta dixerunt : nec mandato nostro admoniti, ubi hoc ex Propheta testimonium positum est, recolere potuerunt Deum præcepisse : « Dicite : » Fratres nostri estis, his qui vos oderunt et qui vos de» testantur, ut nomen Domini honorificetur, et appareat » illis in jucunditate, ipsi autem erubescant[1]. » Ergo jam, fratres, appareat vobis nomen Domini in jucunditate, quod super nos invocatum est, et cujus utrique sacramenta portantes, non immerito dicimur fratres : jam pacem amate, consuetudinem calumniosam, et litigiosam, jam saltem convictam confusamque relinquite : nec ipsos oderitis quando ad nos correcti transeunt, sed quando in errore nefario permanentes vos adhuc usque seducunt. Nec sibi ipsi magni videantur, quod eis honorem in unitate deferimus quem possideant liberandi : hunc enim habentes extra unitatem magis sunt inde damnandi. Signa quippe militaria perniciosius ab usurpato-

[1] Isaï. LXVI, 5, juxta LXX.

ribus habentur, quam si omnino non haberentur : nec tamen eis correctis et in castra Imperatoris redactis illa franguntur aut abolentur; sed eos quos antea prodebant atque puniebant, jam ornare incipiunt et munire. Quid adhuc attenditis ad eorum insanas querelas et vana mendacia? Nocte causa finita est, sed ut nox finiretur erroris. Nocte dicta sententia est, sed fulgens lumine veritatis. Inclusos se tanquam in carcere fuisse conquesti sunt : ibi et nos eramus ; aut utrisque facta est injuria, aut utrisque adhibita diligentia. Sed quomodo dicamus injuriam, quando in tam spatioso et lucido et refrigeranti loco nos fuisse recolimus? Aut quomodo erat carcer, ubi erat et judex? Postremo clausos fuisse nos nesciebamus, qui simul intus eramus : ipsi unde sciunt, nisi quia fugere fortasse voluerunt. Sed quis non videat, quod ista inania et ridenda potius quam refellenda de tali Cognitore non dicerent, si pro sua causa possent validum aliquid invenire quod dicerent? Scimus quam multi vestrum, et forte omnes aut pene omnes, dicere soleatis : « O si in unum » locum convenirent, o si aliquando conferrent, atque » illis disputantibus veritas appareret. » Ecce factum est, ecce convicta est falsitas, ecce apparuit veritas: quid adhuc fugitur unitas? quid adhuc contemnitur charitas? Quid nobis est per hominum nomina dividi? Qui nos creavit unus est Deus, qui nos redemit unus est Christus, qui nos consociare debet, unus est Spiritus. Jam nomen Domini honoretur, et appareat vobis in jucunditate, ut agnoscatis fratres vestros in ipsius unitate. Jam in prosecutionibus episcoporum vestrorum, qui nos separabat error est victus : aliquando in cordibus vestris vincatur et diabolus, et gregi suo collecto atque pacato sit propitius qui hoc præcipit Christus.

SERMO

AD CÆSAREENSIS ECCLESIÆ PLEBEM

EMERITO PRÆSENTE HABITUS.

I. Alacritatem vestræ Charitatis quanto gaudio suscipiamus, agnoscitis. Exultamus enim in Domino Deo nostro, de quo Apostolus ait : « Ipse est enim pax nostra, » qui fecit utraque unum[1]. » Agimus ergo eidem Domino et Salvatori nostro Jesu Christo gratias. Hic præstitit nobis, ut antequam habeamus fratris nostri Emeriti voluntatem, jam cognoverimus quantum diligit unitatem. Quæ tamen principia Deus voluerit ut de ore ipsius audiremus, accipite. Mox ut ingressus est istam ecclesiam, illo loco stans ubi primum cœpimus cum eo colloquium, inspirante Domino, qui et cor instruit, et linguam regit, ait nobis : « Non possum nolle quod vultis, sed possum velle quod volo. » Videte quid promiserit, qui se dixit non posse nolle quod volumus. Si enim non potest nolle quod volumus, scit quid velimus. Hoc enim volumus, quod et vos vultis. Hoc omnes volumus, quod vult Dominus. Quid autem velit Dominus, occultum non est. Legitur enim Testamentum ejus, qui nos sibi fecit cohæredes : in eo recitatur : « Pacem meam do vobis, pacem » meam relinquo vobis[2]. » Sive ergo cito, sive sero, non potest nolle quod volumus. Moras autem aliquas nobis

[1] Ephes. II, 14. — [2] Joan. XIV, 27.

facit secunda sententia : « Possum velle quod volo. » Sic enim dixit : « Non possum nolle quod vultis, sed possum velle quod volo. » Potest velle quod vult, sed non potest nolle quod volumus. Illud enim quod se dicit posse, videmus. Nam vult modo quod vult ; ipsum autem quod vult, non vult Deus. Quid enim modo vult? esse in dissensione a catholica Ecclesia, esse adhuc in communione partis Donati, esse adhuc in schismate, esse adhuc inter illos qui dicunt : « Ego sum Pauli, ego vero Apollo, » ego vero Cephæ[1] ? » Sed hoc non vult Deus, dum increpat Apostolus, Divisus est Christus? Potest ergo velle quod vult, sed ad tempus, sed ad horam, sed ad verecundiæ, non ad rationem sapientiæ potest velle quod vult. Nam modo hoc est quod vult, et potest velle quod vult. Sed quia non potest nolle quod volumus, nolit Deus quod vult[2], et faciat quod volumus. Non vos ergo permoveat, fratres, aliqua morula, dum quod vult vult : sed orate ut faciat quod promisit, ut non possit nolle quod volumus. Et ab omnibus acclamatum est : « Aut hic, aut nusquam. » Qui corda vestra declarastis vocibus, adjuvate nos et orationibus. Potens est Dominus qui præcipit unitatem, mutare in melius voluntatem. Quod autem acclamavit Charitas vestra : « Aut hic, aut nusquam : » vocem in illum vestræ Charitatis agnovimus, et amamus. Hoc etiam nos non nunc primum, sed semper cogitamus, semper optamus. Idem est et animus, quod præcipue necessarium est, fratris et coepiscopi nostri, episcopi vestri Deuterii. Olim nobis notus est animus ejus. Nobiscum preces de hac re Domino fudit, cum concilio, ubi hoc illis qui foris sunt promisimus et obtulimus. Jam de hac re subscriptiones nostræ retinentur. Nunquam enim nos ita honorem nostrum fovemus, ut

[1] 1 Cor. 1, 12. — [2] *Forte* nolit demum quod vult.

unitati invideamus. Minores sumus[1] honore, cum simus majores dilectione. Novimus quemadmodum invitanda sit infirmitas, ut perficiatur unitas.

II. Nec ideo dicimus hæc, fratres, quasi illi qui sub schismate remanserint, aliquam spem habeant ad Dominum. Multi enim disputant parum intelligentes quid loquantur, et dicunt : « Si schismatici sunt, si hæretici sunt, quare sic illos suscipiunt? » Audite, fratres mei. Si eos susciperemus, jam istum susciperemus fratrem nostrum Emeritum, sive bonum, sive malum, tamen fratrem. Quod ideo dico, quia et ipse novit per Prophetam nobis dictum esse, quod illis etiam in Collatione diximus : « Dicite; fratres nostri estis, his qui vos ode» runt[2]. » Oderunt nos, credimus finiendum esse quod odiunt : tamen et quandiu odit, frater audit, donec finiatur odium, erit nomen in testimonium. Non ergo sic illos suscipimus ut sunt : absit a nobis; nam hæretici sunt, suscipimus autem catholicos : mutantur, suscipiuntur. Sed propter malum quod habent, non in eis possumus persequi bona quæ agnoscimus. Malum enim dissensionis, schismatis, hæresis, malum suum habent : bona vero quæ in illis agnoscimus, non sunt sua ; Domini nostri habent bona, Ecclesiæ habent bona. Baptismus non est ipsorum, sed Christi. Invocatio nominis Dei super caput ipsorum quando ordinantur episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati. Non eum suscipio episcopum, si quando est ordinatus, super caput ejus Donatus est invocatus. In errante et desrente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris. Sed frater noster non deseruit, ubi adhuc nunquam fuit. Si quidem in illo desertoris error est natus, quando est a desertore signatus. Qui primo schisma fecit,

[1] *Forte* simus. — [2] Isaï. LXVI, 5, juxta LXX.

qui se ab Ecclesia catholica separavit, cum his quos secum traxit, desertor fuit : cæteri a desertoribus signati sunt, non tamen signo desertoris, sed signo imperatoris. Non enim desertor characterem suum fixit. Quid est quod dico, desertor characterem suum non fixit? Donatus non baptizavit in nomine Donati. Nam si Donatus quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret : ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abjicerem, non approbarem; respuerem, anathematizarem, damnarem : nunc vero ipse desertor, characterem fixit imperatoris sui. Deus et Dominus noster Jesus Christus quærit desertorem, delet erroris crimen, sed non exterminat suum characterem. Ego quando venio ad fratrem meum, et colligo errantem fratrem meum, attendo fidem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Iste est character imperatoris mei. De isto charactere militibus suis vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis quos congregabant castris ejus, præcepit dicens : Ite baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Istum characterem a Domino dictum omnibus credentibus imprimendum quia noverat Paulus, expavescit ad eos qui volebant esse Pauli, et dicit eis : « Numquid Paulus pro vobis crucifixus est[1]? » Quid vultis esse mei, et non magis Domini mei? Quid vultis esse mei, et non potius cujus ego sum? Agnoscite, advertite characterem vestrum. Numquid in nomine Pauli baptizati estis? Sic ergo eos colligimus, ut non sibi blandiantur illi quos non colligimus. Et ipsi colligantur, non inflentur : veniant, suscipiantur. Non in eis odimus quod Dei est : non odimus et ipsos, quia Dei sunt. Et quod habent Dei est; et Dei sunt, quia homines sunt, et

[1] 1 Cor. 1, 13.

omnis homo creatura Dei est. Dei est quod habent nomen Patris et Filii et Spiritus sancti : baptismus Trinitatis, Dei est : Dei est Evangelium quod habent, Dei est fides quam habent.

III. Et quid non habent, ait mihi aliquis, qui hæc habent? Tu dicis : Habent baptismum Christi. Dico. Tu dicis : Habent fidem Christi. Dico. Si ergo hæc habent, quid non habent? Quid est baptismus? Sacramentum. Audi Apostolum : « Si sciero omnia sacra» menta. » Multum est, scire omnia Dei sacramenta. Quantacumque sciamus sacramenta, quis novit Dei omnia sacramenta? Quid ait Apostolus? « Si sciero omnia » sacramenta, si habeam omnem prophetiam. Adde » adhuc, et omnem scientiam[1]. » Sed de fide dixeras. Audi adhuc : « Si habeam omnem fidem. » Difficile est habere omnem fidem, quomodo difficile est nosse omnia sacramenta. Et quid est quod dicit, omnem? « Ita ut » montes transferam; charitatem autem non habeam, » nihil sum. » Intendite, fratres, intendite obsecro vos Apostoli vocem, et videte quare cum tantis laboribus et periculis fratres nostros quæramus. Charitas eos quærit de cordibus nostris. « Propter fratres meos et propinquos » meos, dicit Psalmus, loquebar pacem de te, ad sanc» tam Jerusalem loquens[2]. » Videte ergo, fratres mei, quid dixit Apostolus : « Si habuero omnia sacramenta, » omnem scientiam, prophetiam, fidem. » Qualem fidem? « Ita ut montes transferam; charitatem autem non ha» beam, nihil sum. » Non dixit, illa omnia nihil sunt : sed si charitatem non habeam, nihil sum. Quis enim demens diceret, nihil sunt Dei sacramenta? Quis demens diceret, nihil est prophetia, nihil scientia, nihil fides? Non illa nihil sunt; sed cum illa magna sint, ego magna

[1] 1 Cor. XIII, 2. — [2] Psal. CXXII, 8.

habens, si charitatem non habeam, nihil sum. Magna illa sunt, et magna habeo, et nihil sum si charitatem non habeo, per quam mihi prosunt quæ magna sunt. Si enim non habeo charitatem, illa inesse possunt, prodesse non possunt.

IV. Attende ergo, frater, attende obsecro te. Dicis mihi : « Quid me quæris ? » Respondeo : Quia frater meus es. Respondes mihi et dicis : « Si perii, quid me quæris ? » Et ego respondeo : Si non perisses, non quærerem. « Quid me quæris, » dicis mihi : « Si perii, quid me quæris ? » Cum ego respondeam, quæro quia periisti. Et quare quæro ? quo fructu quæro ? Ut aliquando dicatur mihi : « Frater tuus mortuus erat, et revixit; perierat et » inventus est[1]. » Respondes et dicis mihi : « Sed habeo sacramentum. » Habes, agnosco : propter hoc te quæro. Magnam causam addidisti, quare te diligentius quæram. Ovis es enim de grege Domini mei, cum signo errasti : ideo quæro magis, quia ipsum signum habes. Quare unam Ecclesiam non possidemus ? Unum signum habemus, quare in uno ovili non sumus ? Ideo te quæro, ut hoc sacramentum sit tibi in salutis adjutorium, non in damnationis testimonium. Nescis quia desertor de charactere damnatur, de quo militans honoratur ? Ideo te quæro, ut non pereas cum signo. Salutis enim signum est, si habeas salutem, si habeas charitatem. Hoc enim signum salutis extra tibi inesse potest, prodesse non potest. Veni, ut prosit tibi quod habebas : non ut accipias quod habebas ; sed ut prodesse tibi incipiat quod habebas, et accipias quod non habebas. Habebas enim signum pacis, ipsam pacem non habebas. In domo illa, id est, in te discordia habitabat, et in limine titulos pacis figebat. Agnosco titulos, sed quæro habitantem. Lego

[1] Luc. xv, 32.

titulum pacis, baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Titulus pacis est, lego : quis habitat quæro, fratrem meum attendo, titulum pacis agnosco. Ipsum et ego habeo : intrare volo. Quid est, intrare volo? Fratrem me accipe, ut simul oremus Patrem. « Non tecum oro. » Tituli pacis sunt, et mihi discordia contradicit? Plane laborabo, adjuvante Domino, ejicere discordiam male possidentem, et introducere pacem tanquam legitimum possessorem. Cum ergo discordiam excludo, pacem introduco, titulos pacis quare depono? Dico plane Domino meo : O Christe, qui es pax nostra, qui fecisti utraque unum[1], fac nos unum, ut recte cantemus : « Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fra- » tres in unum[2]. » Introduc concordiam, pelle discordiam : introduc te ipsum in titulos tuos. Tu mane : non alter possideat, et de tuis titulis fallat. Tu muta istum contradictorem, qui una hora in cruce mutasti latronem [3].

V. Et certe videamus quid habes. « Habeo, inquit, » sacramentum, habeo baptismum. » Si dicam tibi, proba : ostendis mihi quid acceperis, dicis quid confessus fueris, dicis quid teneas. Agnosco, non muto, non exsufflo. Absit ut cum quæro salutem desertoris, faciam injuriam Imperatori. Ergo probasti mihi quod habeas sacramentum, exponendo [4] sacramentum. Probasti mihi te habere fidem : proba mihi quod habeas charitatem; tene unitatem. Nolo mihi dicas : Habeo charitatem : proba. Unum Patrem habemus, simul oremus. Quid tu dicis, quando oras, rogo te? « Pater noster, qui es in cœ- » lis. » Deo gratias. Secundum magisterium Domini

[1] Ephes II, 14. — [2] Psal. CXXXII, 1. — [3] Luc. XXIII, 40. — [4] *Forte* ego non do.

nostri addidisti, qui es in cœlis[1]. Singulos enim patres habebamus in terris, unum invenimus simul in cœlis. Pater noster, qui es in cœlis : ipsum invocas Patrem. Pater noster unam conjugem voluit habere : qui ergo adoramus unum Patrem, quare non agnoscimus unam matrem ? Si natum te dicis de alia, et de sinu alieno ipsa te peperit. Quod dixi, non omnes intelligere potuistis[2]. Novimus per legitimas conjuges factum esse, ut etiam qui non de legitimis conjugibus nascerentur, in eadem hæreditate sociarentur : hoc voluntas conjugis fecit. Nam Ismaël exhæredatus est. Ipsum Sara pepererat, etsi de utero alieno. Sara pepererat utero alieno, voto suo. Ipsa enim dixit : « Volo enim de ista mihi filios facias[3]. » Et ideo fecit Abraham. « Uxor enim non habet potestatem corporis » sui, sed vir : similiter vir non habet potestatem corporis » sui, sed mulier[4]. » Nam filius esset, si non superbisset. Superbus est exhæredatus Ismaël. Erexit enim ancilla cervicem, ut diceret : « Ejice ancillam et filium ejus ; » non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac[5]. » Nam vis nosse quid valeat pax, quid valeat concordia, quid valeat humilitas, et quid impediat superbia ? Ismaëlem exhæredavit, filios autem ancillarum de Jacob, quia et illi ut nascerentur conjugia justa voluerunt : filios ergo ancillarum de Jacob, novimus in unam hæreditatem advocatos. Simul numerati sunt omnes Patriarchæ duodecim, nullum ab altero uteri diversitas separavit, quia omnes charitas sociavit. Quid interest ergo ubi baptismum acceperis? Baptismus meus est, dicit tibi Sara : baptismus meus est, dicit tibi Rachel. Noli superbire, veni ad hæreditatem : maxime quia ipsa hæreditas non

[1] Matth. VI, 9. — [2] Lib. I. de Baptismum contra Donatistas, cap. 15 et 16. — [3] Gen. XVI, 2. — [4] I Cor. VII, 4. — [5] Gen. XXI, 10.

est illa terra quæ data est filiis Jacob. Filiis Israël data est terra : quanto a pluribus possidebatur, tanto plus angustabatur. Hæreditas nostra pax vocatur. Testamentum lego : « Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo » vobis[1]. » Simul teneamus, quod dividi non potest. Non eam angustat numerosus possessor : quanticumque venerint, sicut promissum est : « Sic erit semen tuum tan» quam stellæ cœli, et sicut arena quæ est ad labium ma» ris. In semine tuo benedicentur omnes gentes[2]. Et, Vidi, » inquit in Apocalypsi, multos in stolis albis, et haben» tes palmas, quos numerare nemo potest, venientes ex » omnibus gentibus[3]. » Veniant, pacem teneant : angusta non sit[4] nostra possessio. Angustias non facit, nisi sola dissensio. Ecce, fratres mei, ut angustias adhuc patiamur, dissensio facit fratris nostri : consentiat in pace, et facta est latitudo.

VI. Sed quid faciamus, nisi fraternam infirmitatem feramus, et non deficiamus? Sudor iste meus credimus quod erit fructuosus. Dominus Deus noster qui voluit ut veniremus ad vos, qui jussit ut eum quæreremus, qui fecit ut eum interim facie tenus inveniremus, adjutos orationibus vestris faciet nos invenire cor ejus, lætari de concordia ejus, gratias agere Deo de salute ejus, quam non potest habere nisi in Ecclesia catholica. Extra Ecclesiam catholicam totum potest præter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare Halleluia, potest respondere Amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti fidem et habere et prædicare : sed nusquam nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire. Transeunt enim

[1] Joan. XIV, 27. — [2] Gen. XXII, 17. — [3] Apoc. VII, 9. — [4] *Forte* non fit.

omnia ista, fratres mei. Modo putat quia magnus erit apud suos, si non consenserit, et dictus fuerit Martyr partis Donati. Absit, tollatur in nomine Domini de corde ejus istetyphus. Novit et ipse, legit et ipse : « Si tradidero cor-» pus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, » nihil mihi prodest[1]. » Ego non dico : Si aliquas injurias quasi jactet se passum esse pro parte Donati, aut aliqua damna terrena, nihil ei prodest. Ego plus dico : Si patiatur foris inimicum Christi, non Catholicum fratrem suum quærentem salutem ejus, sed inimicum Christi si foris patiatur, et dicat ei foras ab Ecclesia Christi inimicus Christi : Pone thus idolis, adora deos meos; et non adorans occidatur ab inimico Christi : sanguinem fundere potest, coronam accipere non potest.

VII. Ipsi noverunt, quando in Collatione nostra fuerunt, quam Carthagine habuimus, quomodo confessi sunt, quia parentes eorum fecerunt persecutionem Cæciliano episcopo. Tunc a Catholica discordantes, schisma fecerunt : persecuti sunt illum parentes ipsorum, id est, primi qui fecerunt partem Donati, persecuti sunt Cæcilianum, perduxerunt illum persequendo usque ad judicium Imperatoris. Miserunt crimina ipsius Imperatori, quæ vera non existebant. Jussit audiri causam Imperator. Audita est apud episcopos, falsa illa crimina inventa sunt, absolutus est Cæcilianus. Nec illi a persequendo destiterunt, sed Imperatorem sæpe interpellarunt, ubi postea judicem causæ constituerunt. Et ipse inter partes audivit et cognovit. Cognovit Imperator, innocentem Cæcilianum judicavit. Et cum hoc objiceremus, contenderunt nobiscum et dixerunt, quia Cæcilianum damnarit Imperator in exilium : quod falsum est. Sed tamen videte quid dixerunt : Quia persequentibus majoribus suis adductus est ad

[1] 1 Cor. XIII, 3.

Imperatorem Cæcilianus, et missus in exilium. Gesta legimus, prosecutiones ipsius sunt, manus ipsius tenetur subscribentis verbis suis, intendite, obsecro vos, dijudicate modo causam nostram. Certe persecuti sunt majores sui Cæcilianum, certe ad Imperatorem perduxerunt, certe ut damnaretur fecerunt. Nolo dicere, quia non est damnatus : nolo dicere, quia innocens est pronuntiatus. Sed hoc sit quod dicant. Quando eum persequebantur, quando damnari fecerunt, tunc quid erat Cæcilianus? Quando persecutionem patiebatur a majoribus istorum, quid erat? Dicatur mihi quid erat? Christianus erat? Catholicus erat? aut quid erat? Non dicunt : Non erat Catholicus, sed criminosus. Possunt ergo pati persecutionem a sanctis homines criminosi? Prorsus hoc accipiamus : criminosus erat Cæcilianus, qui persecutionem patiebatur. Sic enim non dico : mentiebantur ; sed fallebantur, ut et nos illis consentiamus, criminosus erat. Qui faciebant, quid erant? Quod vis elige : Si iniqui erant : desere iniquos, veni ad nos. Si autem sancti erant : potest ergo fieri, ut sancti persequantur injustum? Noli nobis irasci, si persequimur : noli dicere : Injusti estis qui persequimini. Jam enim ostendistis, quia fieri potest, ut et justi persequantur injustum. Fieri potest, aut non potest? Unum de duobus dicatur mihi. Si fieri non potest : quare vestri persecuti sunt Cæcilianum? Si autem fieri potest : quid miraris? Quid laudas pœnam, et non ostendis causam? « Beati, » ait Dominus, qui persecutionem patiuntur[1]. » Adde, propter justitiam, et separasti latrones, separasti maleficos, separasti adulteros, separasti impios, separasti sacrilegos, separasti hæreticos. Tales persecutionem patiuntur, sed non propter justitiam.

VIII. Et talem qualem persecutionem patitur frater

[1] Matth. v, 10.

noster, qui adductus est ad nos? Ipsa est persecutio gloriosior : de illa prorsus profiteor. Reprehendat qui vult, talem persecutionem profiteor. Psalmum lego : « De» trahentem proximo suo occulte, hunc persequebar[1]. » Si recte persequor occulte proximo detrahentem, non rectius persequor Dei Ecclesiam publice blasphemantem, quando dicit : « Non est ipsa : » quando dicit : « Nostra est quæ in parte est : » quando dicit : « Illa meretrix est? » Ergo blasphemantem Ecclesiam non persequar? Persequar plane, quia membrum sum Ecclesiæ : persequar plane, quia filius sum Ecclesiæ. Ipsius voce Ecclesiæ utor, ipsa Ecclesia per me dicit in Psalmo : « Persequar » inimicos meos, et comprehendam illos, et non conver» tar donec deficiant[2]. » Deficiant in malo, proficiant in bonum. Fratres, ne putetis aliquid novum factum esse fratri nostro. Pars Donati quando prævalebat Constantinæ, laïcum nostrum catechumenum natum de parentibus Catholicis, Petilianum tenuit, vim fecit nolenti, scrutatus est fugientem, invenit latentem, extraxit paventem, baptizavit trementem, ordinavit nolentem. Ecce qualem violentiam fecit in nostro. Rapuit illa ad mortem, nos non trahimus ad salutem?

IX. Hæc locutus sum Charitati vestræ, propter illud quod dixistis : « Aut hic, aut nusquam. » Hoc enim et nos volumus, ut hic, hic, sed in unitate, in pace : hic, hic, sed in charitatis societate. Tunc bene hic. Nam melius nusquam quam hic. Sed præstet Dominus, ut hic potius quam nusquam. Si non hic, absit ut non alibi, absit : hic, aut alibi. Audistis, audivit. Quid in ejus animo Deus egerit, ipse novit. Nos enim aurem forinsecus percutimus, ille novit intus loqui, ille intus prædicat pacem, nec cessat prædicare si audiatur. Aderit misericordia ejus,

[1] Psal. c, 5. — [2] Psal. xvii, 38.

adjuvantibus orationibus vestris, ut sit fructuosus labor noster. Tamen si hodie communicare noluerit, quamvis fatigari non debeamus, sed instare quantum possumus, debeamus; nec sic tamen fatigari debemus. Differri possumus, auferre instantiam nostram nec possumus, nec debemus. Aderit ille qui huc illum ad nos perduxit, ut nos faciat cum illo in unitate vobiscum et in sua pace gaudere.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE GESTIS CUM EMERITO

CÆSAREENSI DONATISTARUM EPISCOPO,

LIBER UNUS [1].

I. Gloriosissimis imperatoribus[1], Honorio duodecimum, et Theodosio octavum consulibus, duodecimo Kalendas Octobris, Cæsareæ in Ecclesia majori, cum Deuterius episcopus metropolitanus Cæsareensis, una cum Alypio Thagastensi, Augustino Hipponensi, Possidio Calamensi, Rustico Cartenitano, Palladio Tigabitano, et cæteris episcopis, in exedram processissent, præsentibus presbyteris et diaconibus, et universo clero, ac frequentissima plebe, adesset etiam Emeritus partis Donati episcopus; Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit: Fratres charissimi, qui ab initio catholici fuistis, et quicumque ad Catholicam ex Donatistarum errore venistis, et pacem hujus sanctæ Ecclesiæ catholicæ cognovistis, et veraci corde tenuistis, et qui adhuc forte de catholicæ unitatis veritate dubitatis, audite nos sollicitos pura dilectione pro vobis. Quando venit ad hanc civitatem die nudiustertiana frater noster Emeritus Donatistarum ad-

[1] Vide Retract. lib. II, cap. 40. — [2] Christi anno 418.

huc episcopus, perlatum est ad nos subito eum esse præsentem. Et quoniam charitate, quam Deus videt, desiderabamus ejus præsentiam; ad eum videndum continuo convolavimus : invenimus eum stantem in platea. Facta invicem salutatione, admonuimus, quod durum esset ac turpe eum in platea remanere, ut ad ecclesiam nobiscum veniret. At ille nobis sine ulla recusatione consensit : ubi nos putavimus eum ita communionem catholicam non recusaturum, quemadmodum vel spontaneum obtulit adventum, vel ad ecclesiam venire minime dubitavit. Illo autem in perversitate hæretica, quamvis intra ecclesiam catholicam, diutius remorante, allocutus sum dilectionem vestram, sicut meminisse dignamini. Multa dixi quæ audistis, et quæ sine dubio quantum potestis etiam meministis : multa de pace, multa de charitate, multa de sanctæ Ecclesiæ catholicæ, quam Deus promisit et præstitit, unitate. In quo meo sermone et vos alloquebar, et illum exhortabar; et quantum in me poterant viscera charitatis, omnes in periculo animæ suæ constitutos in illo meo sermone parturiebam, et parere Domino cupiebam. Hoc enim et beatus Paulus apostolus dixit quibusdam : « Filioli mei, quos iterum parturio donec Chris» tus formetur in vobis [1]. » Sed etiam post sermonem nostrum cum adhuc in illa sua perduraret pertinacia, nec sic desperandum putavimus : sed nec de quoquam, quandiu vivit in hoc corpore, homine desperandum putamus. Neque enim sic, dixi nudiustertius me non desperasse, ut hodie audeam desperare.

II. Sed ad hunc articulum causa perducta est, ut quoniam venit, et quantum cognovimus, sponte venit, non sit huic ecclesiæ infructuosus ejus adventus. Aut enim quod magis optamus et cupimus, etiam de illius salute

[1] Galat. IV, 19.

vobiscum in catholica pace gaudebimus : aut si quod abominamur et detestamur, ipse in illa pertinacia perduraverit, debetis vos ejus præsentia melius nosse quid intersit inter catholicam pacem et hæreticam dissensionem. Partis enim Donati episcopus est, sed Donatistis hujus civitatis ordinatus. Quos Donatistas in nomine Christi in gremium catholicum jam magna ex parte suscepimus, ita pene omnes communioni catholicæ sociatos esse gaudeamus. Sed quoniam et qui jam communicaverunt, non quidem universi, sed quidam videntur de ipsa, ut paulo ante dixi, catholica veritate dubitare ; quidam vero non saltem dubitant, sed adhuc corde positi in parte Donati, præsentiam nobis exhibent corporalem, sive viri, sive fœminæ, carne intus, spiritu foris : bonum esse æstimamus episcopum ipsorum interrogare, ut si habet aliquid quod pro ipsa parte adhuc dicat, post factam apud Carthaginem omnibus notam Collationem, si habet aliquid quod adhuc dicat, dicat sine præjudicio partis Donati, quod tamen prodesse existimet vobis, in quorum civitate pro vestra in Christo salute se existimat ordinatum : et nos respondebimus sine præjudicio Catholicæ ; quoniam modo nullus partes defensionis imposuit : quod tamen, sicut æstimamus et volumus, prodesse vobis possit præsentibus contra præsentem : ut si seductus est, non seducat ; si autem nos seducebamus, ipso præsente qui foris fortasse multa jactitat, arguamur, refellamur, convincamur, doceamur. Hoc propterea dixi, ne ideo loqui nolit, quia potest dicere, nullas mihi modo pars mea partes defensionis imposuit. Non enim post ipsam Collationem non loquebatur, aut post illam Collationem non ad istam civitatem venit, aut de ista provincia aliquando discessit, aut credimus eum omnino post illam Collationem nulli homini verbum pro parte Donati fecisse. Novi quæ vobis

dicebantur : vos alloquor, qui ex ipsa parte venistis ; novi quid dicebatur vobis : » Nos Cognitoris emisse sententiam. » Novi dictum esse vobis : « Quod ille fuerit communionis nostræ, et propterea istos loqui omnia quæ vellent, minime permisit ; et eos potestate potius oppressit quam veritate ; quod loquebantur non accepit. » Ista omnia jactata sunt post Collationem, sive ab ipso, sive a hominibus communionis illius. Quid interest a quo vos perturbemini quos volumus in catholica pace esse tranquillos ? Si absens esset, dicerem de illo vobis : « Qui autem con-» turbat vos, portabit judicium quicumque est ille[1]. » Hæc enim quæ dixi, beati Pauli verba sunt adversus absentes, a quibus simplices turbabantur. Nunc autem præsens est : modo nobis dignetur dicere quare advenerit.

III. Frater Emerite, præsens es ; Collationibus interfuisti, si victus es, quare venisti ? Si autem te victum esse non putas, loquere unde tibi victor esse videaris ? Tunc enim victus es, si veritate victus es. Si autem videris victus potestate, et vicisti veritate ; non est hic potestas, qua victus videris : audiant cives tui, unde te victorem præsumis esse. At si nosti adversus te victricem fuisse veritatem ; quid adhuc respuis unitatem ? Emeritus episcopus partis Donati dixit : « Gesta indicant, si victus sum, aut vici : si veritate victus sum, aut potestate oppressus sum. » Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit : Quare ergo venisti ? Emeritus episcopus partis Donati dixit : « Ut hoc dicerem, quod requiris. Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit : Requiro quare veneris ; hoc non quærerem, si non venisses. Emeritus episcopus partis Donati dixit notario qui excipiebat : « Fac. »

IV. Cumque reticeret, Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit : Si ergo sub veritate tacuisti, non sine

[1] Galat. v, 10.

causa venisti, nisi quia istos decipere voluisti [1]. Cumque diu reticeret, Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit: Videtis, Fratres, diu tacentem, moneo ut optetis resipiscentem, obsecro ne sequamini pereuntem. Verumtamen quoniam gesta Collationis nostræ commemoravit, ubi apparere posse dixit, utrum veritate sit victus, an potestate oppressus : multa sunt quidem, ubi superfluis et moratoriis prosecutionibus gesta cumularunt, nihil aliud magnis viribus agentes, nisi ut nihil ageretur : sed Domino præsidente, et causam suam agente ventum est quo noluerunt. Dicta causa atque definita est. Sed si omnia gesta vobis legere velimus, quanquam præsentibus vobis fratrem et coepiscopum meum Deuterium obstringo, ut quemadmodum fit apud Carthaginem, apud Thagastem, apud Constantinam, apud Hipponem, apud omnes diligentes ecclesias, sic etiam deinceps facere non pigrescat : ut annis omnibus per jejuniorum dies, id est, quadragesima ante Pascha, quandovobis maxime jejunantibus plus vacat audire, eadem gesta Collationis per annos singulos, universa a capite in finem ex ordine recitentur. Tamen ut dicere cœperam, quia non omnia vobis modo legere possumus, dignamini prius audire ante Collationem quas litteras dederimus ad Cognitorem, ubi promisimus, vel quemadmodum suscipi vellemus, si victi fuissemus, vel quemadmodum eos susciperemus, si vinceremus, ut videretur non in contentione, sed in humilitate esse victoria.

V. Alypius episcopus Ecclesiæ catholicæ epistolam recitavit: « Honorabili ac dilectissimo filio, viro clarissimo et spectabili tribuno et notario Marcellino, Aurelius, Sylvanus, et universi episcopi catholici. Edicto Spectabilitatis tuæ, quo nostræ Collationis tranquillitati quie-

[1] *Forte* victus veritate.

tique servandæ, et veritati manifestandæ ac muniendæ consultum est, in omnibus nos consentire, sicut admonere dignatus es, per has litteras intimamus. Illo etiam veritate confisi, nos vinculo conditionis obstringimus, ut si nobis hi cum quibus agimus demonstrare potuerint, cum secundum Dei promissa populi Christiani usquequaque crescendo jam magnam partem orbis implevissent, et in cæteram dilatarentur implendam, subito Ecclesiam Christi nescio quorum, quos isti accusant, peccatorum perisse contagione, et in sola remansisse parte Donati : si hoc, ut dictum est demonstrare potuerint, nullos apud eos honores episcopatus requiremus, sed eorum sequemur, pro sola æterna salute consilium, quibus tanti gratiam beneficii pro cognita veritate debebimus. Si autem nos potius valuerimus ostendere Ecclesiam Christi omnium, non solum Africanarum, verumetiam transmarinarum provinciarum, multarumque gentium spatia feracissima populorum copia jam tenentem, et sicut scriptum est toto mundo fructificantem atque crescentem [1], nullorum hominum sibi commixtorum peccatis perire potuisse : si denique ipsorum, quos tunc accusare voluerunt potius, quam convincere valuerunt, quæstionem definitam, quamvis non in eis Ecclesiæ causa consistat, et Cæcilianum innocentem, illos autem violentes et calumniosos esse judicatos ab eo Imperatore, ad cujus examen criminationes suas ultro accusando miserunt : postremo si quidquid de peccatis quorumlibet hominum dixerint, vel humanis documentis, vel divinis probaverimus, aut eorum innocentiam falsis criminibus appetitam, aut Christi Ecclesiam, cujus communioni cohæremus, nullis eorum delictis esse destructam : sic ejus nobiscum teneant unitatem, ut non solum viam salutis inveniant, sed nec hono-

[1] Coloss. I, 6.

rem episcopatus amittant. Neque enim in eis divinæ sacramenta veritatis, sed commenta humani detestamur erroris. Quibus sublatis, fraternum pectus complectemur christiana nobis charitate conjunctum, quod nunc dolemus dissensione diabolica separatum. Poterit quippe unusquisque nostrum honoris sibi socio copula tovicissim sedere eminentius, sicut peregrino episcopo juxta considente collega. Hoc cum alternis basilicis utrinque conceditur, utroque alterum cum honore mutuo præveniente : quia ubi præceptio charitatis dilataverit corda, possessio pacis non fit angusta : ut uno eorum defuncto, deinceps jam singulis singuli pristino more succedant. Nec novum aliquid fiet : nam hoc ex ipsius separationis exordio, in eis qui damnato nefariæ discissionis errore unitatis dulcedinem vel sero sapuerunt, catholica dilectio custodivit. Aut si forte populi christiani singulis delectantur episcopis, et duorum consortium inusitata rerum facie tolerare non possunt, utrique de medio discedamus, et ecclesiis singulis damnata schismatis causa in unitate pacifica constitutis, ab his qui singuli[1] in ecclesiis singulis invenientur unitate facta per loca necessaria singuli constituantur episcopi. »

VI. Et cum legeret, Augustinus episcopus dixit : Dicam Charitati vestræ, et commemorem rem dulcissimam et suavissimam, quam Domino adjuvante sumus experti. Cum ante ipsam Collationem inter nos aliqui fratres de hac re colloqueremur, quia pro pace Christi episcopi debent esse, aut debent non esse quod vobis fatendum est, circumspicientes omnes fratres et coepiscopos nostros, non facile nobis occurrebant, qui hoc vellent suscipere, et de hac humilitate Domino sacrificare. Dicebamus, ut fieri solet, ille potest, ille non potest; ille consentit hoc,

[1] Vide supra Brevic. Collat. die 1, c. 5.

ille non tolerat ; loquentes magis pro suspicionibus nostris, qui corda illorum videre minime poteramus. Quando autem ventum est ut hoc palam fieret, in concilio universorum tam frequenti pene trecentorum episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserunt omnes, ut parati essent episcopatum pro Christi unitate deponere, et non perdere, sed Deo tutius commendare. Duo ibi vix inventi sunt, quibus displiceret : unus annosus senex, qui hoc etiam dicere liberius ausus est, alter voluntatem suam tacito vultu significavit. Sed postea quam illum senem liberius hoc dicentem, obruit omnium fraterna correptio, illo mutante sententiam, vultum etiam ille mutavit. Audite ergo quibus modis etiam ipsa exhortatio facta est, propter illum qui ait : « Qui se humiliat, exaltabitur [1]. »

VII. Item legit : « Quid enim dubitemus Redemptori nostro sacrificium istius humilitatis offerre ? An vero ille de cœlis in humana membra descendit, ut membra ejus essemus ; et nos, ne ipsa ejus membra crudeli divisione lanientur, de cathedris descendere formidamus ? Propter nos nihil sufficientius, quam Christiani fideles et obedientes sumus : hoc ergo semper simus. Episcopi autem propter christianos populos ordinamur : quod ergo christianis populis ad christianam pacem prodest, hoc de nostro episcopatu faciamus. » Augustinus episcopus dixit : Propter nos hoc debemus esse quod vos. Quid debes esse tu, cuicumque loquor vestrum ? Christianus, fidelis, obediens : hoc tu propter te, hoc et ego propter me. Ergo quod tu propter te, et ego propter me, semper esse debemus. Quod autem sum propter te, sim, si tibi prodest : non sim, si tibi obest. Ecce quod dictum est : attendite. Item legit : « Si servi utiles sumus, cur Domini æternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus invidemus ? Epis-

[1] Luc. XVIII, 14.

copalis dignitas fructuosior nobis erit, si gregem Christi deposita magis collegerit quam retenta dispersérit. » Cumque recitaret, Augustinus episcopus dixit : Fratres mei, si Dominum cogitamus, locus iste altior, specula vinitoris est, non fastigium superbientis. Si cum volo retinere episcopatum meum, dispergo gregem Christi, quomodo est, damnum gregis, honor pastoris? Item legit : « Nam qua fronte in futuro sæculo promissum a Christo sperabimus honorem, si christianam in hoc sæculo noster honor impedit unitatem? Hæc propterea præstantiæ tuæ scribenda curabimus, et ut per te innotescant omnibus postulamus, ut in adjutorio Domini Dei nostri, quo admonente ista promittimus, et quo adjuvante nos implere posse confidimus : etiam ante Collationem, si fieri potest, corda hominum vel infirma, vel dura, pia charitas aut sanet, aut edomet ; ac sic jam pacificis mentibus non resistamus manifestissimæ veritati, et disputationem nostram vel præcedamus concordia, vel sequamur. Neque enim desperare debemus, si recolunt esse pacificos beatos, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur [1], multo dignius et facilius eos velle, ut pars Donati universo orbi christiano reconciliétur, quam universus orbis christianus a parte Donati rebaptizetur : cum præsertim de Maximiani sacrilego et damnato schismate venientes, quos etiam terrenarum potestatum jussionibus insectando emendare curarunt, tanta diligentia quæsierunt, ut nec baptismum ab eis datum rescindere auderent, et quosdam eorum damnatos sine ulla honoris diminutione susciperent, quosdam vero in illius discissionis societate impollutos esse censerent. Quorum inter se concordiæ non invidemus : sed eos oportet advertere quam pie ramum a se fractum tanto studio radix catholica inquirit, si ramus ipse similiter a se parvum

[1] Matth. v.

fragmen incisum sic colligere labora.vi Et alia manu. Optamus te, fili, in Domino bene valere. »

VIII. Quo recitato Augustinus episcopus dixit : Audite qui nescitis, audite obsecro vos. Deo gratias, quia ipso præsente loquor. Causam istam Maximianistarum, quam volo modo vob's exponere, ubi omnium calumniarum suarum tanquam malarum mercium navem fregerunt; causam ergo istam Maximianistarum cum toties objecissemus in nostra Collatione, nihil adversus eam dicere potuerunt, id est, adversus objectionem nostram toties insertam, toties repetitam, toties eorum frontibus illisam, nihil omnino respondere potuerunt, quia quod responderent non invenerunt. Audite ergo illam diligenter. Ecce hic est, audit me, si mentior, redarguat, probare me compellat. Gesta quidem ipsa hic non sunt, sed ibi sit causa. Feramus quaslibet dilationes, ut ad documenta necessaria veniamus, si probavero quod dico. Si tamen inde dubitat, aut quod absit, dubitare se fingit, quod pace ejus dixerim, non communicet, si non probavero. Si autem scit jam me verum dicere, et novit propterea respondere noluisse, quia quod responderet non potuit invenire ; rogo vos ut ipsi judicetis, quid sit tolerabilius in honore suo suscipere a se damnatum, an fratrem agnoscere non aliquando a se convictum. Intendite obsecro, audite narrationem.

IX. Maximianus quidam diaconus fuit Carthaginensis, in parte Donati, sive merito superbiæ suæ, sive ut ipsi putant, merito justitiæ suæ, offendit episcopum suum, id est, Primianum Carthaginensem ; sive inique, si superbus meliorem ; sive juste, si probus improbiorem. Excommunicatus est a Primiano, perrexit ad episcopos vicinos, concitavit invidiam Primiano, accusavit eum apud illos. Ventum est ad Carthaginem : voluerunt qui vene-

runt multi episcopi Donatistæ, ad se venire Primianum; sicut voluerunt majores istorum ad se venire Cæcilianum. Factione cognita, noluit ad istos venire Primianus, sicut ad illos noluit venire Cæcilianus. Damnatus est ab istis absens Primianus, sicut ab illis damnatus est absens Cæcilianus. Qualem imaginem rerum voluit Deus ante oculos nostros recenti tempore ponere, quoniam nimis antiqua jam delebat oblivio. Damnatus est absens. Ab aliis episcopis partis Donati Primianus communioni est restitutus; imo quia eum non deposuerunt, in sua sede firmatus est. Damnati sunt Maximianistæ; sicut a peregrinis episcopis et transmarinis absoluto Cæciliano meruit damnari Donatus. Damnatus est Maximianus cum duodecim ordinatoribus suis. Factio quidem ipsa plurimos continebat, centum erant fortassis episcopi. Sed ne major præcisio fieret, isti voluerunt paucis dejectis, multis imponere disciplinam. Damnarunt solos qui affuerunt ordinationi Maximiani, quando contra episcopum suum illicite est elevatus episcopus. Cæteri in ipsa factione constituti, si redire ad Ecclesiam vellent, in suis permitterentur honoribus. Verbis quidem suis ostendebant, eos foris esse ab Ecclesia : quem enim hortaris ut intret, foris est. Constituto ergo die, intra quem diem si redirent, eis nihil obessent quæ adversus Primianum dicebantur[1], decreto Bagaïensi firmarunt. Damnatus est Maximianus cum duodecim. Cœpit agi, ut damnati de basilicis pellerentur. Interpellantur judices, interpellantur proconsules, in judicium[2] allegatur episcopale Bagaïense concilium : dicuntur hæretici, demonstrantur damnati, impetrantur jussiones, auxilia congregantur, venitur ad ejiciendos de basilicis homines damnatos, et in sua pertinacia constitutos. Illis condemnatis, populi qui favebant restiterunt :

[1] *Forte* facta dicebantur. — [2] *Forte* in judicio.

ubi non potuerunt, victi sunt : in locum eorum qui victi sunt et expulsi, alii ordinati sunt. Ex quibus duos novimus, ut de cæteris taceamus, unum Felicianum, alterum Prætextatum Assuritanum. Quos post annos duos aut tres, per Optatum Gildonianum post multas illis illatas persecutiones judiciariis prosecutionibus et tota acrimonia potestatum in suis honoribus susceperunt. Post damnationem suam, post ejectionem, post persecutiones susceperunt illos in honoribus suis, adjunxerunt sibi socios atque collegas. Nam in loco unius ipsorum Prætextati Assuritani, alium jam ordinaverunt nomine Rogatum[1], qui modo catholicus est, cui exercitus istorum, id est, agmen Circumcellionum, linguam et manum præcidit. Illi autem qui per ipsum tempus quo illi damnati foris erant, ferme per triennium, baptizati sunt a damnatis, baptizati sunt foris ab ecclesia istorum, sic sunt suscepti. Nemo dixit : Non habes baptismum, quia foris es baptizatus. Et rebaptizatur qui venit de Epheso, de Smyrna, de Thessalonica, de cæteris ecclesiis quas suo labore Apostoli plantaverunt, et ad quas legimus missas Apostolorum Epistolas, quas audimus in ecclesia recitari.

X. Sententia tenetur : et quantum audivimus, ab ipso fratre nostro, quem Deus faciat pacatum fratrem nostrum, ab isto Emerito est dictata sententia ubi illi damnati sunt. Legatur ipsa sententia ubi illi damnati sunt, et legatur sententia ubi Cæcilianum damnaverunt majores istorum, et videamus qui rei pejores facti sunt, qui graviore sententia puniti, qui strepitu majore damnati. Ibi dixit : « Licet enim viperei seminis noxios partus venenati uteri alveus diu texerit, et concepti sceleris uda coagula in aspidum membra tardo se calore vaporaverint, tamen conceptum virus evanescente umbraculo occultari

[1] *Forte* ordinaverant.

non potuit[1]. Nam etsi sero, publicum tamen facinus, et parricidium suum fœta scelerum vota pepererunt. Quod ante prædictum est: « Parturiit injustitiam, concepit do- » lorem, et peperit iniquitatem[1]. » Sed quoniam serenum jam fulget e nubilo, nec est confusa criminum sylva cum ad pœnam designata sunt nomina: indulgentiæ enim ante hac fuerat, dum clementiæ dimittimus lineam, invenit causa quos puniat. » Et inter cætera: « Loquamur, charissimi fratres, schismatis causas, quia jam non possumus tacere personas. Maximianum fidei æmulum, veritatis adulterum, Ecclesiæ matris inimicum, Dathæ, Chore, et Abiron ministrum. » Hæc verba sunt partis Donati in Maximianistas, isto ut audivimus dictante prolata. Scitis autem qui sint Dathan, Chore, et Abiron. Ipsi primo schisma fecerunt, quibus pœna usitata non suffecit, vivos aperta terra devoravit. « Dathæ, Chore, et Abiron ministrum (verba ipsius sunt) de pacis gremio sententiæ fulmen excussit[2]. » Audite adhuc. « Et quod adhuc eum, inquit, dehiscens terra non absorbuit, ad majus judicium superis reservavit. Raptus enim pœnam sui compendio lucraverat funeris, usuras nunc gravioris colligit fœnoris, cum mortuus interest vivis. » Verba sunt ipsius Maximianum damnantis, vel potius, ut ipse dicit: « Ore veridico, fulminantis. » Et tamen collecti sunt aspides, viperæ, parricidæ; nec exsufflatur baptismus quem dedit aspis, vipera, parricida. Audistis quantus ignis exarserit eloquentiæ, quando invenit fœnum quod posset incendere. Frater Emerite, amplexus es fratrem tuum Felicianum, tui oris fulmine condemnatum: agnosce fratrem tuum Deuterium, tibi etiam genere sociatum.

XI. Quotiescumque, fratres mei, causam istam Maxi-

[1] Vide lib. 4. contra Cresconium, c. 2. et 4. et 31. — [2] Psal. VII, 15. — [3] Num. XVI, 32.

mianistarum, quam sicut potui vobis exposui, eis cum in Collatione ageremus, objecimus, plus inde tacuit, quam modo in omnibus tacet. Non se occultent tergiversatoria, non defensione, sed fuga. Dicunt enim quod dilationem illis dederint, et intra dilationem illos suos susceperint. Hoc falsum est. Duodecim enim cum Maximiano damnati sunt, cæteri autem non aderant ordinationi ejus, quando ei manus imposita est : illis dilationem dederunt. Nam verba ipsius ista sunt : « Nec solum hunc, inquit, sceleris sui mors justa condemnat; trahit etiam ad consortium criminis plurimos catena sacrilegii, de quibus scriptum est : » Venenum aspidum sub labiis eo» rum, quorum os maledictione et amaritudine plenum » est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem[1]. » Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei ante oculos eorum. Nollemus quidem tanquam proprii corporis secare junctura : sed quoniam tabescentis vulneris putredo pestifera plus habet in abscisione solaminis, quam in remissione medicaminis ; inventa est causa salubrior, ne per cuncta membra pestilens irreperet virus, ut compendioso dolore natum decidat vulnus. Famosi ergo criminis reos : » Ecce nominat duodecim, inter quos et Felicianum et Prætextatum, sed nomina omnium mihi non occurrunt ; et infert sic : « Qui funesto opere perditionis vas sordidum collecta feculentia glutinarunt ; sed et clericos aliquando Ecclesiæ Carthaginis, qui dum facinori intersunt, illicito incestui præbuerunt lenocinium, Dei præsidentis arbitrio, universalis concilii ore veridico damnatos esse cognoscite. Eos autem quos sacrilegi surculi non polluere plantaria, hoc est, qui a Maximiani capite proprias manus verecundo fidei pudore retraxerunt, ad matrem Ec-

[1] Psal. XIII, 3.

clesiam redire permisimus. » Volebant pumicare faciem suam, quia sacrilegis ignoscebant, et aperte schismaticis viam redeundi concedebant. Quid est hoc? Rogo modo mihi dignetur exponere, quomodo eos sacrilegi surculi non polluere plantaria. Quare illis dilationem das, si nullam partem in Maximiani schismate habere potuerunt? Si autem socii sunt factionis, quamvis non fuerint præsentes, ordinationi, quomodo illos non inquinat Maximianus, et totum orbem terrarum semel absens damnatus, tertium præsens absolutus inquinat Cæcilianus? Non inquinat Afer Afros, vivus vivos, notus notos, particeps socios, et Cæcilianus inquinat transmarinos, inquinat longe positos, inquinat non damnatos? Tecum sedit a te damnatus, et non te inquinat Felicianus? Ego illum non vidi, tu istum nosti : ego illum innocentem credo, tu istum nocentem damnasti. Aut si fateris innocentis te fuisse receptorrem, fateris te innocentis fuisse damnatorem.

XII. Et tamen, fratres mei, non invidemus concordiæ ipsorum : inter se suscitata odia diabolica finierunt; quomodo putant, in pacem redierunt. Sed hoc dico : Si ramus fractus quæsivit virgultum a se fractum, qua diligentia debet arbor ipsa quærere ramum ex se fractum? Ideo sudamus, ideo laboramus, ideo inter eorum arma et cruentas furias Circumcellionum periclitati sumus, et adhuc reliquias eorum qualicumque donata a Deo patientia toleramus, dum arbor quærit ramum, dum grex ex ovili Christi ovem perditam quærit[1]. Si pastoralibus visceribus prædíti sumus, per sepes et spinas nos coarctare debemus. Membris laceratis ovem quæramus et pastori principique omnium cum lætitia reportemus. Multa diximus etiam fatigati, et tamen frater noster, propter

[1] Luc. XIII, 4.

quem ista dicimus vobis, et cui pariter dicimus, et pro quo tanta agimus, adhuc pertinax consistit. Constantem se putat fortitudo crudelis. Non adhuc de vana et falsa fortitudine glorietur. Audiat Apostolum dicentem : « Vir- » tus in infirmitate perficitur [1]. » Oremus pro illo. Unde scimus quid velit Deus. Multæ cogitationes, sicut Scriptum est, in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum [2].

[1] I Cor. XII, 9. — [2] Prov. XIX, 22.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

CONTRA GAUDENTIUM

DONATISTARUM EPISCOPUM

LIBRI DUO [1].

LIBER I [2].

In quo Gaudentii duæ ad Dulcitium Epistolæ refutantur.

I. GAUDENTIUS [3] Donatistarum Thamugadensis episcopus, cum se ipsum in ecclesia quibusdam sibi adjunctis perditis incendere minaretur : viro spectabili tribuno et notario Dulcitio, cui piissimus Imperator leges suas exequendas cura perficiendæ unitatis injunxit, agenti, ut oportebat, cum furentibus mansuete, et prius ad eumdem Gaudentium litteras pacificas danti, duas rescripsit Epistolas, unam breviorem, et perlatoribus, sicut indicat, festinantibus festinatam : alteram prolixiorem, in qua secundum Scripturas se respondisse diligentius arbitratur. Ita ergo scripta ejus opitulante Domino institui

[1] Scripti circiter ann. 420. — [2] Vide Retract. lib. II, cap. 59. — [3] Vide D. Guillon, tom. XXII, pag. 289-296.

refutare, ut etiam qui sunt ingenio tardiores, ad omnia me respondisse non dubitent. Nam prius verba ejus ponam, deinde nostra subjungam : non sic quemadmodum feci, cum Petiliani litteris responderem. Ibi enim per loca singula, quando verba ipsius inseruntur, positum est, « Petilianus dixit : » quando mea redduntur, « Augustinus respondit. » Unde mihi tanquam mentitus fuerim, calumniatus est, dicens : « Quod nunquam mecum cominus disputaverit : » quasi propterea non dixerit quod scripsit, quia hoc non in verbis ejus audivi, sed in litteris legi : aut ego ideo non responderim, quia non eo præsente locutus sum, sed scriptis ejus vicissim scribendo respondi. Quid faciamus hominibus qui tale cor habent, aut eos quibus scripta sua innotescere cupiunt, tale cor habere opinantur. Sed etiam talibus sic satisfaciamus : et quando ponimus verba Gaudentii, non dicamus, « Gaudentius dixit ; sed, Verba Epistolæ : » et quando respondemus, non dicamus, « Augustinus respondit ; sed, Ad hæc responsio. Sic ergo incipiamus refellere Gaudentii Epistolam priorem ac breviorem.

II. Verba Epistolæ, « Honorabili, ac nimium nobis, si sic volueris, desiderando Dulcitio tribuno et notario, Gaudentius episcopus. » Ad hæc responsio : Non debemus etiam ista discutere, ne propemodum in superfluis immoremur, cum sint loca necessaria, quæ nos aliquanto diutius loqui cogant.

III. Verba Epistolæ : « Religionis tuæ scripta percepi per eos, quos et moribus et instituto suo cunctis charos esse manifestum est. » Ad hæc responsio : Neque hoc discutiam quomodo dixeris, « Religionis tuæ, » homini quem potius irreligiosum putas. Reddidisti quippe honorificentiam, sicut reddendam existimasti ; quia ille te honorificentius tractavit in litteris quas ad te dedit, quam

catholicus hæreticum debuit, putans tuam mentem tali fieri sermocinatione sanabilem.

IV. Verba Epistolæ : « In quibus tam multa, inquit, a tua dignatione dicta sunt, quæ nunc interim conticesco ; sed quoniam ingenii tui acumen minus advertit, quod nos in eodem scripto nec innocentes plene, nec reos asserere potuisti. » Ad hæc responsio. Quomodo non asseruit reos, quos dixit male congregatos? Quomodo non asseruit reum, cum dixerit, quod te duce miserorum animæ nefando exitu perituræ sint ; adjiciens te intelligere debere, quanta te et in hoc mundo invidia, et in illo ultimo judicio desperatio poterit manere? Quomodo non asseruit reum, quem sicut potuit exhortatus est, ut imitandum aliorum secutus exemplum, dimisso errore prioris hæreseos, te ad unam et veram Dei conferas fidem ? Verumtamen non Tribuni verba defendere, sed hæretici refutare suscepimus. Si quid ergo iste noster tanquam laïcus militaris dixit incautius, quis ei non ignoscat? Quis Ecclesiæ catholicæ de verbis ejus præjudicandum esse contendat? Tu perpensius considera quid loquaris, quem pars Donati in nostra Collatione quæ apud Carthaginem facta est, sex aliis adjunctum, etiam defensorem suæ divisionis edidit [1].

V. Verba Epistolæ : « Quod si criminosos, inquit, existimas, fugienda est vobis damnanda societas. » Ad hæc resp. Plane fugienda est societas criminosorum, sed non est respuenda correctorum. Illud ergo salubriter ita devitamus, ut hoc misericorditer velimus, optemus, instemus.

VI. Verba Epistolæ : « Si vero innocentes nos putas, inquit, quod etiam ipse dixisti, persecutores in fide Christi constituti sustinere gaudemus. » Ad hæc resp. Con-

[1] *Forte* elegit.

sideravi litteras Tribuni ad te datas, et nusquam in eis legi quod te dixerit innocentem; sed ab aliis audisse, vel cognovisse prudentem. Sic autem in Scripturis sanctis, non solum boni, verum etiam mali vocari solent. Nam hoc ibi nomen etiam serpens hominis deceptor accepit [1]. Quod enim quidam interpretati sunt, sapientissimum omnium bestiarum; prudentissimum potius [2] Græci codices habent; unde in Latinam linguam Scriptura illa translata est. Sed si eos putandum est innocentes a tribuno esse dictos, quos a te ad exitium teneri dixit invitos; quid mirum si et illic fieri credidit, quod in aliis locis factum esse cognovit? Non est ergo unde gaudeas te pati persecutionem, cum invenire non possis quomodo te asseras innocentem. Absit autem ut ista persecutio dicenda sit hominum, cum sit potius pro hominibus liberandis persecutio vitiorum, qualem facit ægris etiam diligentia medicorum. Quamvis etsi essetis innocentes, hinc efficeremini nocentes. Quia occidere cupitis innocentes. Qui enim se innocentes conantur asserere, et tamen vitæ suæ nolunt parcere, quid aliud quam innocentes convincuntur occidere?

VII. Verba Epistolæ : « In hac autem Ecclesia, inquit, in qua nomen Dei et Christi ejus, ut etiam ipse dixisti, in veritate semper est frequentatum, nos aut vivi quandiu Deo placuerit permanemus, aut ut dignum est Dei familia, intra dominica castra vitæ exitum terminamus; sub ea scilicet conditione, quia si vis fuerit operata, tunc id poterit evenire. Nemo enim tam demens est, ut nullo impellente festinet ad mortem. » Ad hæc resp. Neque hoc in tribuni litteris legitur, a te invocatum in veritate nomen Dei, quamvis dixerit invocatum. Quanquam etiam si dixisset, posset hoc intelligi, non ad vestram gloriam, sed ad pœnam. Nam et de gentibus impiis Apostolus

[1] Gen. III, 1. — [2] Φρονιμωτατος.

dixit : « Qui veritatem in iniquitate detinent[1] : » ut et vos facitis, qui veritatem baptismi divini in iniquitate detinetis erroris humani. Unde nos cum vestram corrigimus iniquitatem, non utique debemus illius sacramenti rescindere veritatem. Profiteris sane innocens homo, aliis quidem verbis, cum ecclesia te ac tuos interituros. Cum enim dicis « In ecclesia, » quid aliud vis intelligi, nisi cum ecclesia; quandoquidem id agere ignibus præparas? Hæc est innocentia partis Donati, ut hoc faciatis adjunctis mortibus vestris, quod etiam apud Carthaginem in invidiam nostram de basilicis quæ vestræ fuerunt, sicut potuistis, et cum quibus potuistis, fecisse asseveramini sine mortibus vestris. Quis enim vos non credat zelando fecisse, quod facere etiam moriendo disponitis? Si autem illud vos non fecistis, hoc certe furiosius est quod vos facere præparatis. Sed dixisti : « Si vis fuerit operata : » et adjunxisti, « Nemo est enim tam demens, qui nullo impellente festinet ad mortem. » Quanto est ergo dementior, qui cum impellatur ad vitam, festinet ad mortem?

VIII. Verba Epistolæ : « Eos autem qui nobiscum sunt, inquit, testem Deum facio, ejusque omnia sacramenta, quod exhortatus sum, et impensissime persuasi, ut qui haberet voluntatem egredi, securus publice fateretur : nec nos enim invitos retinere possumus, qui didicimus ad Dei fidem nullum esse cogendum. » Ad hæc resp. Cur autem non te etiam si non invitorum retentorem, tamen ad bonum opus exhortatorem apertissime profiteris, si quod facturus es bonum est? An forte quam malum sit et ipse intelligis, atque id facturum te magis ut terreas, quam ut impleas comminaris, aut mentiendo infidelis, aut verum dicendo crudelis?

[1] Rom. I, 18.

IX. Verba Epistolæ : « Et alia manu : Opto te incolumem in reipublicæ actibus florentem, et a Christianorum inquietudine recedentem. » Ad hæc resp. Possumus cum et nos optare incolumem, et in reipublicæ actibus florentem, sed non ab hæreticorum correctione quiescentem.

X. Verba Epistolæ secundæ : « Honorabili et omni affectu desiderando Dulcitio, Gaudentius episcopus. » Ad hæc responsio. Si omni affectu desideras hominem, quare cum illo tenere Christi respuis unitatem? An reddendo malum quasi pro malo, quem tuum persecutorem putas, rebaptizare desideras?

XI. Verba Epistolæ : « Solent sibi, inquit, sola fama noti, cupere, aut incerto invicem aspectu verba miscere, aut incogniti saltem non horrere præsentiam : tua vero censura, quod absentem me inveneris, gratulatum te; quod autem redierim, contristatum, litteris intimasti. » Ad hæc resp. Non omnes qui sibi sola fama noti sunt, videre invicem volunt, sed quos bene ipsa fama commendat. Mirum est autem re vera quod tibi accidit, ut tu cum desiderandum dicas, a quo te persecutionem perpeti quereris : ille autem qui te persequitur, absentem te malit esse, et nolit eum quem persequitur, invenire. Sed hoc unde, nisi quia te potius eorum persecutorem voluit intelligi, quorum in Christo salutem tua præsentia credidit impediri?

XII. Verba Epistolæ : « Sed quoniam præterita die, inquit, ne in epistolari responso siluissem propter moram portantium, certa quæque strictim atque breviter intimavi : nunc mihi dignationis tuæ scriptis sacrosanctæ legis divinæ verbis est respondendum. Dominus dixit : « Innocentem et justum non occides, purgatione non purga-

» bis reum [1]. » Certum est igitur in Dei judicio pari crimine parique reatu esse devinctos, qui reum absolverit, et qui occiderit innocentem. Si ante communionem rei erant, a te nominatus Gabinus, vel cæteri fidei-fragi, in malo illi lapsu consortes secundum Dei voces absolvi minime debuerunt. Si autem tanquam innocentes vel sancti recepti sunt, quare in ea fide permanentes, unde velut sanctos accipitis, occiditis innocentes? Ad hæc resp. Invidiose et mendaciter loqueris. Ille quippe ad quem loqueris, non tale præceptum accepit ut occidamini, sed ut corrigamini; quod si nolueritis, ne correctionem impediatis aliorum, in exilium mittemini [2]. Quod si a justis fieri non debet injustis, cur etiam falso voluistis de Cæciliani exilio in nostra Collatione gloriari, quo eum missum vestris majoribus instantibus a Constantino imperatore dixistis? Iste autem Tribunus ad quem scribis, cui legum pro unitate latarum cura mandata est, usque adeo vult ut vivas, ut timeat ne ipse te occidas. Ecce constitui tibi ante oculos ipsum, et te ipsum. Ipse te in Christi pace vult vivere, tu in parte Donati te quæris occidere : quis vestrum sit tuus persecutor, agnosce.

XIII. Gabinus autem jam noster, qui fuit aliquando vester, et alii quam plurimi, qui ex vobis ad nos considerata catholica veritate transierunt, non ideo tibi videantur a vestra contagione non fuisse purgati, quia non sunt a nobis rebaptizati. Illi enim qui nondum baptizati sunt, a peccatis omnibus in catholica Ecclesia lavacro regenerationis abluuntur : in eis autem qui hoc sacramentum, non ad auxilium, sed ad judicium foris accipiunt, quia nec in desertore violamus characterem regium, fit illud quod scriptum est : « Charitas cooperit multitudinem » peccatorum [3]. » Ecce quemadmodum possunt, quos

[1] Exod. xxiii, 7. — [2] *Forte* mittamini. — [3] 1 Petr. iv, 8.

non oportet baptizari, ipsa catholicæ unitatis charitate mundari, ut non incipiat eis intus inesse quod et foris inerat, sed incipiat eis prodesse intus quod foris oberat. Non itaque a vobis accipimus velut sanctos, ad nos enim transeundo sanctificantur, qui manendo apud vos sancti esse omnino non possunt : nec vos innocentes occidimus, quos etiam reos vivere volumus.

XIV. Sed tu qui testimonium divinæ vocis bene recolis, et nobis objicis Deum dixisse : « Innocentem et justum non » occides[1] : » si innocens es et justus, quare te occidis? Nos te innocentem et justum non dicimus, et tamen nolumus ut occidaris, tu te innocentem et justum arbitraris, et innocenti et justo nonparcis. « Certum est igitur, ipse dixisti, in Dei judicio pari crimine parique reatu esse devinctos, qui reum absolverit, et qui innocentem occiderit, » Quare ergo absolvisti Felicianum Maximianistam reum? Quare innocentem occidis et te ipsum? Nos autem nec reum absolvimus, sed ut mereatur absolvi, prius corrigi cupimus : nec te innocentem, sive tibi parcas, sive te occidas, siin parte Donati remanseris, judicamus. Nam de quantalibet innocentia glorieris, te ipsum innocentem occidendo, innocens esse non poteris : nisi forte mihi respondeas et dicas: Cum me occido, non innocentem utique occido, quia ipsa voluntate qua me occidere statuo, reus efficior animo, prius quam corpus occidero. Hoc si dicis verum dicis, et miris modis te accusando defendis. Cum enim te ostendis in te occidendo prius ipso proposito fieri nocentem, procul dubio facinore perpetrato, nemo te convincet quod occideris innocentem. Hac itaque ratione colligitur, quod cum multi innocentes ab aliis occidantur, a se ipso nullus innocens occidatur. Ea quippe cogitatione qua occidere se ipse molitur, innocentia prius expoliatur, ut

[1] Exod. xxiii, 7.

cum se occidit non innocens moriatur. Hoc tibi contingeret, si antequam te occidere præparares, innocens esses: nunc vero quia et antea jam hæreticus innocens non eras, non erit, si te occideris tuæ iniquitatis initium, sed augmentum.

XV. Verba Epistolæ : « Nam de sancto Emerito, inquit, Cæsareensi falsa ad vos pro certo fama pervenit. Quod si esset, apud Apostolum dicentem[1] : « Si excide» runt a fide quidam illorum, numquid infidelitas illorum » fidem Dei evacuavit[2] ? Absit. » Ad hæc resp. Dicendum est de Emerito Cæsareensi, quod dicere tu timuisti. Falsa quidem de illo fama jactata est, quod Catholicus factus sit : sed quemadmodum hoc audistis ; ita totum quod factum est, nosse potuistis. Cur ergo laudes coepiscopi tui, cujus tibi pro exemplo nomen objectum est, tacere voluisti? Profecto si fecit aliquid laude dignum in tanto articulo, non abs te fuit utique reticendum. Sed quia ejus laudibus non vis ut te invidere potuisse credamus, quare ergo tacuisti, nisi quia de illo erubescere timuisti? Venit ergo Emeritus Cæsaream, illic positis et præsentibus nobis[3]. Venit autem non apprehensus cujusquam sagacitate, non adductus alterius potestate, sed excitatus propria voluntate videre nos voluit. Vidimus eum, ad Ecclesiam catholicam pariter venimus, affuit maxima multitudo : nihil pro sua seu vestra defensione dicere potuit ; communicare noluit, dilatus perseveravit, convictus obmutuit, illæsus abscessit. Quid fieri potuit pro nostra mansuetudine lenius? quid pro veritate catholica invictius? quid pro vestra, si sapitis, correctione salubrius? Cum enim sponte ad nos nisi pro vobis contra nos dicturus aliquid non venisset, profecto dixisset, si

[1] *Forte* audi. — [2] Rom. III, 3. — [3] Vide supra lib. de Gestis cum Emerito.

quod diceret, invenisset. Quæcumque enim ut veniret præparaverat dicere, adjuvante misericordia Domini ante sunt nostra prævention refutata, quam illius circumventione prolata. Et certe si putas eum potuisse, sed noluisse respondere : lege quod cum illo actum est, et ipse responde. Si in pacem catholicam transisset Emeritus, diceretis eum non divina miseratione consensisse lumini veritatis, sed ponderi persecutionis humana infirmitate cessisse. Si denique captus adduceretur invitus, non inopia respondendi, sed evadendi consilio tacuisse pro vestro arbitrio jactaretis. Nunc vero quandoquidem ultro venit, profecto quod tacuit, non lingua, sed causa defecit : quod autem transire in unitatem catholicam noluit, animam superbam confusio pertinacissimam fecit. Sed hoc quantum ad ipsius exitium atque supplicium, tantum ad aliorum confirmationem salutemque profecit. Si enim viderent Emeritum nobis communicantem, suspicarentur hominem formidantem : cum autem viderunt et in parte Donati permanentem, et tamen adversus Catholicam reticentem, magis illis apparuit contra suos silendo clamare. An vero cum voce atque ore sano et libero staret, non erat pro vestra causa contra nos testis idoneus Emeritus ille, ille Emeritus, inquam, et inimicus et mutus?

XVI. Sed bene tibi visus es vestros auctoritate videlicet apostolica consolari : non propter Emeritum, qui non potuit plus facere pro vobis, quam quod non inveniens quid loqueretur pro vobis, non tamen abscessit a vobis ; sed propter alios, qui vestro errore derelicto in societatem catholicam mutati, in melius aggregantur, commemorasti propterea dixisse Apostolum : « Si quidam illorum » exciderunt a fide, numquid infidelitas illorum fidem » Dei evacuavit? Absit[1]. » Revera hoc restat, ut exci-

[1] Rom. III, 3.

disse dicantur a fide qui Deo crediderunt, et fidem tenere qui hominibus credunt. « In semine tuo benedicentur om- » nes gentes[1], dixit Deus. » Ecce cui credunt, qui ex vobis ad nos transeunt. Cæciliani peccato periisse trans- marinas gentes homines dixerunt. Ecce quibus credunt, qui in vestra societate persistunt. Et dicis eos excidisse a fide qui fidem Dei secuti sunt, et eos fidem habere Dei qui in verbis hominum remanserunt. Ubi est ergo quod huic sententiæ abs te commemoratæ continuo subjungit Apostolus : « Est autem Deus verax, omnis autem homo » mendax[2] : » si a fide exciderunt qui credunt quod dixit Deus verax, et in fide persistunt qui credunt quod dixit homo mendax?

XVII. Verba Epistolæ : « Fugam mihi, inquit, quasi ex lege persuades : sed factor legis tantum debet audiri; quia Paulus apostolus dicit : « Non auditores legis justi » sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur[3]. » Nam audi et Dominum dicentem : « Quia bonus pastor » animam suam ponit pro ovibus suis, mercenarius au- » tem, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venien- » tem, et fugit; et lupus rapit eas et dispergit[4]. » Ad hæc resp. Ecce quomodo intelligit Evangelium pars Donati. Ita-ne Apostolus, non pastor, sed mercenarius erat[5], quando per murum in sporta submissus, fugit manus ejus qui eum comprehendere cupiebat; et tu es pastor, qui eas quas dominicas oves[6], ut errore in animo pereant, furore corpus interimant, etiam tecum vis perdere, te- cum quæris occidere, nec audis pastorem pastorumque principem dicentem : « Fur non venit nisi ut occidat et » perdat[7]? » Ad hoc venisti qui abscesseras? ad hoc redisti

[1] Gen. XXII, 18. — [2] Rom. III, 4. — [3] Id. II, 13. — [4] Joan. X, 11. — [5] Act. IX, 15. — [6] *Forte* quas apud te esse dicis, dominicas oves. — [7] Joan. X, 10.

qui fugeras? Hoc opus furis est et latronis, non pastoris atque custodis. Verumtamen etiam nobis non te cogentibus, vide, quia omnes collegas tuos qui fugerunt, non pastores, sed mercenarios intelligi voluisti. Sed si essent apud te dominicæ oves, aut tecum venirent, ut etiam te correctum possent habere pastorem, aut te dimisso fugerent ad pastorem. Mercenarius autem quem significat Dominus, viso lupo, non corpore, sed animo fugit, quando deserit timore justitiam. Sicut fugit Secundus vester Tigisitanus quando Purpurium Limatensem de homicidio confessum, magisque terribilem, ne primatum perderet vel episcopatum, timuit. Corpore autem etiam boni illi pastores Apostoli in persecutione fugerunt, nec ideo tamen oves Christi cura et animo reliquerunt. Si ergo et tu pastor esses, prius in lupi parte non esses; deinde imperium Domini tui, qui servos suos fugere in persecutionibus jussit, per os cujuslibet etiam peccatoris obedienter audisses, nec contra Dominum tuum argumentareris et diceres : « Factor legis tantum debet audiri, quia Paulus apostolus dicit : « Non auditores legis justi » sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur[1]. »

XVIII. Quid in aliam sententiam verba manifesta convertitis? Auditores legis et non factores apud Deum justos negavit; ab hominibus, quando verum dicunt, audiri non prohibuit; ne, sicut tu, loqueretur contra Dominum suum dicentem de quibusdam : « Quæ dicunt facite, quæ » autem faciunt, nolite facere; dicunt enim et non fa- » ciunt[2]. » Vides quemadmodum Christus et per homines auditores et prædicatores legis et non factores, alios eam tamen audire præcepit, et ejus esse factores : et tu dicis : « Factor legis tantum debet audiri : » et volens redarguere quasi persecutorem tuum, loqueris adversus Creatorem

[1] Rom. II, 13. — [2] Matth. XXIII, 3.

tuum. Peccatori quidem dicit Deus : « Ut quid tu enarras » justitias meas, et assumis Testamentum meum per os » tuum[1] ? » Sed ideo, quia illi nihil prodest, qui dicit et quod dicit non facit. Prodest autem illi, qui etiam per malum bonum audit et quod audit facit. Non est quidem speciosa laus in ore peccatoris[2] : sed speciosa est in vita moribusque factoris, etiamsi hanc audierit ex ore peccatoris. Quantumlibet ergo existima Tribunum esse peccatorem, et legis non esse factorem : obedienter tamen audi, non istum, sed illum etiam per istum qui dicit : « Si vos » persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam[3]. » Quid statis ? audite et fugite, Christus hoc imperat, non Tribunus. Nisi forte respondes et dicis : Ait quidem Christus : « Si vos persecuti fuerint in ista civitate, fugite » in aliam : » sed quare de ista civitate discedam, quando nec iste meus est persecutor, nec ego Christi sum auditor ? Ac per hoc si manseris, lupus est sæviens : si fugeris, lupus est timens. Et quoniam sponsus dicit : « Nisi cognove- » ris temetipsam, o pulchra in mulieribus, exi tu in vesti- » giis gregum tuorum, et pasce hœdos tuos in tabernaculis » pastorum[4] : » etiam si te pastorem esse gloriaris, tamen quia de ovili Dominico existi, hœdos tuos pascis, non oves Christi.

XIX. Verba Epistolæ : « Deinde, inquit, quæ loca erunt, quæ in hac persecutionis procella undique perturbata tranquillitate servandos tanquam in portum recipiant sacerdotes, quando Dominus dixerit : « Cum vos » persequi cœperint in hac civitate, fugite in aliam[5] ? » Tute tunc fugiebant Apostoli, quia neminem pro eis proscribi jusserat Imperator. Nunc vero Christianorum receptores proscriptionibus territi, pericula formidantes,

[1] Psal. xlix, 16. — [2] Eccli. xv, 9. — [3] Matth. x, 23. — [4] Cant. i, 7. — [5] Matth. x, 23.

non solum non recipiunt, verum etiam videre timent quos tacite venerantur. » Ad hæc resp. Hoc plane laudo, quod agnoscitis vos; sed quod non vos corrigitis, doleo. Quid enim hac tua professione manifestius, qua declaras satis, non vos ad eorum pertinere consortium, quibus Dominus ait : « Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite » in aliam ? » Nempe hoc est quod paulo ante dixi, posse te mihi verissime respondere si dicas : Nec iste meus est persecutor, nec ego auditor sum Christi. Ecce hoc apertissime dicis. Quomodo enim es auditor Christi, cum ille suis auditoribus, hoc est, sectatoribus promittat, usque in finem sæculi non defuturas ad quas confugiant civitates, quandocumque persecutionem passi fuerint, dicens : « Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in » aliam : amen dico vobis : non consummabitis civitates » Israël donec veniat Filius hominis ? » Tu autem in hac persecutione, quam vos querimini perpeti, jam deesse vobis dicis loca, quo fugere, et ubi tanquam in portu possitis ab hac tempestate requiescere ; loquens contra promissionem Christi, qui dicit, non defuturas civitates quo fugiant sui qui persecutionem patiuntur, donec veniat, id est, usque ad consummationem sæculi. Quia ergo ille hoc promisit suis, quod vos non invenitis ; profecto ille mentitur, si vos ejus estis : sed quia ille non mentitur, vos ejus non estis. Ac per hoc nec Tribunus cui rescribis, persecutor est vester ; sed persecutor persecutoris vestri, hoc est, erroris vestri, quo compulsi talia facitis, ut de illorum genere sitis, de quibus scriptum est, quod persecutionem passi sint ab ipsis factis suis[1]. Proinde si intelligatis quid in vobis qui vos diligunt, persequantur ; ipsa sine dubio, a quibus persecutionem patimini, facta mala vestra fugietis, et conjungemini eis qui ut vos libe-

[1] Sap. XI, 21.

rent, persequuntur vestros persecutores : non enim nisi vestros persequuntur errores.

XX. Verba Epistolæ : « Per opificem, inquit, rerum omnium Dominum Christum omnipotens Deus fabricatum hominem ut Deo similem, libero dimisit arbitrio. Scriptum est enim : « Fecit Deus hominem, et dimisit » eum in manu arbitrii sui[1]. » Quid mihi nunc humano imperio eripitur, quod largitus est Deus? Adverte, vir summe, quanta in Deum sacrilegia perpetrentur, ut quod ille tribuit, auferat humana præsumptio, et pro Deo se id facere inaniter jactet. Magna Dei injuria, si ab hominibus defendatur. Quid de Deo æstimat, qui eum violentia vult defendere, nisi quia non valet suas ipse injurias vindicare? » Ad hæc resp. Secundum istas vestras fallacissimas vanissimasque rationes, habenis laxatis atque dimissis humanæ licentiæ impunita peccata omnia relinquantur, nullis oppositis repagulis legum nocendi audacia et lasciviendi libido bacchetur, non rex suum regnum, non dux militem, non provincialem judex, non dominus servum, non maritus uxorem, nec pater filium a libertate et suavitate peccandi minis ullis pœnisve compescat. Auferte quod sana doctrina pro sanitate orbis terrarum sapienter per Apostolum dicit, et ut confirmetis in arbitrio tanto pejore, quanto liberiore, filios perditionis, delete quod ait Vas electionis : « Omnis anima potestatibus » sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a » Deo. Quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt. Quapropter qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui » autem resistunt, ipsi sibi judicium acquirunt. Principes enim non sunt timori boni operis, sed mali. Vis » autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis » laudem ex illa. Dei enim minister est, vindex in iram ei

[1] Eccli. xv, 14.

» qui male agit[1]. » Delete ista, si potestis ; aut ista, sicut facitis, si non potestis delere, contemnite. Habete de his omnibus pessimum arbitrium, ne perdatis liberum arbitrium. Aut certe, quia sicut homines hominibus erubescitis, clamate, si audetis : Puniantur homicidia, puniantur adulteria, puniantur cætera quantalibet sceleris sive libidinis facinora seu flagitia ; sola sacrilegia volumus a regnantium legibus impunita. An vero aliud dicitis, cum dicitis : « Magna Dei injuria, si ab hominibus defendatur. Quid de Deo æstimat, qui eum violentia vult defendere, nisi quia non valet suas ipse injurias vindicare? » Hæc dicentes, quid aliud dicitis ; nisi nulla hominis potestas contradicat atque obstrepat nostro libero arbitrio, quando injuriam facimus Deo? O dolor! Fraudata sunt tali magisterio tempora antiqua, quoniam nondum eras natus, quando sanctus Moyses injurias suas lenissime pertulit, Dei vero severissime vindicavit. Tu autem doctor hæretica præsumptione invidiosissime clamas : « Fecit Deus hominem, et dimisit eum in manu arbitrii sui. Quid mihi nunc humano imperio eripitur, quod largitus est Deus? » Hoc videlicet flagitans, ut ad faciendas injurias Deo, qui cum libero arbitrio fecit hominem, liberum arbitrium tibi relinquatur ab homine. Sed illi etiam qui decreto Nabuchodonosor regis, proposita pœna interitus sui et dispersionis domorum suarum, a blasphemando Deo Sidrach, Misac, et Abdenago[1], terribiliter prohibebantur, et acriter si contemnerent plecterentur, dicere potuerunt quod ipse dixisti : « Magna Dei injuria, si ab hominibus defendatur. Quid de Deo æstimat, qui eum violentia vult defendere, nisi quia non valet suas ipse injurias vindicare? » Hæc verba tua pror-

[1] Rom. XIII, 1-6. — [2] Dan. III, 96.

sus etiam illi dicere potuerunt, et fortasse dixerunt, et si non eadem libertate, non dissimili vanitate.

XXI. Datum est ergo homini quando creatus est, liberum arbitrium; sed ut si esset malefaciens, fieret patiens. Denique illi primi homines cum peccassent, morte damnati sunt, et prius quam mors eis extrema etiam corporis suppleretur, in exilium de paradiso missi sunt. Mitiora in vos constituit Imperator, propter mansuetudinem christianam; exilium vobis voluit inferre, non mortem : sed vos homines docti considerantes quid debeatur merito, et quid minus sit in supplicio, non de judicio illius, sed de vestro additis mortem. Nolite perire in æternum, dum vobis hoc tempore ad offendendum Deum concedi ab hominibus vultis liberum arbitrium. Audi Apostolum, et habebis magnum compendium, quo tibi regia potestas nocere non possit : « Bonum fac, et » habebis laudem ex illa[1]. » Ex illa et ante nos justi habuerunt laudem, non solum qui regibus religiosis fideliter paruerunt, verumetiam qui reges impios pro Dei veritate adversarios pertulerunt : illi laudem obauditionis, utrique tamen ex illa[2], sed bonum faciendo, non potestatibus resistendo. Quod autem vos facitis, non solum bonum non est, sed grande malum est, unitatem Christi pacemque conscindere, contra promissa Evangelica rebellare, et adversus eum de quo dictum est : « Domina» bitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad » terminos orbis terræ[3]; » hoc est, adversus verum et summum regem Christianorum, tanquam civili bello christiana signa portare. Sufficiat ergo vobis ad occasionem correctionis, quod pro tam magnis malis vestris longe mitiora et minora recepistis, si non vobis ultro

[1] Rom. XIII, 3. — [2] *Hic forte deest*, isti laudem passionis. — [3] Psal. LXXI, 8.

quod non Imperator constituit ingeratis : et nolite ad impunitatem licentiosam liberum arbitrium vobis ab hominibus velle concedi, ne in ipsius Dei manus infelicius incidatis. Nam et majores vestri judicaverunt in hujusmodi injuriis Dei liberum hominis arbitrium non relinquendum a regibus impunitum ; quia licet haberent causam malam, Cæcilianum tamen episcopum persequendo usque ad Imperatoris Constantini judicium perduxerunt.

XXII. Verba Epistolæ : « Nostram vero fidem, inquit, quam Dominus Christus Apostolis dereliquit, solæ nobis istæ persecutiones gravissimam[1] reddunt. « Felices, in» quit, eritis, cum vos persecuti fuerint homines, et ma» ledixerint, et dixerint adversus vos omne nequam prop» ter Filium hominis : gaudete, et exultate, quia merces » vestra multa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt et » Prophetas qui ante vos fuerunt, patres eorum[2]. » Si tantum solis Apostolis dictum est, usque ad ipsos fides habuit præmia ; et quid proderat postea crediturisʔ Unde constat omnibus dictum. Deinde dicit apostolus Paulus : « Qui volunt in Christo sancte vivere, persecutionem » patiantur necesse est[3]. » Hoc autem in Evangelio Dominus dixit : « Veniet hora ut omnis qui interficit vos, » putet se victimam dare Deo[4] ; » sed hæc facient, quia non cognoverunt Patrem neque me. » Ad hæc resp. Recte ista dicerentur a vobis quærentibus martyrum gloriam, si haberetis martyrum causam. Non enim felices ait Dominus qui mala ista patiuntur, sed qui propter Filium hominis patiuntur, qui est Christus Jesus. Vos autem non propter ipsum patimini, sed contra ipsum. Patimini quippe ideo, quia non ei creditis ; et toleratis ideo, ne credatis. Quomodo ergo vos eam fidem tenere jactatis,

[1] *Forte* gratissimam. — [2] Matth. v, 11. — [3] 2 Tim. III, 12. — [4] Joan. XVI, 2.

quam Dominus Christus Apostolis dereliquit? An usque adeo cæcos et surdos vultis esse homines, ut non legant, non audiant Evangelium, ubi noverint quam fidem de sua Ecclesia Dominus Christus Apostolis dereliquit : ex qua divisi atque separati, nihil aliud facitis quam contra verba capitis et corporis rebellatis ; et tamen propter Filium hominis ac fidem quam reliquit Apostolis, vos persecutionem sustinere jactatis? Omittamus alia, et novissima verba ejus in terris audiamus, ubi videamus quam fidem de Ecclesia reliquit Apostolis, quale testamentum quodam modo fecerit, non vitam finiturus, sed sine fine victurus; non mittendus in sepulcrum, sed ascensurus in cœlum. Surgens enim a mortuis posteaquam apparuit Discipulis suis intuendus oculis manibusque tractandus : « Oportebat, inquit, impleri quæ scripta sunt in Lege et » Prophetis et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum » ut intelligerent Scripturas, et dixit eis : Quoniam sic » scriptum est, et sic oportebat pati Christum, et re» surgere tertio die, et prædicari in nomine ejus pœni» tentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, » incipientibus ab Jerusalem[1]. » Itemque in monte Oliveti, postquam nihil ulterius in terris positus dixit, sed quod maxime fuerat necessarium, hoc commendavit extremum. Multi quippe erant futuri per universas partes terræ, vindicaturi sibi nomen Ecclesiæ, et contra universam domum quæ per universam terram cantat canticum novum, de quo scriptum est : « Cantate Domino » canticum novum, cantate Domino omnis terra[2] : » de suarum quisque ruinarum angulis latraturi. Aliud namque Apostoli audire cupiebant, et quod illis maxime fuerat necessarium, non quærebant. « Dic nobis, inquiunt, » si in tempore hoc præsentaberis, et quando regnum

[1] Luc. xxiv, 44. — [2] Psal. xcv, 1.

» Israël? At ille : Non est, inquit, vestrum nosse tempora » vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate, sed » accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, » et eritis mihi testes in Jerusalem, et in totam Judæam » et Samariam, et usque ad terminos terræ. His dictis » nubes suscepit eum[1]. » Nihil ulterius verbis addidit : hoc tanto tenacius, quanto posterius, audientium mentibus fixit. Hanc sponsam suis amicis sponsus abiens commendavit. Hanc ergo de sancta Ecclesia[2] Discipulis dereliquit. Huic fidei Donatistæ resistitis, et pro fide quam Dominus Christus reliquit Apostolis, vos persecutionem ferre contenditis. Huic hominis Filio, qui Ecclesiam suam incipientem ab Jerusalem, et per omnes gentes fructificantem atque crescentem, tanta diligentia commendavit, mira cæcitatis impudentia contradicitis, et propter Filium hominis vos mala sustinere clamatis. An hoc fortassis ideo dicitis, quia vobis alium filium hominis invenistis, cujus nomine vocitemini, de cujus parte dicamini? Erratis, non est ipse : quando propter Filium hominis pati persecutionem felicitatis esse dicebat, se ipsum ille sponsus, non adulterum prædicabat.

XXIII. Et nos confitemur, ut dicitis, non solis Apostolis esse dictum : « Beati eritis, cum vos persecuti fuerint » homines[3]. » Ad omnes enim hoc pertinet, non qui post illos quamlibet persecutionem passi sunt, sive patiuntur, sive qui passuri sunt ; sed qui propter justitiam, sicut et ipsi. Nam hoc paulo superius dixerat : « Beati qui perse- » cutionem patiuntur propter justitiam, quia ipsorum est » regnum est regnum cœlorum. » Deinde ista subjunxit, quæ commemorare et frustra vobis usurpare voluistis. Frustra enim beatitudinem istam pertinere ad vos putatis, quando in vobis justitiam cui præmium debeatur, non

[1] Act. I, 6. — [2] *Hic deesse videtur*, fidem. — [3] Matth. V, 11.

demonstratis : quinimo e contrario etiam pro iniquitate patimini, minus ab aliis, plus a vobis, ut ante Dei judicium quod futurum est, etiam, ipsi vobis quod meremini, ex aliqua parte reddatis. Unde quia tu ipse dixisti : Non hoc solis Apostolis, sed omnibus dictum, ne usque ad illos fides præmia habuisse videretur : sicut hoc ergo non solis Apostolis, sed omnibus dictum est, qui etiam post illos propter justitiam fuerant mala quæcumque passuri; sic etiam omnibus illud dictum est : « Si vos persecuti » fuerint in ista civitate, fugite in aliam [1]. » Quare hoc non facitis, si ad eorum societatem quibus hæc dicta sunt pertinetis? Quod quidem et si feceritis, non ideo pertinebitis : quia et latrones hoc facere possunt, quos inquiri leges publicæ jusserunt. Verumtamen quia hoc facere non vultis, de compendio vos ad istos quibus hæc dicta sunt, non pertinere monstratis. Et ut vos multo manifestius ipsa excusatio vestra ab illo numero verorum Christianorum ostendat alienos, loca quo confugiatis, quæ ille usque in finem sæculi non defutura promisit, vobis deesse jam dicitis; nullo modo illum quod falsa promiserit convincentes, sed vos ad eorum consortium quibus hoc promisit non pertinere monstrantes, et ideo non veraces Martyres, sed hæreticos vos esse fallaces. Quid vobis ulterius dicamus, quando lingua vestra vos vincit?

XXIV. Nam et illud quod addidisti dixisse Apostolum : « Omnes qui in Christo pie vivere volunt, persecutiones » patiantur necesse est [2] : » non quidem ille dixit : « Necesse est : » sed : « Omnes, ait, qui volunt in Christo pie » vivere, persecutionem patientur : » Sed vos ad istos non pertinere quis dubitat? Si enim et vos estis, de quibus hoc dixit Apostolus; quare non facitis quod ipse fecit Apostolus? Nam si portæ adversus vos clauderentur, per

[1] Matth. x, 23. — [2] 2 Tim. v, 12.

murum submitti debuistis, ut manus persequentium fugeretis. Patent portæ, et exire non vultis. Quam persecutionem patimini, nisi a vobis? Diligit vos persecutor vester, et persequitur vos furor vester. Ille ut fugiatis cupit, iste ut pereatis impellit. Sic autem intelligitis quod ait Apostolus : « Omnes qui volunt in Christo pie vivere, » persecutionem patientur, » ut majores vestros sub apostata imperatore Juliano non pie vixisse vobis necesse sit confiteri. Nam quisquis illo tempore Donatista factus est, donec adversus vestrum rursus errorem pia Christianorum Imperatorum cura consurgeret, si ante defunctus est, non pie vixit, quia non est passus persecutionem. Si autem hoc propterea dixit Apostolus, quia sicut alibi scriptum est : « Tentatio est vita hominis super terram[1] ; » nec cessat pios verosque Christianos non solum adversitatis infestatione, verum etiam prosperitatis seductione tentare, ut animus humanus aut afflictione succumbat, aut elatione vanescat : profecto quandiu hic vivitur, omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur, ut aut victi comprehendantur a diabolo, aut probati diabolum vincant : quos autem comprehensos captivosque jam possidet, non ut obtineat persequitur, sed quia obtinet utitur.

XXV. Porro si persequi tantummodo ille dicendus est, qui dolore aliquo excruciat, seu vult tenere ut excruciet; non tibi videatur excruciator cordis levior esse quam corporis, et considera qualem persecutionem patiebatur, qui dicebat in Psalmo : « Vidi insensatos, et tabescebam[2]. » Hanc persecutionem Loth justus patiebatur in Sodomis, etiam priusquam in domo ejus Angeli hospites ejus, cum homines putarentur, a Sodomitis appeterentur ad stuprum[3]. Justus enim eos tam publice turpes, et ante

[1] Job. VII, 1. — [2] Psal. CXVIII, 158. — [3] Gen. XIX, et 2 Petr. II, 7.

suæ domus injuriam[1] sine magno cordis cruciatu videre non poterat. Unde inter suas persecutiones etiam talia commemorat apostolus Paulus, dicens : « Quis infirma-» tur et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non » uror[2]? » Proinde quanto major est in nobis charitas Christi, tanto majore cum dolore animi vos videmus habere sacramenta Christi, et separari a membris Christi, et rebellare contra pacem Christi. Sed quandiu in hoc corpore vivitis, spes nobis aliqua de vobis datur : cum vero jam in illa dissensione morimini, multo amarius vos dolemus. Jam porro quando vos ipsos necatis, vel irruendo armis alienis, vel præcipitiis et submersionibus et ignibus vestris, satis dici non potest, quanto nos mœrore crucietis. Plus quippe impius Absalon patrem sanctum David extinctus, quam rebellis afflixit. Vivum namque eum comprehendi cupiebat, ut qui malitia grassabatur, pœnitentia sanaretur[3]. Erat ergo ille persecutor patris, non solum populum Dei dividendo, nec solum contra Dei legem et contra legitimum patris regnum arma portando atque bellando : sed multo amplius persecutus est cor paternum, in illa impietate moriendo. Denique illum pater optimus pessimum filium, quem non desperando non defleverat vivum, spe finita flevit occisum. Discite ergo quid sit quod Apostolus ait : « Omnes qui volunt in » Christo pie vivere, persecutionem patientur[4]. » Si Catholicorum domus Donatistæ non diripuissent, si catholicas Ecclesias non incendissent, si Catholicorum codices sanctos in ipsa incendia non misissent, si Catholicorum corpora non immanissimis cædibus afflixissent, si Catholicorum membra non præcidissent, si oculos non extinxissent, si denique Catholicos non crudeliter occidissent :

[1] *Forte* januam. — [2] 2 Cor. xi, 29. — [3] 2 Reg. xviii, 33. — [4] 2 Tim. iii, 12.

hanc solam nos a vobis gravissimam persecutionem perpeti verissime diceremus, quia videmus vos insensatos, et tabescimus; quia infirmatos, et infirmamur; quia scandalizatos, et urimur; quia perditos, et lugemus. Hæc mala vestra, quæ vos in æternum interitum mittunt, amarius nos persequuntur, quam illa quæ a vobis nostris corporibus, vel rebus, vel domibus aut basilicis inferuntur. Minus persequimini, cum in nos sævitis, quam cum vos peritis. Denique in illa persecutione qua in nos sævitis, cum laude gaudemus : in hac autem qua vos peritis, si gavisi fuerimus, vobiscum perimus. Sed quandiu in hac carne vivitis, de vobis desperare non possumus : cum vero in hac impietate morimini, maxime cum vos ipsos horrenda cæcitate furoris occiditis, amarissimam tristitiam nostram illud tantummodo consolatur, quod consolatum est sanctum David, in unitate scilicet Dei populus congregatus, qui fuit scelerati filii tyrannide divisus. Tolerabilius enim longe pauciores pertinacissimi vestri suis præcipitiis vel submersionibus vel ignibus pereunt quam innumerabiles populi illis eorum salutem impedientibus, incendio cum illis æterni ignis ardebunt. Nunquam igitur Ecclesiæ Christi defuit aut deerit, unde, secundum Apostolum, qui volunt in Christo pie vivere[1], persecutionem patiantur, aut impiorum malitiam sustinendo, cum innoxie vivunt; aut eos dolendo, cum pereunt.

XXVI. Nolite itaque falli, quod vobis dictum sit : « Veniet hora, quando qui vos occiderint, putent se offi- » cium facere Deo[2] : » aut si tu hic testimonium posuisti : « Putent se victimam dare Deo. » Non quidem hoc esse dictum de persecutionibus quas gentes Ecclesiæ fecerunt, manifestum est. Diis enim suis plurimis, qui utique non sunt, deputaverunt se gentiles officium facere, cum hoc

[1] 2 Tim. III, 12. — [2] Joan. XVI, 2.

facerent uni Deo[1]. Unde hoc idem quod Dominus prædixit suis, aut per Judæos impletum est, qui sanctum Stephanum et multos alios occiderunt[2], dum putabant se officium Deo facere, quoniam unum verum Deum colere videbantur : aut etam nobis, id est, Catholicis dictum est de diversis hæreticis usquequaque furentibus, qui ubi possunt, et quando possunt, et quomodo possunt, occidendo Catholicos, putant se officium Deo facere; maximeque de vobis, qui præcipuum vobis nomen fecistis in Africa de talibus victimis. Nam si vobis dictum esset, non utique vos ipsi occideritis, sed expectaretis a nobis potius accidi, qui putamus nos, ut dicitis, cum id facimus, officium Deo facere. Nunc vero cum festinatis ad mortem, ne a nostris teneamini; vivere metuitis, non occidi; quia erubescitis corrigi, aut de vestro convinci. An forte vos estis ad quos utrumque pertineat, quia cum occidimini et vos a vobis, putatis vos officium Deo facere, et has ei victimas de vobis dare? Ad vos ergo pertinet quod sequitur, atque abs te commemoratum est. Mox enim Dominus adjunxit, et ait : « Sed hæc facient vobis, quia » non cognoverunt Patrem neque me[3]. » Cum itaque vos ipsos occiditis, putantes vos officium Deo facere, nec Patrem cognovistis, quem non audistis dicentem[4] : Fugite.

XXVII. Verba Epistolæ : « Sed belliferæ, inquit, pacis cruentæque unitatis se incolas jactant. Audiant Dominum dicentem : « Pacem meam do vobis, pacem relinquo » vobis : non sicut sæculum dat, ego do vobis[5]. » Sæculi enim pax inter animos gentium dissidentes armis et belli exitu fœderatur : Domini Christi pax salubri lenitate tranquilla, volentes invitat, non cogit invitos. » Ad hæc resp.

[1] *Forte* cum hoc facerent, non uni Deo. — [2] Act. VII, 57. — [3] Joan. XVI, 3. — [4] *Deest hic alterum membrum, forte*, quem non audistis prohibentem. Non occides : nec Filium cognovistis. — [5] Joan. XIV, 27.

Vos quidem belliferam pacem et cruentam unitatem facere cupitis, aut violentis mortibus nostris, aut voluntariis mortibus vestris; non imputantes vobis quod facitis nobis, et imputantes nobis quod facitis vobis. Sed nos et quod facitis nobis cogimur sustinere, et quod vobis facitis, nihil possumus quam dolere; dum tamen fiat pax et unitas Christi propter salutem multorum, sicut fit in plurimis, etiamsi propter furorem paucorum non fit in omnibus. Nam si non invido, sed fideli oculo velletis attendere, videretis quam vera pace atque unitate Christi gaudeant, qui ex vobis ad nos venerunt, tot tantorumque populorum agmina, in quibus etiamsi adhuc sunt nonnulli ipsa novitate turbati, et ipsi paulatim ab hac infirmitate sanantur. Et si ficti aliqui perseverant, non utique propter ipsos non fuerant colligendi quos videmus veraces, quorum quidam in regionibus vestris, etiam quibusdam nostris majores apparuerunt, quando vobis illa perditionis libertate concessa, ad vos redire noluerunt. Debebamus ergo ne perderemus istos, colligere et fictos, quia in Evangelio legitur[1], servos ad nuptias Domini sui congregasse convivas bonos et malos : maxime quia vos de area Dominica superbiæ spiritus tanquam improbus ventus, ante tempus ventilationis excussit, unde vos ad illam, quantum opitulante Deo possumus, revocare conamur. Et utique nostis quemadmodum scopis diligentiæ frumentum simul etiam cum terra trahitur, quando in aream revocatur.

XXVIII. Quod autem vobis videtur, invitos ad veritatem non esse cogendos, erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit dum coguntur inviti. Numquid enim pœnitentiam Ninivitæ inviti egerunt, quia hoc rege suo compellente fecerunt[2]? Jam enim

[1] Matth. XXII, 10. — [2] Jon. XXXVII.

Propheta iram Dei universæ civitati eam triduo perambulans prænuntiaverat. Quid igitur opus erat regis imperio, ut humiliter supplicaretur Deo, qui non intuetur ora, sed corda; nisi quia erant in eis quidam qui nec curarent, nec crederent prædicta divina, nisi territi potestate terrena? Ista igitur jussione regiæ potestatis, contra quam voluntarius fit vester occasus, multis ad salutem quæ in Christo, præstatur occasio, qui etsi violenter adducuntur ad cœnam tanti patris-familias, et compelluntur intrare, intus tamen inveniunt unde se lætentur intrasse. Utrumque enim futurum Dominus ipse prædixit, et utrumque complevit. Nam reprobatis quibusdam, qui utique intelliguntur Judæi, quia ipsi per Prophetas antea fuerant invitati, et ad horam excusare maluerunt; ait dominus servo suo; « Exi in plateas et vicos civitatis, et pauperes » ac debiles, et cæcos et claudos introduc huc. Et ait ser» vus domino : Factum est ut imperasti, et adhuc locus » est. Et ait dominus servo : Exi in vias et sepes, et com» pelle intrare, ut impleatur domus mea [1]. » Intelligimus vias, hæreses : schismata, sepes. Viæ quippe hoc loco significant diversas opiniones, sepes autem perversas opiniones. Quid ergo miramini, si non corporalis cibi, sed spiritalis fame moritur quisquis, ad istam cœnam nec libenter introductus, nec violenter impulsus, ingreditur?

XXIX. Verba Epistolæ. « Odio, inquit, sæculi gaudemus, in ejus pressuris non succumbimus, sed lætamur. Mundus hic non potest servos Christi diligere, qui Christum cognoscitur non amasse Domino ipso dicente : « Si » sæculum vos odit, scitote quia me primum odio habuit » quam vos; si me persecuti sunt, et vos persequentur [2]. » Ad hæc resp. Quo gaudentes odio sæculi pressuris ejus non succumbitis, sed lætamini, cum vos ipsos velitis oc-

[1] Luc. XIV, 21. — [2] Joan. XV, 18.

cidere, ne molestias qualescumque patiamini; et mori eligitis ; non ab aliis occisi pro veritate Christi, sed a vobis ipsis pro parte Donati? Ista Circumcellionum est insania, non martyrum gloria. Cum itaque appareant facta vestra, quid vobis verba usurpatis aliena ? « Mundus iste, inquit, non potest servos Christi diligere, qui Christum cognoscitur non amasse. » Non ergo ad mundum istum pertinemus nos, quia diligimus vos. Sed servi Christi vos non estis, qui malum pro bono retribuentes, et malitiam vestram quando in nos exercere non potestis, in vos retorquentes, nec nos diligitis, et vos occiditis. Dominus autem quando dixit : « Si sæculum vos odit, scitote quia me » priorem vobis odio habuit ; si me perseeuti sunt, et vos » persequentur : » non vobis, sed illis dixit quibus præcepit, ut si eos persequerentur in ista civitate, fugerent in aliam [1] : quod vos non facitis. Illis dixit, ad quas civitates confugerent usque in finem sæculi non defuturas, quas vos querimini vobis jam deesse, nec vultis fateri eos quibus hæc dicta sunt vos non esse.

XXX. Verba Epistolæ : « Sed et si persecutio conquiescat, inquit, unde martyrum numerus adimpletur, Joanne dicente : « Vidi, inquit, animas occisorum sub ara Dei exclamantium et dicentium : Quandiu, Domine, non judi- » cas et vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant » super terram ? Et acceperunt singuli stolas albas, et » dictum est eis, ut requiescerent adhuc paucum tempus, » donec impleatur numerus fratrum vestrorum, qui inci- » pient interfici, sicut et ipsi [2]. » Ad hæc resp. Si sub ara Christi martyres esse velletis, non vos ipsos incendendo sacrificium diabolo faceretis. Quis enim gaudet de isto furore vestro, nisi diabolus, qui eum vobis inspirat, et qui sunt ex parte illius ? Ipse est qui illum puerum de

[1] Matth. x, 23. — [2] Apoc. vi, 9-12.

quo in Evangelio légimus, mittebat aliquando in aquam, aliquando in ignem [1] : Ipse et illum gregem porcorum præcipitem fluctibus mersit. Ipse, ut se de pinna templi præcipitaret etiam ipsi Domino audacissima tentatione suggessit. Ad diabolum sine dubio pertinetis, cum tria genera mortis, aquam, ignem, præcipitium in vestris mortibus frequentatis. Si enim mentes non dementia perderetis, ista ipsa verba quæ de sancto libro posuisti, ab isto interitu quem vobis ingeritis, vos revocare deberent. Quid enim animæ martyrum sub ara Dei dicunt? « Quandiu, Domine, non judicas et vindicas sanguinem » nostrum de iis qui habitant super terram [2]? » Vindicari poscunt sanguinem suum, in eis utique a quibus fusus est : numquid in aliis? Ac per hoc vindicabitur vester in vobis.

XXXI. Quid est autem stultius, quam quod putatis prophetiam istam de martyribus, qui futuri prædicti sunt, nonnisi in Donatistis esse completam ; quasi posteaquam hoc scripsit beatus Joannes, nulli martyres sint occisi, quo usque exurgeret pars Donati; qui si quando alios non possunt, se ipsos occidunt ; qui faciunt opera latronum et dæmonum, et gloriam sibi vindicant martyrum? Quod si tanto temporis intervallo, id est, a Joanne usque ad istos nulli occisi essent martyres veri ; ut nihil aliud, vel temporibus Antichristi diceremus futuros, in quibus ille martyrum numerus compleretur, nec tamen istos vel alieni vel sui sanguinis reos accrescere numero verorum martyrum crederemus, quibus dictum est ut requiescerent parvum tempus, donec impleretur numerus fratrum ipsorum, qui inciperet interfici, sicut et ipsi, ab aliis utique, non a se ipsis sicut isti, et ideo isti non sicut ipsi. Possumus etiam verissime dicere, ipsos quoque Do-

[1] Matth. xvii, 14. — [2] Apoc. vi, 10.

natistarum temporibus catholicos quos occidunt, ad supplementum illius numeri pertinere. Sed cum post apostolum Joannem, qui futura illa conscripsit, tanta strages martyrum interficientibus impiis usquequaque in tam multis gentibus facta sit, quid sibi volunt isti suarum animarum extortores, et alienarum tortores, ut quod de martyribus sanctis legunt esse prædictum, de se jactent esse completum? Præparate vos potius, ut vester sanguis, non eis qui vos vel comprehendere vel fugere cupiunt ut vivatis, sed in vobis potius vindicetur. An forte ne hoc fiat ideo non eum funditis, sed aut præcipitio colliditis, aut unda suffocatis, aut in cinerem convertitis? sed erratis, vindicabitur in vobis, quocumque modo perimatur a vobis. In vobis enim vindicaretur, si non Ecclesia Christi, sed in parte Donati ab aliis funderetur. Ita-ne vos clamabitis ad Deum, ut vindicet sanguinem vestrum, et exaudiet vos, nisi damnaverit vos: Quomodo enim vindicetur, nisi qui cum ausus est trucidare damnetur? In hac ergo voce non estis nisi accusatores vesti, quia vos estis rei sanguinis vestri. Nec Deus nisi vos damnabit, quando a vobis vel collisum, vel suffocatum, vel exustum, vel quocumque pacto trucidatum, vel si hoc elegeritis, effusum sanguinem vestrum vindicabit.

XXXII. Verba Epistolæ: « An non ista, inquit, persecutio est, quæ tot millia innocentum martyrum arctavit ad mortem [1]? Christiani enim secundum Evangelium Spiritu prompti, sed carne infirmi, a sacrilega contaminatione caminorum reperto compendio suas animas rapuerunt, imitati presbyteri Raziæ in Machabæorum libris exemplum [2]: nec frustra timentes. Quisquis enim in eorum manus inciderit, non evasit. Sed quantum velint faciant quod certum est, Dei esse non possunt qui faciunt

[1] Matth. xxvi, 41. — [2] 2 Mach. xiv, 41.

contra Deum. » Ad hæc resp. Apertissime omnino, quam persecutionem patiamini, et verissime confiteris. Ipsa est enim de qua jam dixi, quæ in sanctis Scripturis de quibusdam impiis satis evidenter expressa est, de quibus dictum est, quia persecutionem patiuntur ab ipsis factis suis [1] : quod quidem dici de vobis convenientissime potest, etiamsi vos aliorum manus propter vestra sacrilegia trucidarent. Nam et latrones et quilibet homines rei criminum capitalium, cum justis legibus puniuntur, non dicendi sunt persecutionem pati, nisi ab ipsis factis suis. Sed nunc plane cum parcente vobis mansuetudine christiana, ita in vos sævit vestra dementia, ut quemadmodum dicis : « Caminorum reperto compendio vestras animas rapiatis, » omni modo vos a vobis ipsis pati persecutionem, nimia est impudentia, si negatis; quando vos utrumque completis, et unde juste pereatis, et quod peritis. Sic autem dicis tot hominum millia esse qui hoc faciunt, quasi non etiam ista sit non parva causa, cur ab hujusmodi magisterio vestro Africa liberetur. Eorum est enim hominum genus, cui hoc malum persuadere potuistis, qui solent hæc et antea facere, maxime cum idololatriæ licentia usquequaque ferveret, quando isti Paganorum armis festa sua frequentantibus irruebant. Vovebant autem Pagani juvenes idolis suis quis quot occideret [2] : at isti gregatim hinc atque inde confluentes, tanquam in amphitheatro a venatoribus more immanium bestiarum venabulis se oppositis ingerebant, furentes moriebantur, putrescentes sepeliebantur, decipientes colebantur. Præter hæc sunt saxa immania et montium horrida prærupta, voluntariorum creberrimis mortibus nobilitata vestrorum : aquis et ignibus rarius id agebant; præcipitiis greges consumebantur ingentes. Ætatis nostræ hominibus res notisssimas

[1] Sap. xi, 21. — [2] Vide epist. 185, n. 12.

loquor. Quis enim nescit hoc genus hominum in horrendis facinoribus inquietum, ab utilibus operibus otiosum, crudelissimum in mortibus alienis, vilissimum in suis, maxime in agris territans, ab agris vacans, et victus sui causa cellas circumiens rusticanas, unde et Circumcellionum nomen accepit, universo mundo pene famosissimum Africani erroris opprobrium?

XXXIII. Ex hoc igitur genere quis ignorat quam multi antea per diversas mortes ibant et peribant et nunc in illorum comparatione quam pauci suis ignibus ardeant? Sed si putas moveri nos oportere, quia isto modo tot millia moriuntur; quantum existimas nos habere consolationis, quod a tanta dementia partis Donati, ubi non solum nefariæ divisionis error, verumetiam furor iste lex facta est, longe atque incomparabiliter plura millia liberantur? Neque enim isti qui pereunt, illorum saltem numero æquantur, qui ex ipso genere nunc jam tenentur ordine disciplinæ, colendisque agris amisso Circumcellionum et opere et nomine inserviunt, servant castitatem, tenent unitatem : quanto minus coæquantur isti perditi numero utriusque sexus, non solum puerorum et puellarum, juvenum et virginum, verumetiam conjugatorum et senum, quorum innumerabiles ex Donatistarum nefaria dissensione, in pacem Christi veram et catholicam transeunt. Isti quippe qui se incendunt, nec tot homines sunt quot loca sunt populis plena, quæ ab exitiali peste erroris illius et furoris, per hanc instantiam perficiendæ unitatis eruuntur. Numquidnam obsecro sanum misericordiæ potest esse concilium, ut simul cum illis isti omnes æternis gehennarum suppliciis serventur, ne illi in istorum comparatione perpauci suorum caminorum ignibus exurantur? Ut enim omnes cum Christo vivant magnis conatibus et votis agendum est : sed si hoc per quorumdam furorem

fieri non potest, saltem ut non omnes cum diabolo pereant, laborandum est.

XXXIV. Sane de Scripturis sanctis sagacissime inquirens, si quid proferre posses pro ista spontaneæ mortis sententia insana, invenisse te aliquid putas, quia scriptum est in Evangelio : « Spiritus quidem promptus est, caro » autem infirma [1] : » tanquam ideo se quisque occidere debeat, quia infirmus est. Ad passiones inter manus persequentium sustinendas non potuisti citius dicere falsos martyres vestros ex illorum esse numero, de quibus scriptum est : « Væ iis qui perdiderunt sustinentiam [2] : » et ad illos prorsus non pertinere quibus Dominus dicit : « In » vestra patientia possidebitis animas vestras [3]. » De quibus autem legitur : « Spiritus promptus est, caro autem » infirma [4] ; » sommo non voluntario premebantur, non interitu voluntario necabantur. Diligenter lege, et quid loquaris attende. Ubi est quod Apostolus ait : « Fidelis Deus » qui non permittet vos tentari super id quod potestis, » sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sus- » tiuere [5] ? » Ita-ne credendum non est huic apostolicæ veritati, et inimicos debemus nos ipsos habere, quia inimicos non possumus alios sustinere? Absit hoc a cordibus Christianis. Plane fideli Apostolo, imo ipsi fideli Deo, qui non sinit suos tentari supra quam ferre possunt, sed facit cum tentatione etiam exitum, ut possint sustinere, credant Catholici, non credant Donatistæ; et ne semper ista non credant, non sint Donatistæ. Quando enim desperatur in quibusque passionibus a Domino impetranda sapientia [6], et ideo quæritur compendium caminorum, ubi se isti non quidem feris, ut ait beatissimus

[1] Matth. xxvi, 41. — [2] Eccli. ii, 16. — [3] Luc. xxi, 19. — [4] Matth. xxvi, 41. — [5] 1 Cor. x, 13. — [6] *Forte* patientia.

Cyprianus [1], sed tamen flammis objiciunt, quos nemo damnavit : non est hoc consilium, sed furor; non est sapientia, sed amentia. Habeant isti incendia sua, qui non dicunt de adjutorio Domini; « Quoniam ab ipso patien» tia mea [2]. »

XXXV. Certe sanctus Job quando a capite usque ad pedes intolerabili vulnere putrescebat, et doloribus excruciabatur immanibus, hoc vestrum compendium habebat in promptu, quo se ab hujusmodi vita horrendis calamitatibus plena, in qua procul dubio manebat, nolebat cripere. Potestas utique aderat, sed justitia non sinebat. Secundum hoc enim dicit : « Atque utinam possem me » occidere, aut rogare alium ut faceret mihi hoc [3]. » Negavit se posse Justus, quod per justitiam fieri non poterat. Eo loquendi modo et Apostolus ad Galatas dicit: « Tes» timonium vobis perhibeo, quia si fieri posset, oculos » eruissetis et dedissetis mihi [4]. » Cur enim et hoc fieri non posset, nisi quia juste fieri nullo modo posset? Sic et Dominus cum per Angelos suos justum Loth de Sodomis exeuntem urgeret ut properaret in Segor : « Non enim, » inquit, potero facere rem, donec tu illo introeas [5]. » Non posse se dixit, quod sine dubio poterat per potentiam, sed non poterat per justitiam. Posset enim patientissimus Job, ut nihil aliud, vel cibum vel potum non sumere, atque ita illam vitam ærumnosam horrendamque consumere : sed hoc juste facere non posset, quoniam nulli fas est se ipsum occidere; maxime cum, ut possit vivere, possit fugere. An hoc aliquis dubitaverit, quod ille vir sanctus, qui tam multa in suis doloribus loquebatur, rogare ut hoc sibi fieret, aliquem posset? Neque enim non dolenti et putrescenti manus defuit ad perimendum,

[1] Lib. de laude martyrii ad Moysen et Maximum. — [2] Psal. LXI, 6. — [3] Job. XXX, juxta LXX. — [4] Galat. IV, 15. — [5] Gen. XIX, 22.

et lingua defuit ad rogandum. Certe vel ipsam conjugem suam poterat hoc rogare : quæ tamen ut hoc fieret nec ipsa suggessisset, quæ illum mori per ejus blasphemiam Deo irascente cupiebat [1] ; ideoque aliquid in Deum concilio nefando, tamen ut ipse se occideret, ei dicere non audebat. Plus juris invos diabolus habet, qui vobis tam facile persuadet, quod insipienti mulieri persuadere non potuerat, quam sibi ministram ad decipiendum virum, suis illi ablatis omnibus, reservavit. Dixit itaque se justus ille non posse aliquem rogare ut eum interficeret, etiam id ostendens utique non licere. Quod enim non potest juste, non potest justus : quoniam hoc decernendo prius mittit justitiam, ut quod non potest justus, possit injustus. Sic ergo dixit : « Atque utinam possem me ipsum interficere : » tanquam diceret : Atque utinam justum esset, tunc enim a justo fieri posset. Neque enim ut hoc posset, quod non potest nisi injustus, injustitiam sibi optaret. Sed si fieri posset, hanc vellet esse justitiam : quod fieri quia non potuit, ut hæc esset justitia, non potuit justus quod sola faceret injustitia. Ac per hoc non est injustum homini justo optare mortem, quando amarissima est vita : sed si Deus optatam non dederit, non erit justum nisi tolerare eam amarissimam vitam. Sicut a justo nec illud alienum est, ut optet vitam, quando amara mors imminet : sed cum se videt eam impetrare non posse, dicit quod nos in se transfigurans Dominus ait : « Verum non quod ego volo, sed quod » tu vis, Pater [2]. » Hæc autem illis dicenda sunt, quos ad mala gerenda [3] quærunt qui persequuntur, non quos ad bona participanda qui diligunt : eis, inquam, dicenda sunt ista, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, non qui eam sibi faciunt propter injustitiam.

XXXVI. Proinde etiam senior ille Razias, quem sibi

[1] Job. II, 9. — [2] Matth. XXVI, 39. — [3] *Forte* ingerenda.

isti exemplis sui sceleris destituti, de Machabæorum libris, tanquam imitandum se invenisse gloriantur, hoc facere debuit[1], quo in eisdem Litteris leguntur septem illi fratres etiam exhortante matre fecisse[2], ut comprehensus, et a lege Domini sui non aversus, omne quod ei applicitum esset acciperet, et in dolore sustineret, et in humilitate sua patientiam haberet. Quocirca humilitatem inter manus inimicorum non valens ferre, non plane sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum[3]. Verumtamen si diligentius consideremus, et ab isto apparetis alieni. Iste quippe cum jam comprehenderetur ab hostibus, non habuit liberam fugam; ideo se gladio percussit, et cum perimere non potuisset, de muro se præcipitavit. Deinde abruptam petram, cum jam vivere non posset, adhuc tamen spirans, et corpus impetu movens, currendo, licet exsanguis, obtinuit : ubi utraque manu producta sua intestina discerpsit, dispersit, occubuit : turba ita circumdatus ut evadere non posset, et si vivere posset. Vos igitur qui nec Dominum auditis dicentem, Fugite; nec imitamini Raziam, qui voluit, nec potuit fugere : profecto quia non habetis illum in præcepto, nec habetis istum in exemplo. Quid, quod iste Razias secundum vestram rationem sine dubitatione culpandus est? Dixisti enim propter Evangelicam sententiam, ubi Dominus ait : « Spi- » ritus quidem promptus, caro autem infirma[4]; » vos ad caminorum fugisse compendium quia videlicet infirmi estis proferre manus inimicorum, si ab eis comprehensi fueritis. Ergo illius qui se gladio graviter vulneravit, qui vulneratus murum petiit, qui se inde in cervicem præcipitem dedit, qui et postea potuit ad petram currere, in petra stare, in-

[1] 2 Mach. XIV, 41. — [2] Ibid. 7. — [3] Confer Augustini epistolam 204. n. 6 et 7. — [4] Matth. XXVI.

testina educere, carpere, spargere, numquid dici potest spiritus promptus, caro autem infirma ; cujus non solum spiritus tam promptus apparuit, sed etiam caro tam firma ut vix credibile sit eum facere voluisse ac valuisse quæ fecit ? Itaque vobis oportet iste displiceat, qui rationem vestræ infirmitatis sua firmitate perturbat. Porro si fugere valens, nec volens, in domum suam ligna congessisset, atque irruentibus inimicis ut eum comprehenderent, ignem supposuisset, seque cum suis ædibus concremasset, vobis quidem præbuisset exemplum, sed sibi acquisisset grande tormentum. Nunc enim quoniam fugere non valuit, aliquanto minus est fortasse sui sanguinis reus, quod sibi intulit mortem, quam comprehenso inimicus jam fuerat illaturus.

XXXVII. At enim sanctarum Scripturarum auctoritate laudatus est Razias? Quomodo laudatus ? Quia fuit amator civitatis. Hoc potuit et carnaliter, civitatis videlicet illius terrenæ Jerusalem, quæ servit cum filiis suis; non autem illius quæ sursum, liberæ matris nostræ. Laudatus est, quia continentiam servavit in Judaïsmo : et hæc sibi in comparatione justitiæ christianæ damna et stercora fuisse dicit Apostolus [1]. Laudatus est, quia pater Judæorum appellantur : hoc magis est, unde et illi tanquam homini subrepsit humilitatis impatientia, ut prius mori vellet quam hostibus subjici. Dictum est quod elegerit nobiliter mori : melius vellet humiliter, sic enim utiliter. Illis autem verbis historia gentium laudare consuevit, sed viros fortes hujus sæculi, non martyres Christi. Dictum est quod se viriliter de muro præcipitavit in turbas : nec nos dicimus eum hoc fecisse muliebriter. Quanquam vos qui multum exemplo isto profecistis, etiam fœminas vestras hoc facere docuistis : sed fatemur hoc etiam ipsas non facere muliebriter, sed viriliter ; non tamen salubriter,

[1] Philip. III, 8.

quia non fideliter. Ad extremum quod invocasse dictus est dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet, id est, vitam ut spiritum; nec tunc aliquid poposcit, quo boni discernuntur a malis. Reddet enim hæc Deus et his qui male egerunt, non in resurrectione vitæ æternæ, sed in resurrectione judicii æterni. Laudatus est itaque iste Razias amator civitatis, ut valde bene audiens, id est, bonæ famæ, quia pater Judæorum appellatus est, et quod continentiam tenuerit in Judaïsmo. Istam vero ejus mortem mirabiliorem quam prudentiorem narravit quemadmodum facta esset, non tanquam facienda esset Scriptura laudavit. Nostrum est autem, sicut Apostolus admonet, omnia probare, quæ bona sunt tenere, ab omni specie mala nos abstinere [1].

XXXVIII. Et hanc quidem Scripturam quæ appellatur Machabæorum, non habent Judæi sicut Legem et Prophetas et Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet tanquam testibus suis, dicens : « Oportebat im» pleri omnia quæ scripta sunt in Lege et Prophetis et in » Psalmis de me [2] : » sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur vel audiatur, maxime propter illos Machabæos qui pro Dei lege sicut veri martyres a persecutoribus tam indigna atque horrenda perpessi sunt [3]; ut etiam hinc populus christianus adverteret, quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, pro quibus passus est Christus, si tanta patientissime pertulerunt pro lege quam dedit Deus per famulum hominibus illis pro quibus nondum tradiderat Filium. Quanquam et iste Razias habeat quod legentibus prosit, non solum ut mens exer-

[1] 1 Thess. v, 21. — [2] Luc. xxiv, 44. — [3] De auctoritate libror. Machab. Vide lib. 18. De Civit. Dei cap. 36. et lib. 2. de doctrina Christian. c. 5. et de cura pro mortuis. c. 1.

ceatur recte judicando quod legit, verumetiam ut animus humanus, imo animus christianus adverteret, quanta ferenda sint ab inimicis ardore charitatis, cum a se ipso iste timore humilitatis tanta pertulerit. Sed ardor charitatis de sublimitate descendit gratiæ divinæ, timor autem humilitatis ex amore accidit laudis humanæ : et ideo ille certat per patientiam, hic autem peccat per impatientiam. Non itaque debemus quidquid in Scripturis etiam Dei testimonio laudatos homines fecisse legerimus, consentiendo approbare, sed considerando discernere, adhibentes judicium non sane nostræ auctoritatis, sed Scripturarum divinarum atque sanctarum : quæ nos nec illorum hominum quibus illic bonum atque præclarum testimonium perhibetur, omnia vel imitari vel laudare facta permittit, si quæ non recte ab eis facta sunt, vel huic jam tempori non conveniunt. Sed de iis quæ tunc fuerant recta, nunc non sunt, quid opus est aliquid in hac quæstione discutere; cum hoc unde agitur, ut sibi quis inferat mortem, maxime cui conceditur, vel potius qui compellitur vivere, in eis sit factis, quæ nec potuerant[1] unquam recta esse, nec potuerunt, sicut satis jam demonstravimus?

XXXIX. Proinde quomodolibet accipiatur a vobis hujus Raziæ vita laudata, non habet mors ejus laudatricem sapientiam, quia non habet dignam Dei famulis patientiam : potiusque huic vox illa Sapientiæ, quæ non laudi, sed detestationis est, competit : « Væ iis qui perdiderunt » sustinentiam[2]. » Nam si laudatorum facta omnia creditis imitanda, numquid melior est iste Razias quam David[3]? Cur ergo ejus factum de aliena uxore appetenda, ejusque occidendo marito, nullus bonus sibi proponit, sed potius cavendum atque vitandum? Numquid melior

[1] *Forte* poterunt. — [2] Eccli. II, 16. — [3] 2 Reg. XI.

est Razias quam Salomon? Placet-ne ergo vobis, ut ejus erga mulieres lasciviæ, quarum seductionibus usque ad templa idolis fabricanda perductus est, imitandum proponamus exemplum[1]? Numquid melior Razias quam Petrus apostolus, qui ubi dixit: « Tu es Christus Filius Dei » vivi[2], » tam beatus a Domino appellatus est, ut claves regni cœlorum accipere mereretur: nec tamen ideo[3] creditur imitandus, ubi mox eodem momento reprehensus, audivit: « Vade post me, Satanas, non enim sapis quæ Dei » sunt, sed quæ hominum? » Atque ut hæc taceam quæ voce apertissima sancta Ecclesiæ Scriptura culpavit, et ea dicam quæ tantummodo ibi narrata atque conscripta sunt, nec de his est in alteram partem laudis aut reprehensionis lata sententia, sed quæ nobis judicanda permissa sunt, numquid melior Razias quam Noë? Quis autem illum virum, quod jacuit ebrius, laudaverit sobrius[4]? Numquid melior est Razias quam Judas patriarcha? Quis tamen eum approbet, cui placeat, quem non rectissime offendat in illa fornicatione, quandoquidem non ad suam nurum quia hoc ignoravit, verumtamen ad eam quam meretricem putavit, impressus est[5]? Numquid melior est Razias, quam Samson[6]? Audete itaque dicere, si potestis, illud quod in crinibus habuit virtus magnum divinumque secretum, blandienti mulierculæ fuisse prodendum. Nam illud quod cum inimicis occidit et se ipsum, quando super se atque illos dejecit domum, mortem quam mox ab eis fuerat perpessurus, communem voluit cum illis habere, quia non posset evadere. Quod quidem non sua sponte fecit, sed hoc spiritui Dei tribuendum est, qui usus est eo ut faceret quando illi affuit, quod facere non poterat quando idem spiritus defuit. Si-

[1] 3 Reg. xi, 4 et 15. — [2] Matth. xvi, 17 et 23. — [3] *Forte* in eo. — [4] Gen. ix, 21. — [5] Id. xxxviii, 15. — [6] Judic. xvi, 17.

cut Abrahæ factum quando filium voluit immolare, quod Deo jubente fuit obedientia, Deo non jubente quid fuit nisi dementia?

XL. His sacris Litteris eruditus beatus Cyprianus, in Confessione sua dixit : « Disciplinam prohibere ne quis se offerat[3]. » Videte quantum mali faciatis cum vos vultis occidere, qui estis indisciplinati etiam si vos aliis hoc vobis facere cupientibus velletis offerre. Fugam præcipit quem vocatis Salvatorem, fugam permittit persecutor : quid ergo sequimini, ut vestris ignibus pereatis, nisi vestrum furorem? Et tamen dicis : « Annon est ista persecutio, quæ tot millia innocentum arctavit ad mortem? » Ostendite quomodo sitis innocentes, qui Christum dividitis et vos occiditis. Ostendite quomodo arctemini ad mortem, quibus fuga et divinitus jubetur, et humanitus relaxatur. Ostendite quemadmodum caminorum compendio animas vestras a contaminatione rapiatis, quos potius caminorum sacrilegio tanquam diabolico sacrificio contaminatissimas facitis. Interrogate Christum, jubet vos fugere; interrogate Tribunum, permittit vos fugere. Si et ipsum Raziam interrogare possetis, responderet vobis : Ego non potui fugere. Vos ergo nec Christum salvatorem, nec Tribunum persecutorem, nec Raziam auctorem habetis.

XLI. Quod autem dixisti, ut se ipsos vestri occiderent, non eos frustra timuisse, quoniam quisquis in nostras vel nostrorum manus incidit, non evasit. Quid evaserit, quæro? Si mortem, cur eam vobis infertis manibus vestris, si hanc timetis a nostris? Sed manifestum est non de morte vos dicere. Nam quantum cupiamus vos vivere, etiam ipsi scitis; ideo nos de vestra morte terretis.

[3] In actis passionis Cypriani martyris, quorum initium, Imperatore Valeriano.

Proinde si communionem nostram dicis, neminem vestrum qui in manus nostras incidit evasisse, utinam verum diceres. Valde quippe feliciter non evaderent communionem quæ offertur a catholicis, ut evaderent damnationem quæ paratur hæreticis. Sed falsum esse quod dicis, vel ex vestro Emerito cogitare potuisti, qui cum venisset ad nos, facilius est veritate convictus, quam communicare compulsus. Sunt et alii fama quidem minores, sed stultitia pares. Quisquis enim fuit similis vanitatis, ut contra manifestissimam veritatem perversissima verecundia fieret pertinax, cum putari erubescit inconstans, expers a nobis catholicæ communionis abscessit. Sed ideo dixisti : « Quisquis in eorum manus incidit, non evasit; » quoniam paucissimos apertissimæ veritati perseveranter resistentes et discedentes latere arbitratus es. Sed Emerito fecisti secundum vos gravissimam injuriam, qui perdidit apud te duritiæ suæ laudem, tanquam frustra esse voluerit inter paucos veritati non consentientes, quia deputari meruit inter latentes. Quis nostrum non te credat invidere collegæ? Aut si non invides, imitare. Veni ad nos et tu, sicut ipse; audi quod dicimus, sicut ipse; responde si potes, quod non potuit ipse. Si autem nec respondere, nec communicare volueris, discede, sicut ipse. Ecce ille de nostris manibus illæsus abscessit. Tu quare dicis : « Quisquis in eorum manus incidit, non evasit? » Ecce ille non sibi credidit loca defutura ubi posset latere : tu quare disponis ardere? Ita-ne nondum vides vos esse potius qui non pertinetis ad Deum, et qui facitis contra Deum, non solum peste communi qua Christi unitati resistitis; sed etiam vos præcipue, qui huic tanto sceleri vestro, etiam vestras mortes addere festinatis?

XLII. Verba Epistolæ : « Sed quoniam prudentiam

tuam, inquit, executoris, officium non decebat, quæso paucis adverte. Alia est, ut reor, solida veritas, alia effigies veritatis : quoniam veritas robore suo firmata constat, idolum sive simulacrum est quod in injuriam veri simile fecerit humana præsumptio : nunquam tamen potest præjudicare veritati fallacia. Simulacrorum cultores dico, qui non tenent veritatem : sub alieno vocabulo gentilem existimo, qui facit sibi quod colat. Unde publicum apertumque est, quod minis, sive terrore et persecutionibus crebris Gabinum similesque de naturæ libertate sublatos, ipsi sibi quos venerarentur perfidos fabricasse noscuntur, ad quorum cultum coguntur inviti. » Ad hæc resp. Adhuc addis furori vestro verba blasphemiæ, et audes dicere Ecclesiam catholicam humanum esse figmentum, cui dicit Deus : « Ego enim sum Dominus qui » facio te, Dominus nomen ei[1]. » Et ut sciamus ipsam eam Catholicam universo terrarum orbe diffusam, sequitur et adjungit : Et qui eruit te, ipse Deus Israël universæ terræ vocabitur. Hoc evidentissimum Dei opus, humanum dicitis esse figmentum : nec vos respicitis, quod ab ista Ecclesia quam se promisit Deus in universa terra esse facturum, nullo modo separaremini, nisi hominem sequeremini. Nos eum sequimur qui dixit Abrahæ : « In » semine tuo benedicentur omnes gentes[2]. » Eum sequimur qui dixit ipsi Ecclesiæ suæ, quod modo commemoravi, Ego sum Dominus qui facio te, Dominus nomen ei; et » qui eruit te, ipse Deus Israël universæ terræ vocabi- » tur. » Propterea tenentes Ecclesiam, quæ dilatatur et crescit per omnes gentes et per universam terram, non utique figmentum sequimur humanum, sed promissum, factumque divinum. Vos quid sequimini, ut ab hujus divinæ promissionis et divini operis communione divisi,

[1] Isaï. LIV, 5. — [2] Gen. XXII, 18.

velitis esse de parte Donati? Peccato Cæciliani perisse de orbe terrarum promissiones Dei, et remansisse in parte Donati, homo vobis dixit, an Deus? Si Deus, legite hoc nobis ex Lege, Prophetis, Psalmis, Apostolicis et Evangelicis litteris. Legite, si potestis, quod in Collatione nostra minime potuistis. Si autem homines ista dixerunt, de quibus dictum est : « Firmaverunt sibi sermonem malig- » num[1] : » Ecce humanum figmentum, ecce quod colitis, ecce cui servitis, ecce propter quod rebellatis, insanitis, ardetis.

XLIII. Gabinus vero et cæteri, qui hanc Ecclesiam cognoverunt, elegerunt, tenuerunt, non humanum figmentum, sed divinum promissum prædictum et impletum cum fidelibus habere cupientes, ulterius pro humano figmento ipsas humanas molestias perpeti noluerunt. Qui enim pro veritate et unitate Christi, non dico res suas, sed istam etiam vitam suam, aliis duntaxat auferentibus atque interficientibus, amiserit, vere fidem habet, vere spem habet, vere charitatem habet, vere Deum habet. Quisquis autem pro parte Donati vel fimbriam vestimenti perdiderit[1], cor non habet. Quid ergo mirum, si homines sapientes, cum viderunt contra obduratæ consuetudinis pertinacissimam vetustatem proposita sibi esse damna et exilia, consideraverunt utrum pro parte Donati contra Ecclesiam catholicam, hoc est, pro figmento humano contra opus divinum perpeti ista deberent : et se utique non debere viderunt; atque istam quam vocatis persecutionem, cognoverunt sibi esse correctionis occasionem, et fecerunt quod scriptum est : « Da sapienti occasionem, » et sapientior erit[2] ? » Vides itaque quam inaniter dixeris homini, qui ex præcepto piissimi Imperatoris sui vestram correctionem requirit, quod hujus prudentiam executoris

[1] Psal. LXIII, 6. — [2] Confer lib. 2 cont. Petil. c. 98. — [3] Prov. IX, 9.

officium non decebat. Quid enim magis religiosum militantem decet, quam ut in ea causa in qua perpendit, quibusnam vos vultis esse deceptio [1], multis ipse fiat corrigendis salvatio?

XLIV. Verba Epistolæ : « Ad docendum, inquit, populum Israël omnipotens Deus Prophetis præconium dedit, non regibus imperavit. Salvator animarum Dominus Christus ad insinuandam fidem, piscatores, non milites misit. » Ad hæc resp. Audite ergo Prophetas sanctos, et sanctos Piscatores : et molestos non patiemini religiosissimos reges. Jam enim et superius ostendi, ad curam pertinuisse regis, ut Ninivitæ Deum placarent, cujus iram Propheta annuntiaverat. Quandiu ergo vos non tenetis Ecclesiam, quam prænuntiaverunt [2], piscatores Apostoli plantaverunt : tandiu reges qui eam tenent, rectissime ad suam curam judicant pertinere, ne vos adversus eam rebelletis impune. Nam Deus et reges habuit inter Prophetas : David quippe sanctus, quod non potestis ignorare, rex fuit. Audite itaque prophetantem regem, et nullum religiosum regem formidabitis irascentem : audite, inquam, Prophetam regem dicentem de Christo : « Domi» nabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad » terminos orbis terræ [3] : » et non timebitis Christianum regem succensentem vobis hanc Ecclesiam blasphemantibus, quæ sicut a Rege prophetata est, exhibetur usque ad terminos orbis terræ. Quia et rex Nabuchodonosor, quamvis propheta non fuerit, eos tamen qui blasphemarent Deum Sidrach, Misach et Abdenago, religiosa severitate coërcuit [4].

XLV. Verba Epistolæ : « Mundanæ, inquit, militiæ nunquam Deus expectavit auxilium, qui solus potest de

[1] *Forte* quibusdam vos stultis esse exitio. — [2] *Forte* prophetæ prænuntiaverunt. — [3] Psal. LXXI, 8. — [4] Dan. III, 96.

vivis et mortuis judicare. » Ad hæc resp. Non mundanæ militiæ Deus expectat auxilium, quando regibus largitur potius beneficium, qui eis inspirat, ut in regno suo curent fieri Domini sui præceptum. Quibus enim dictum est : « Et nunc, reges, intelligite, erudimini qui judicatis » terram : servite Domino in timore[1] : » Sentiunt suam potestatem ita Domino servire debere, ut ea potestate plectantur, qui nolunt ejus voluntati servire. Quod autem de militibus facis invidiam, si utique ista cura, sicut jam docuimus, in Scripturis sanctis pertinere demonstratur ad reges, per quos id acturi sunt adversus rebelles Circumcelliones et insanos eorum sive participes sive principes, nisi per subditos milites?

XLVI. Verba Epistolæ : « Sed hoc non sciunt, inquit, alienarum rerum incubatores, qui nec Deum audiunt dicentem : « Non concupiscas rem proximi tui[2] : » nec per Salomonem Spiritum sanctum dicentem : « Tunc » stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se » angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. » Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in » subitatione inspiratæ salutis, dicentes inter se pœniten- » tiam habentes, et per angustiam spiritus gementes : « Hi » sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitu- » dinem improperii : nos insensati vitam illorum existima- » bamus insaniam, et finem illorum sine honore; quomodo » computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illo- » rum est? Ergo erravimus a via veritatis; et justitiæ lumen » non illuxit nobis : lassati sumus in iniquitatis et perdi- » tionis via, et ambulavimus solitudines difficiles, viam » autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? » aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt » omnia tanquam umbra. Hæc igitur fides nos hortatur,

[1] Psal. II, 10. — [2] Exod. XX, 17.

» ut libenter pro Deo in ista persecutione moriamur.[1] » Ad hæc resp. Agnoscite scelus vestrum, et nolite vobis usurpare nomen alienum. Scriptura dixit : « Tunc stabunt » justi in magna constantia adversus eos qui se angustia- » verunt, et qui abstulerunt labores eorum. » Non dixit : Stabunt omnes qui mala passi sunt : sed : « Stabunt » justi. » Sicut et Dominus cum dixisset : « Beati qui » persecutionem patiuntur[2] ; » nisi addidisset : « Propter » justitiam, » non solos significaret qui pro sua in Domino patientia coronantur, sed etiam illos qui justis legibus puniuntur. Quapropter si ad vos putatis hæc justorum verba quæ scripta sunt pertinere, prius an justi sitis ostendite. Habetis enim res magnas, quas inter vestras justitias ventiletis[3], divisionem Christi, rescissionem sacramentorum Christi, desertionem pacis Christi, bellum contra membra Christi, criminationes in conjugem Christi, negationem promissorum Christi. Hæ sunt justitiæ vestræ, propter quas videlicet stabitis in magna constantia adversus eos qui vos angustiaverunt, et abstulerunt labores vestros. Jam vero cum inter justitias vestras jactare cœperitis, quod vos ipsos necatis ; quis vobis justus æquabitur? Tunc enim maxime apparebitis vindicandi. Sed videte de quibus : de his utique qui vos occiderunt. Ergo ut vindicemini, puniemini, et stabitis adversus vos ipsos? Maxime stabitis, qui, caminis clausis, vos in crudeles angustias coarctatis, ut et qui voluerit subvenire, non possit intrare, et qui voluerit evadere, non possit exire. Absit, absit ut stent cum magna constantia, cum stabunt cum tam mala conscientia. Nisi forte arbitramini propterea vobis Deum tunc posse parcere pro sceleribus vestris, quia ipsi vobis modo non parcitis. Unde etiam quædam sanctimoniales vestræ gravidæ per saxa se

[1] Sap. v, 1-12. — [2] Matth. v, 10. — [3] *Forte* venditetis.

miserunt, et dissilientibus uteris homicidiorum scelere et stuprorum scelera prodiderunt; existimantes si hoc modo in se vindicassent, nullo jam modo Deum vindicaturum: sicut et vos putatis, quæ sacrilegio schismatis et hæresis, vel deprædando, detruncando, excæcando, occidendo, postremo etiam rebaptizando Catholicos, et quælibet alia potuerunt a vobis nefanda committi, isto modo posse, quia vos occiditis, expiari. Sed erratis: hoc putavit et Judas. An hoc etiam vultis addere documentum, quo certius noverimus majores vestros potius fuisse traditores; quia mortem imitamini traditoris?

XXVII. Ergo quod in Collatione contentiose negare voluistis, etiam hinc vera esse gesta firmatis. In quibus confessis traditoribus, qui tunc primæ sedis episcopus in Numidia fuit, Secundus Tigisitanus ignovit, et quibus crimina traditionis manifesta atque confessa apud Cirtam præsentibus relaxavit, cum his apud Carthaginem tanquam traditores non convictos absentesque punivit: a quo crimine etiam Secundus ipse, objiciente Purpurio Limatensi, se purgare non potuit, quando ei dixit idem Purpurius: : « Tu quid egisti quando tentus es a Curatore et Ordine, ut Scripturas dares? Quomodo te liberasti ab ipsis, nisi quia dedisti, aut jussisti dari quodcumque? Nam non te dimittebant passim. » Hoc autem Secundus etiam in litteris suis ad Mensurium datis, quas vos ipsi protulistis atque recitastis, sine ambiguitate confessus est quod non tradiderit, sed quod ad eum pervenerint a Curatore et Ordine missi persecutores, quos ei Purpurius Limatensis objecit, ut Scripturas traderet: quas cum ab illo peterent, se respondisse: « Christianus sum et episcopus, non traditor, » eique[1] nihil omnino tradere voluisse. Quod ei vultis ut credamus, cum et vos ipsi quam

[1] *Forte* eisque.

sit incredibile videatis, fervente illa persecutione detentum episcopum sive conventum ut Scripturas Dominicas traderet, nullis traditis fuisse dimissum. Nempe contendebatis non potuisse episcopos ad ordinandum episcopum ad civitatem Cirtensem persecutionis tempore convenire. Quomodo ergo persecutio illa fervebat, si potuit episcopus propter Scripturas tradendas teneri, nullisque traditis impune dimitti? Et tamen clamabatis, immanitatem persecutionis illius temporis describentes, nec duodecim episcopos ad ordinandum episcopum, potuisse in concilium congregari, qui gesta illa conficerent, ubi crimina traditionis invicem donaverunt, proque pace Ecclesiæ judicanda Domino reliquerunt : cum vos hoc tempore talem persecutionem vos perpeti dixistis, qualis nunquam fuit, id est, ut loca vobis desint, quo confugere, atque ubi latere possitis; cum concilia faciatis, episcopos ordinetis, etiam in eorum locum, qui suis ignibus perierunt, iterum tales, qui suis ignibus perire parati sunt. In concilium autem tantæ, ut putatis atque jactatis, persecutionis tempore, amplius etiam quam triginta convenire potuistis, ubi et Petilianus fuit, qui persecutionis tempore nec duodecim convenire potuisse clamabat.

XLVIII. Porro in ipso concilio statuistis, ut « Qui nobis inviti communicaverunt, episcoporum vel presbyterorum, tantum si sacrificium non obtulerint, aut in populo non tractaverint, ad veniam pertineant, et in suis honoribus recipiantur : » ac si totas calumniarum vestrarum vires, etiam ipsi hoc decreto vestro penitus amputastis. Ubi est enim quod vestro vaniloquio etiam eos, qui non fuerunt, dicitis per communionem nostram fieri traditores, quia scilicet sicut calumniamini, illi nos inquinaverunt, qui urgentibus tunc impiis potestatibus libros ecclesiasticos tradiderunt? Cur ergo nunc a crimine

absolvitis, quos nobis communicasse cognoveritis invitos, si sacrificium non obtulerint, neque sermonem in populo fecerint; quasi illi tunc primi traditores sub terrore et horrore immanium suppliciorum, qualia modo vobis omnino nullus ingessit, codices sanctos non inviti tradiderint, aut sacrificium illic obtulerint, aut in populo sermonem fecerint? Videtis ergo quod sicut vos istis, quos vanissime criminamini communione nostra fieri traditores, si quid inviti fecerint, potuistis ignoscere; ita etiam majores vestri in necessitate multo arctiore tradentibus traditoribus veris, in eadem regula ignoscere potuerunt. Sed ut damnarent alios absentes et inauditos, inimicorum Cæciliani factione compulsi sunt, facientes quod de talibus Apostolus dicit : « In quo enim alium judicas, te » ipsum condemnas; eadem enim agis quæ judicas[1]. »

XLIX. Quapropter quoniam Donatistæ semetipsos occidere semper amaverunt, et ipsi ab initio traditores fuerunt; quid mirum si traditoris mortem etiam suos posteros amare docuerunt? Sed vitandæ hujus similitudinis causa, vel nunquam, vel difficillime se laqueo necaverunt. Frustra omnino; nam ille Judam traditorem id facere compulit[2], qui et illum puerum, quem sanavit Dominus, in aquam et ignem sæpe dejecit, et gregem porcorum in mare præcipitavit, et ipsi Domino præcipitium de pinna templi audaci præsumptione suggessit. Quamvis itaque diversis modis voluntariam vos præcipitetis in mortem, tamen ejusdem diaboli instinctu vos ipsos necando imitamini traditorem. Quod etsi vos non estis, eorum tamen qui fuerunt, et schisma fecerunt, in quo libenter estis, etiam hoc in vobis facere, quod in se traditor fecit, nefando magisterio didicistis. Ecce cum qua justitia stabitis adversus eos, qui vos angustiaverunt : ut si vestræ mor-

[1] Rom. II, 1. — [2] Matth. XXVII, 5.

tes vindicabuntur, nonnisi in vobis ipsis justissime vindicentur.

L. Qui sunt autem labores vestri, quos a vobis jactatis auferri? An-ne injustum est, ut Ecclesiæ quæ fuerunt vestræ, cum in pacem catholicam transeunt, cum suis rebus transeant? Illis enim ad nos transeuntibus, si res earum vultis tenere, vos procul dubio res alienas vultis auferre. Mater autem Catholica vobis dicit, quod quibusdam beatus Apostolus dixit: « Non enim quæro quæ » vestra sunt, sed vos[1]. » Verumtamen quomodo vobis non estis ipsi contrarii, quando utrumque nobis objicitis, et quod res vestras possidere cupiamus, et quod violenter vos nobiscum esse cogamus? Hæc duo quam sint inter se contraria, non videtis[2]. Si enim ad communionem nostram vos invitos quærimus et tenemus, quomodo res vestras desideramus, quas utique vobis communicantibus habere non possumus? Si autem illas cupimus obtinere, quomodo vos quærimus, ut eas vobis communicantibus amittamus? Sed confitemur vobis, cupiditas nostra charitas vocatur: hæc vos quærit in nobis; hæc vos invenire, corrigere, atque in unitatem Christi sociare desiderat, ne vestris caminis vos ardere timeamus. Hujus igne fervemus, hæc nos accendit, ut non solum non concupiscamus res vestras, sed nobiscum optemus possideatis et nostras. Agnoscite, et venite, et perire nolite; aut si ultro venire erubescitis, servimus infirmitati, ne quid pereat charitati. Ecce volumus vos tenere, quid festinatis ardere? Ad vitam tenemus, ad salutem tenemus, ad Christi unitatem, veritatem, suavitatem tenemus: et ad cœnam tanti patrisfamilias, si sponte non vultis, intrare compellimus.

LI. De justitia certamen est, non de pecunia. Cavete

[1] 2 Cor. XII, 14. — [2] Confer epistolam 285, n. 35.

ergo ne forte dum putatis ad vos pertinere quod scriptum est : « Tunc stabunt justi in magna constantia adversus » eos qui se angustiaverunt, et abstulerunt labores eo» rum [1] : » non hoc vobis contingat de laboribus vestris, sed potius illud quod alibi scriptum est : « Labores im» piorum justi edent [2]. » Neque enim stabunt contra vos Maximianistæ, quorum quando potuistis, basilicas abstulistis : aut stabunt contra vos Pagani quorum certe ubi potuistis, templa evertistis et basilicas construxistis; quod et nos fecimus : aut stabunt adversus vos symphoniaci dæmoniorum, quorum tibias et scabella fregistis; quod et nos fecimus. Sic nec vos stabitis adversus nos. In talibus quippe omnibus factis, non rapina concupiscitur [3], sed error evertitur. Sicut ergo non stabunt Chananæi adversus Israëlitas, quamvis Israëlitæ abstulerunt labores eorum; sed stabit Naboth adversus Achab [4]; quia delictum factum est, non præceptum, ut labores justi auferret injustus : sic hæretici non stabunt adversus Catholicos, cum in rebus hæreticorum Christiani imperii jussa complentur; nec res eorum a Catholicis auferuntur, sed potius inquiruntur, eisque multa quantum fieri potest, correctis reddenda servantur : sed stabunt Catholici, non solum adversus Gentiles, a quibus Martyres veri expoliati sunt; verumetiam adversus Circumcelliones Donatistarum, quia et ipsi abstulerunt labores eorum. Verum de his pecuniariis laboribus facilior causa est. Ecce quotidie, si quis ad nos transitum facit, ([5] cum etiam illi quorum erant, ad pacem Catholicam transeunt,) reddimus pecuniam, vestem, fructus, vasa, rura, tecta vestro-

[1] Sap. v, 1. — [2] Id. x, 19. — [3] Vide epistolam 185. n. 4. — [4] 3 Reg. xxi. — [5] Hæc verba quæ uncinis includuntur forte sunt collocanda proxime post *facilior causa est* in linea superiori.

rum : vos quomodo nobis reddituri estis membra nostrorum ?

LII. Nempe aliquando expergiscimini, et cernite nec vos esse de quibus dicatur, nec nos a quibus dicatur : « Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum[1] : » cum potius vos habeamus in fletum. Nec vos computamini inter filios Dei, nisi recedentes a parte Donati hanc tenueritis Ecclesiam, quam sicut prædixit, exhibet Filius Dei. Nec inter Sanctos est sors vestra, sed inter hæreticos. Nam quod alios de vobis dicturos putatis : « Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, » Miror quod tam insensati estis, ut ipsi vobis modo talia non dicatis. Sanctis quidem veris ac fidelibus immundi et infideles tunc ista dicturi sunt, eis utique quos nunc existimant insanire, quia luxuriis quas vident frui nolunt, dum quod non vident credunt. Sed vos si non vitam vestram, certe istam quam vobis vultis facere, mortem vestram, si non existimatis insaniam, desperatius insanitis. Verba vero illa : « Ergo erravimus a via veritatis, etc., » non erunt quidem tantum vestra, sed maxime et vestra. Erratis enim, quod manifestum est, a via veritatis, et justitiæ lumen non lucet vobis, lassamini in iniquitatis via et perditionis, et ambulatis solitudines difficiles, viam vero Domini ignoratis. Quæ autem sequuntur : « Quid nobis » profuit superbia, aut quid divitiarum jactantia contulit » nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra : » nescio utrum quisquam inter cæteros diceret aptius et convenientius, quam tuus decessor Optatus[2]. Nolite ergo putare vos quales non estis, et perire quales estis : quoniam non vos hæc fides, sed vester malus error hortatur, ut non libenter pro Deo, sicut dicis, in ista persecutione

[1] Sap. v, 3. — [2] Optatus episcopus Thamugadensis.

moriamini, sed nequiter pro Donato factis vestris persecutionem patiamini.

LIII. Verba Epistolæ : et alia manu : « Opto te, inquit, incolumem veritate perspecta animum lenire, et ab innocentum exitibus temperare. » Ad hæc resp. Vos potius veritate perspecta lenite animum vestrum, ne sic sæviat, ut nec vobis parcat. Nam quid isto, cui hæc scripsisti, facile potest lenius inveniri, qui vos et invitavit ad vitam, et si eam nobiscum agere nolletis, relaxavit ad fugam? Vos in vos estis asperi, vos immites, vos sine ulla humanitatis consideratione crudeles, qui hoc in vobis facitis, quod in suis inimicis facere consueverunt errorum dilectores, et hominum persecutores, ut sit quod amarissime doleant errorum persecutores et hominum dilectores. Quid autem optas ut ab innocentum exitibus temperetur? Vos quidem innocentes non estis : tamen ille vobis dedit exitum, sed ipsi vobis dare vultis exitium. Puto enim, quod verbi ignorantia te fefellit, ut volens intelligi exitia, exitus diceres. Cum ergo hortaris optando, ut se ab innocentium exitiis imperialium legum temperaret executor, id agis ut deceptoribus parcat, et innocentes decipi impune permittat. Quid ergo aliud, nisi ut ille cui te bene arbitraris optare, nec Deo, nec Imperatori suo servet fidem : quia scilicet per justitiam non veram, sed vestram, ad Imperatorem curam pertinere causæ hujusmodi non deberent, ut calumniosa divisio sanaretur; deberent autem, ut quando facta est firmaretur? Si doctrina ista, quam non de Scripturis sanctis, sed nescio unde didicistis, justa vobis videtur, ut hæc ad imperialem non pertineat potestatem : tunc majoribus vestris venisset in mentem, quando Cæciliani causam ad imperatoris judicium Constantini accusando miserunt. Nunc vero quia leones Danielem propter innocentiam non

læserunt[1], vultis ut illis parcat, qui eum calumniando leonibus objecerunt? Sed non ut homo judicat Deus, in cujus manu cor regis est, et quo voluerit inclinat illud [2]. Cor autem regis cum est infidele, aut exercentur, aut probantur boni : cum vero est fidele, aut corriguntur, aut plectuntur mali. Horum duorum quid in vestra causa sit, satis jam diximus, satisque litteris tuis nullius loci prætermissione respondimus : quod utinam et tibi, tamen aliquibus ex vobis profuturum esse Deo miserante confidimus.

LIV. Ad hæc autem si respondere aliquid præparas, lege etiam illa quæ cum Emerito acta sunt [3], quibus ille respondere non potuit, ne forte tu possis, sicut jam superius ut experireris admonui. De causa etiam Maximianistarum cum illo egimus, de qua a nobis in Collatione toties vobis objecta nihil responditis, quoniam de re manifestissima et recentissima nihil quod responderitis invenire potuistis, quomodo Maximianus quem multo graviore quam Cæcilianum sententia percussistis [4], ita ut diceretis eum « Dathæ, Chore, et Abiron ministrum [5], » quos pro scelere schismatis vivos terra deglutivit, non polluerit consortes schismatis sui, quibus ut ad vestram communionem redirent, dilationem dedistis, non polluerit Afer Afros, vivus vivos, notus notos, particeps socios, et Cæcilianus polluerit transmarinos, polluerit longe positos, polluerit ignotos, polluerit nondum natos. Inveni, si potes, quid dicas, quomodo susceperitis honorem Feliciani Mustitani, et Prætextati Assuritani, quos cum Maximiano et aliis decem sine ulla dilatione damnastis, contra quos ut eos de basilicis pelleretis, apud duos, vel nisi fallor, apud tres proconsules litigastis, et cum jam in locum

[1] Dan. VI, 22. — [2] Prov. XXI, 1. — [3] Sup. lib. de Gestis cum Emerito. — [4] In sententia Concilii Bagaiensis. — [5] Num. XVI, 31.

Prætexati alium ordinassetis, post tam longum tempus eos in suis honoribus recepistis. Qua justitia, qua ratione, qua fronte in honore suo suscipitur Maximianista damnatus, et damnatur orbis terrarum catholicus inauditus? Qua justitia, qua ratione, qua fronte cavendum esse dicitis, ne vos inquinet Cæcilianus olim defunctus, vobisque prorsus incognitus, vestris majoribus judicantibus semel damnatus, vestris majoribus accusantibus ter absolutus; et cavendum non putastis, ne vos inquinaret Felicianus, universalis concilii vestri ore damnatus, et ab universis vobis, præcipue tui prædecessoris [1] favore susceptus? Qua justitia, qua ratione, qua fronte rescinditis baptismum quem dant Ecclesiæ, quas laboribus suis Apostoli plantaverunt; cum susceperitis baptismum quem Felicianus et Prætextatus per tam longum tempus, quando contra eos damnatos litigabatis, foris a vestra Ecclesia tradiderunt? Si enim, ut soletis male intelligere, et nobis objicere, sic est intelligendum quod scriptum est: « Qui » baptizatur a mortuo quid proficit lavacro suo [2]: » inter illos isti jacebant quando baptizabant, de quibus vestra Bagaïtana sententia tanto strepitu insonuit: Ægyptiorum admodum exemplo pereuntium funeribus plena sunt littora: quibus in ipsa morte major est pœna, quod post extortam aquis ultricibus animam, nec ipsam inveniunt sepulturam. » Quid ad hæc dicturi estis? Ecce mortui baptizant eos quos suscipitis nec morimini, et nobis tanquam mortuis calamniamini, ut catholicæ unitati communicare nolentes vestris ignibus vere moriamini. Responde ad ista: vacat tibi cogitare quid dicas. Saltem in hoc aliquod tibi beneficium conferamus, ut dum cogitas quomodo respondeas, minime cogites quomodo ardeas. Sed nolumus ut inopia respondendi lassum illud et quas-

[1] Optati Gildoniani. — [2] Eccle. XXIV, 30.

sum, quod dicere consuevistis, adhuc tibi existimes esse dicendum, « Si tales sumus, quare nos quæritis? » Respondemus enim : Magis vos catholica Ecclesia debet quærere, quia peristis, si vos Maximianistas perditi perditos inquisistis. De corde enim vestro nobis dicitis : « Quare » quæritis tot tantorumque reos criminum? » Sed de libro Dei vobis respondemus : « Quia charitas cooperit » multitudinem peccatorum [1]. »

[1] 1 Petr. IV, 8.

LIBER II.

Gaudentii contra superiorem librum responsio diluitur.

I. Accepi, Gaudenti, responsionem tuam : si tamen responsio ista dicenda est, quam mihi propterea referre voluisti, ne, si tacuisses, diceremus te esse convictum. Sed non hoc est respondere, quod est non tacere. Nam si hoc est, respondisti plane : sed id eo, ut etiam hi, qui de te aliquid possent sperare, noverint te non invenisse quid respondere deberes. et tamen respondisse ne taceres. Itaque cum caveres ne victus diceremis, fecisti ut ostendereris. Ad quod ostendendum tua ipsa scripta sufficiunt, si ab intelligentibus legantur, et meis diligenti examine comparentur. Ut autem scriptis aliis hoc doceam, quo etiam ingeniis tardioribus satisfiat, aliquanto prolixior disputatio necessaria est : quam quidem aggrediar, si opus fuerit, Dominusque voluerit.

II. Nunc interim, quoniam vos potius esse catholicos testimonio beati Cypriani affirmare conatus es : attende paululum quam Ecclesiam dixerit ille catholicam, cum ejus defenderet unitatem. « Ecclesia, inquit, Domini luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit : unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit : unum tamen caput est, et origo una et una mater, fœcunditatis successibus copiosa. » Quid igitur et vos ipsos fallitis, et alios fallere mendaciis impudentibus vultis? Si hujus martyris testimonio vestra est Ecclesia catholica,

ostendite illam per orbem totum radios suos porrigere, ostendite illam per universam terram ramos suos copia ubertatis extendere. Hinc enim et græco vocabulo Catholica nominatur. Quod enim græce ὅλον dicitur, latine totum vel universum interpretatur. Per totum ergo sive secundum totum est καθ' ὅλον, unde Catholica nuncupatur. Si hoc nosti, quare te nosse dissimulas? Si autem ignoras, quare non priusquam loqueris, quod nescis, eos qui norunt, interrogas? Quod si displicet tibi, non græcam sed aliquam linguam inveni, qua doceas καθ' ὅλον, non per totum, sive secundum totum, vel secundum universum significare : et recede a testimonio Cypriani. Ille namque contra te loquitur, qui vides quid dicat. Per orbem totum dicit, et per universam terram porrigi, extendique Catholicam, græco ejus nomini ac definitioni consentiens. Tu aliud tenere, sentire, dicere reperiris, et dum Cypriano teste inniteris, Cypriano teste mentiris.

III. Ab hac ergo vera germanaque Catholica, quæ Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, ramos suos per universam terram copia ubertatis extendit, quæ causa vobis fuerit exeundi, cum interrogamini, nihil justum invenitis : prorsus ab hac Ecclesia exitum vestrum nulla purgatione probabilis excusationis abluitis. Quid enim dicitis, nisi : « Necessitas compulit, ut justi relinqueremus injustos? » Respondet vobis Scriptura divina : « Filius malus ipse se justum dicit; exitum vero » suum non abluit[1]. Exitum, inquit, suum, » utique illum, de quo dicit Apostolus Joannes : « Ex nobis exierunt[2], » omnino non abluit, non defendit, non excusat, non purgat. Ad justos enim non pertinet in Ecclesia catholica, nisi malos, quos corrigere vel damnare non possunt, patientissime tolerare; nec propter zizania, de Dominico agro,

[1] Prov. xxiv, juxta LXX. — [2] 1 Joan. ii, 19.

nec propter paleam, de Dominica area, nec propter vasa inhonorata, de Dominica domo, nec propter pisces malos, de Dominicis retibus ante tempus exire; ne frustra exitum suum conentur abluere. Has evangelicas sententias si volueris in alium sensum qualibet argumentatione convertere, eidem beato Cypriano, cujus testimonium adhibes, contradicis, sicut in nostra Collatione fecistis. Nam hæc de ista quæstione supra dicti martyris verba sunt, in epistola quam scripsit ad Maximum et socios confessionis ejus. « Etsi videntur, inquit, in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus : ut cum cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro et labore capiamus. Apostolus in Epistola sua dicit : « In domo » autem magna non solum vasa sunt aurea et argentea, » sed et lignea, et fictilia ; et quædam quidem honorata, » quædam vero inhonorata [1]. » Nos operam demus, et quantum possumus laboremus, ut vas aureum vel argenteum simus. Cæterum fictilia vasa confringere soli Domino concessum est, cui et virga ferrea data est [2]. Esse non potest major domino suo servus : ne quisquam sibi, quod soli Filio Pater tribuit, vindicarit : ut se putet, aut ad aream ventilandam et purgandam [3], palam ferre jam posse, aut a frumento universa zizania humano judicio separare. Superba est ista obstinatio et sacrilega præsumptio, quam sibi furor pravus assumit : et dum sibi semper quidam plus quam mitis justitia deposcit, assumunt, de Ecclesia pereunt ; et dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore cæcati, veritatis lumen amittunt. »

IV. Nempe nunc saltem vides, adversus sanctum Cy-

[1] 2 Tim. II, 20. — [2] Psal. II, 9. — [3] Matth. III, 12.

prianum vos in nostra Collatione clamasse, eique contentionibus restitisse, quibus asserebatis agrum Christi, de quo ait : « Ager est hic mundus [1], » non esse Ecclesiam, sed mundum præter Ecclesiam, ut ea quæ cernerentur, posset habere zizania? Nam in Ecclesia dicebatis manifesta zizania esse non posse. Quoties hinc testimonium Cypriani posuimus, et nec aperte illi resistere ausi estis, nec tamen consentire voluistis? nempe nunc saltem expergisceris, audis, advertis : « quia etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra ; ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. » Quare ergo vos ab unitate hujus Ecclesiæ nefario schismate discceditis, et hæretica præsumptione in eadem discissione persistitis? Ecce tibi Cyprianus, consenti illi, aut responde illi. Vides quemadmodum his verbis quibus dicit esse in Ecclesia cernique zizania, nec tamen ab illa propterea debere discedere, delet omnes tuorum scriptorum calumnias? Quibus etiam in tanta abrupta progressus es, et te more vestro præcipitati, ut diceres, etiam nescientes qui peccaverunt de universo mundo, peccatis alienis potuisse perire Christianos : quia scilicet legitur in sanctis Scripturis, unum de anathemate fuisse furatum et pro isto peccato alienum populum nescientem fuisse punitum [2] : ignorans illas mortalium corporum pœnas, hoc est, moriturorum mortes, ad utilem terrorem populo valuisse; non tamen eisdem mortuis ad aliquod detrimentum futuræ vitæ, aliena peccata, præsertim quæ nescierunt, aliquid obfuisse. Ita-ne ut hoc diceres' ita-ne ut peccatis alienis etiam incognitis, perire Deo quemquam, credere et dicere auderes, nec saltem ipsos timuisti collegas tuos, qui te in nostra Collatione reticente, et fortasse cum hoc

[1] Matth. XIII, 38. — [2] Josuë. VII, 1.

jam sentires non audente, tantis disceptationum lateribus pugnaverunt, pisces malos in Dominicis retibus a piscatoribus ignorari, ne videlicet perirent eorum contagione, si scirent? Nonne tibi venit in mentem, de palea Dominicæ areæ, id est, Ecclesiæ, usque ad tempus ventilationis in una permixtione toleranda disputantibus [1], cum Emeritus urgeretur negasse illum atque dixisse: « Non legis aream. » Qui cum et a suis secretius admoneretur, et a nobis apertius commem orantibus ex Evangelio, « Dominum esse venturum ferentem ventilabrum in manu sua [2], qui mundabit aream suam, et frumentum recondet in horreo, paleam vero comburet igni inextinguibili, continuo correxisse oblivionis errorem, quo negaverat scriptum; nec tamen hæreticam vel schismaticam convertisse perversitatem, qua negabat malos a bonis debere pro unitate Ecclesiæ sustineri: continuoque dixisse, quod nomine paleæ, mali significarentur occulti, ut hic causæ vestræ præcipua diligentia servaretis, quod ignorati mali commaculare bonorum neminem possent. Ecce partis vestræ patronus egregius perdidit, te adversante, labores suos. Ille quippe ut custodiat bonorum salutem, prorsus in Ecclesia malos permanentes a bonis perhibet ignorari, ne perdant eos si fuerint cogniti et tolerati: tu autem etiam ignoratorum malorum contagio bonos perire dixisti. Neque timuisti tam multos ab initio vestros latentes flagitiosos, facinorosos atque impios, qui profecto secundum tuam sententiam, te atque omnes tuos, vobis nescientibus, perdiderunt. Sed nunc quoque nullo pavore tremuisti, ne forte quispiam vestrum te nesciente peccaret, et te, dum ista loqueris, perderet. An forte dum cognitis tuis factis perisse te intelligis, propter hoc alienis incognitis perire non metuis?

[1] *Forte* disputantibus nobis. — [2] Matth. III, 12.

V. Quid tibi optem nisi ut te nobis liceat invenire, ne libeat te perire? Quid enim spei remanebit, non solum nobis qui Domino Christo, Prophetis, Apostolis, sanctoque Cypriano consentimus, etiam cognitos malos, si eos nec corrigere possumus, nec punire, pro unitatis vinculo sustinendos; verumetiam vobis, quibus ante tempus messis, ventilationis, et littoris, placet a malis separatio corporalis: si opinio tua vera est: « Qua putas et suis peccatis quemque perire qui facit, et alienis qui utrum facta sint nescit? » Si enim hoc ita est, profecto et majores vestri, qui se, sicut putatis, a cognitis malis separaverunt, de incognitis perierunt. Non solum autem tibi, qui cum dicis alienis criminibus perire hominem, sive illa scientem, sive nescientem, nullum procul dubio remanere pateris innocentem; sed etiam ipsi Emerito, qui longe tolerabilius sentiens, in communione sacramentorum alienis peccatis tantummodo cognitis homines innectit, ab incognitis solvit, multo veriore venerabilis Cyprianus voce respondit, simu crescenti a non perire frumenta, zizaniis extra Ecclesiam sed in Ecclesia constitutis, nec occultis atque incognitis, sed plane notis ac perspicuis. Puto enim quod non in carne, sed in ipsa mente cæcatur, qui contendit atere quod cernitur. Cum autem monet beatissimus ille, ne propter zizania quæ in ea sunt, ab Ecclesia recedatur; non monet propter illa quæ occultantur, sed propter illa potius quæ cernuntur. Ipsa enim sunt, quæ possunt perturbare cernentes, nisi eos faciat sapientia patientes. Nam quomodo propter occulta nos non debere recedere discceremus, quæ omnino esse nescimus? « Et si videntur, inquit, in Ecclesia esse zizania. Videntur, ait, non suspicatione creduntur. » Et ne quisquam putaret ita dictum: « Videntur esse, » tanquam non essent, sed esse viderentur: verbis consequentibus, quid dixerit, aperit:

« Non tamen impediri, inquit, aut debet, fides, aut charitas nostra ; ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus? Non ait, suspicamur, putamus, credimus, opinamur ; sed, « cernimus ; » Ea quippe etiam illi non operta credebant, sed aperta cernebant, qui dixerunt patri-familias : « Vis imus, et colligimus ea ? » de quibus dictum erat : « Cum crevisset herba, et fructum fe- » cisset, tunc apparuerunt et zizania. Quibus respondit, » Non ; forte, dum vultis colligere zizania, simul eradicetis » et triticum. Et, Sinite utraque crescere usque ad mes- » sem [1]. » Et tamen tu dicis (ubi quid aliud quam Domino contradicis)? « Sola per mundum crevisse zizania, et toto pene mundo diminuta perisse frumenta : » cum ad aliquas gentes nondum Ecclesia crescendo pervenerit. Necesse est autem ut perveniat, et prædicetur Evangelium in universo mundo, et tunc veniat finis. Quod futurum esse Dominus sine ulla ambiguitate prædixit.

VI. Vides Ecclesiam testimonio Cypriani, et a toto catholicam dictam, et non esse sine manifestis malis, propter quos tamen admonet non relinquendam. In ea sunt boni, per se ipsos multi : in comparatione autem Zizaniorum vel paleæ, profecto pauci. Non enim præter illam, sed in ea agitur, quod ipse Dominus dicit : « Quoniam abun- » dabit iniquitas, refrigescet charitas multorum [2]. » Sed ibi est et populus ubique diffusus, cui dicitur : « Qui per- » severaverit usque in finem, hic salvus erit [3]. » Qui autem habeant fidem tanquam granum sinapis, qua montes etiam transferantur, rarissimi omnino sunt [4]. De tali enim fide Dominus dicebat : « Putas veniet Filius hominis, » et inveniet fidem in terra [5]? » non de apostasia totius orbis, sicut tu perversissime intelligis.

[1] Matth. XIII, 28. — [2] Id. XXIV, 12. — [3] Id. X, 22. — [4] Id. XVII, 19. — [5] Luc. XVIII, 8.

VII. « Porro de baptismo, quem non putas esse nisi in Ecclesia, et ideo nos arguis, quod ex hæresibus venientes, si jam baptizati sunt, iterum non esse baptizandos censemus : » sufficit, quod respondere minime potuisti, quomodo damnatus baptizare potuerit Felicianus, foris a vestra Ecclesia constitutus : quem frustra ponere voluisti inter eos quibus dilationem dedistis. Lege Bagaïtanam vestri concilii sententiam, in qua scilicet post multa acerbissima quæ in illos dicta sunt, et longe graviora quam in Cæcilianum, quando eum majores vestri absentem innocentemque damnarunt; ita subjecta est eorum manifesta et indubitata damnatio : « Famosi ergo criminis reos Victorianum Carcabianensem, Martianum Sullectinum, Beianum Baianensem, Salvium Ausaphensem, Theodorum Usulensem, Donatum Sabratensem, Miggenem Elephantariensem, Prætextatum Assuritanum, Salvium Membresitanum, Valerium Melzitanum, Felicianum Mustitanum, et Martialem Pertusensem, qui funesto opere perditionis vas sordidum collecta fæculentia glutivaverunt : sed et clericos aliquando Ecclesiæ Carthaginis, qui dum facinori intersunt, illicito incestui lenocinium præbuerunt; Dei præsidentis arbitrio, universalis concili ore veridico damnatos esse cognoscite. » Et deinde incipit cæteris dilatio prorogari his verbis : « Eos autem quos sacrilegi surculi non polluere plantaria, hoc est, qui a Maximiani capite proprias manus verecundo fidei pudore retraxerunt, ad matrem Ecclesiam redire permisimus. » Jam de his quod dicendum fuit, et in prioribus ad te datis litteris meis satis dictum est. Cui loco te prorsus respondere non potuisse, quisquis legerit, et parumper adverterit, dubitare non poterit.

VIII. Frustra itaque tibi videtur, « Agrippini et Cypriani concilia in hac quæstione esse sectanda : » cum vos

ea neglexeritis, quando extra vestram communionem baptizatos a damnatis, contra quos de basilicis excludendos litigabatis, sine ulla repetitione baptismatis suscepistis. De sententia vero Cypriani, vel collegarum ejus, quibus tunc placuit, venientes ab hæreticis baptizare oportere, longum est ut pro merito disputem. Sed istam tu mihi, si potes, brevem solve quæstionem. Quando rebaptizabat Cyprianus ab hæreticis venientes, Ecclesiæ Carthaginensis episcopus, tunc Ecclesiæ Romanæ Stephanus episcopus in eodem baptismo, quem foris acceperant, suscipiebat hæreticos; et ambo hæc diversa facientes, in unitate catholica permanebant. Dic mihi, utrum illo tempore Ecclesia, quando secundum vos, omnium criminum reos sine baptismo recipiebat per Stephanum et ejus innumerabiles toto orbe collegas, qui ejusdem sententiæ participes erant malorum contagione, perierat, annon perierat? Neque enim istos malos poteris dicere occultos : quamvis tu asseras nocere ac mortificare et occultos. Quisquis igitur homicida, vel etiam parricida, adulter, incestator, idololatra, codicum denique sanctorum non timidus traditor, sed ut traderentur crudelis tortor, et violentus extortor, et jussu vel manu extremus incensor, apud hæreticos baptizatus, ad Stephanum et ejus socios venit, secundum vos sine baptismo exceptus est. Cernis igitur omnia hominum crimina, si verum est quod de baptismo sentitis, tunc in Ecclesia sine baptismo congregata? Responde utrum his criminibus in eadem unitate maculatus fuerit Cyprianus, responde utrum Ecclesia perierit, an non perierit. Elige quod putaveris. Si jam tunc perierat, Donatum quæ peperit? Si autem tot in eam sine baptismo aggregatis, perire non potuit, responde quæso, ut ab ea se, tanquam malorum communionem devitans, pars Donati separaret, quæ dementia persuasit?

IX. Absit autem, ut quoniam beatissimus Cyprianus de baptismo aliter sensit, quam veritas et antea consuetudine et postea perspecta diligentius ratione monstravit, propterea quisquam nostrum, qui hoc quod ille non sapimus, ei se audeat anteponere. Cætera enim multa et magna ejus merita, et animus præcipua charitate plenissimus, per quem cum collegis diversa sentientibus pacatissimus mansit, et in unitate Ecclesiæ passio gloriosa, satis ostenderunt eum fuisse sarmentum in Christi radice fructuosum, quod Pater etiam ab ista reprehensione purgaret, ut fructum posset afferre majorem. Sic enim ait ipse Jesus : « Sarmentum quod in me dat fructum, purgat » illud Pater meus, ut majorem fructum afferat[1]. » Ostendens etiam in ipsis fructuosis, agricolam qui est in cœlis, aliquid invenire quod purget. Quis enim nostrum Petro apostolo comparari potest, quamvis nunquam gentes judaïzare coëgerimus, quod ille faciebat, quando non recte ingrediebatur ad veritatem Evangelii[2]? Unde a suo posteriore apostolo Paulo, salubri admonitione correctus, utilius posteris humilitatis præbuit exemplum, quam si nihil in illo existeret corrigendum.

X. In hac ergo Ecclesia constituti, quæ malorum sive occultorum, sive etiam manifestorum, nec potuit, nec poterit perire contagio, nullas de quibuslibet hominibus calumnias formidamus. Si enim mali sunt, procul dubio eos aut ignorant boni, aut suis judiciis manifestatos ecclesiasticis legibus damnant : aut etiam si noverunt eos, et non apud se accusatos, neque convictos, damnare non possunt, pro Ecclesiæ pace non solum irreprehensibiliter, verumetiam laudabiliter tolerant; nec se propter pisces malos ruptis Dominicis retibus ante tempus littoris damnabiliter separant. Si enim hoc facere velint, excep-

[1] Joan. xv, 2. — [2] Galat. II, 11.

tis divinarum Scripturarum innumerabilibus testimoniis, quibus ne faciant prohibentur, retinet eos certe quem testem adhibuisti, beatissimus Cyprianus, clamans atque contestans[1] : « Quia et si videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra; ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. » Non solum verbo, verumetiam exemplo suo nos admonens, qui collegas suos, fundos insidiosis fraudibus rapientes[2], usuris multiplicantibus fœnus augentes, quorum avaritiam, non leve aliquod vitium, sed esse idololatriam, secundum Apostolum intellexit, pro unitatis vinculo pertulit tales[3], nec eorum contagio factus est talis : discessit ab eis dissimilitudine morum, non divisione sacramentorum : et immundum non tetigit; sed a factis eorum abhorrendo, non seorsum populos colligendo. Vos autem dum carnaliter sapitis, quod dictum est per Isaïam prophetam : « Discedite, et exite de » medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et im» mundum ne tetigeritis[4] : » et talia quæ in Scripturis similiter dicta sunt; dum hæc, inquam, non spiritaliter, sed carnaliter sapitis, tales omnino apparetis, quales eorum, ipso Propheta prædicante, dominantur dicentes : « Nolite me tangere, quoniam mundus sum[5]. » Denique quando aliena peccata vos perverse devitanda esse censuistis, alia vestra fecistis, sacrilegum schisma populos dividendo, et sacrilegam hæresim contra Dei manifestata promissa et impleta de Ecclesia toto orbe diffusa nefario spiritu sentiendo. Nam si, ut putas et nos in verbo reprehendis, una eademque societas perditorum simul et schisma et hæresis esset, non dixisset beatus Cyprianus in hac ipsa Epistola[6], unde hoc de zizaniis in Ecclesia

[1] Epist. ad Maxim. — [2] Serm. de Lapsis. — [3] Epist. ad Anton. — [4] Isaï. LII, 12. — [5] Id. LXV, 5. — [6] Epist. ad Maxim.

constitutis posui testimonium, eis confessoribus quos gratulabatur a Novatianorum divisione fuisse liberatos : « Dolebam vehementer et graviter angebar, quod eis communicare non possem, quos semel diligere cœpissem, posteaquam vos de carcere prodeuntes schismaticus error excepit. » Noli ergo contra apertissimam veritatem, aut utrumque fallaciter declinare; aut unum horum tibi, quod tibi mitius videtur, eligere : cum et schismaticus sis sacrilega discessione, et hæreticus sacrilego dogmate.

XI. Nec vobis blandiamini, quod baptismum non rescindimus vestrum. Non est hoc vestrum, sed catholicæ Ecclesiæ quam tenemus, unde illum quando discessistis, non quidem ad salutem, sed ad perniciem vestram vobiscum tulistis. Nam vasa Dominica, etiam apud alienigenas, sancta permanserant[1]. Unde rex qui eis contumeliose uti ausus est, Deo irascente punitus est[2]. Et arca Testamenti ab hostibus capta nequaquam virtutem suæ sanctificationis amisit. Si ergo illa sancta, quæ si tunc apud alienos fuerunt, ut apud suos esse desisterent, vim tamen sanctitatis nullo modo perdere potuerunt; quanto magis eam christiana sacramenta non perdunt, quando ita ut apud nos etiam maneant, ad hæreticos transeunt? Hoc est quod dixi ad te scribens, quod etiam in Collatione vobis diximus, idque potius eludendum putastis, quia dissolvere nequivistis, « Quoniam, sicut Apostolus » ait de quibusdam, veritatem in iniquitate detinent, ita » et vos veritatem baptismi divini in iniquitate detinetis » erroris humani[3]. » Quam veritatem non vestram, propter iniquitatem vestram rescindere utique non debemus. Et quia ipse Apostolus de idololatris gentibus dixisse intelligitur : « Qui veritatem in iniquitate detinent : » tu mihi quasi respondens flagitasti ut probarem, « Quid de

[1] Dan. v, 2 et 30. — [2] 1 Reg. IV, 11. — [3] Rom. I, 18.

Gentilium sacrilegio Apostolus non rescindat, quid de eorum profano ritu non damnet. » Quasi posset quod sacrilegum est et profanum non rescindere atque damnare, sicut nos schisma vestrum et hæresim vestram. Sententias tamen quasdam veritatis, quas de incognito Deo quidam Gentilium philosophi tenent, non solum non destruxit Apostolus, sed etiam inde testimonium, cum opus esset, adhibuit. Loquens quippe Atheniensibus ait de Deo : « In illo enim vivimus, et movemur, et sumus, » sicut et quidam secundum vos dixerunt[1]. » Hanc illi veritatem sapientiæ, quam beatus Paulus non solum non destruebat, verumetiam ad illos instruendos adhibebat, in iniquitate detinebant suæ idololatriæ, quam doctrina Apostolica machinamentis Apostolicis evertebat. Ita et nos, quæ in Ecclesia catholica vera majores vestri acceperunt, vobisque tradiderunt, non rescindimus, sed agnoscimus : vestrum vero sacrilegium, aut in vestra conversione rescindimus, aut in vestra pertinacia detestamur.

XII. Quanquam totam quæstionem, et totum quod inter nos agitur, uno verbo Tribuni satis diligenter exposito, omnino solvisti. Cum enim ego dixissem : « Neque hoc in Tribuni Litteris legitur, a te in veritate invocatum nomen Dei; » quia ipsum prorsus verbum[2] ibi non legeram : tu respondisti : « Falleris, vel potius fallis. Nam verba Tribuni sunt : Neve tantum opus domus Domini, ubi a te sæpius Dei et Christi ejus invocatum nomen est, per religionem tuam ibidem constitutam, concrematum esse dicatur. Intellige quia in veritate religio dicitur, in fallacia superstitio nominatur. » Quando ego id adverterem? quando ita ratiocinarer? Quando aliud ex alio sic probarem? Fateor, fugit hoc aciem quantulicumque in-

[1] Act. XVII, 28. — [2] Scilicet in veritate.

genii mei : et ideo crede mihi, falli me ibi potuisse, non ut dixisti, fallere voluisse in verbo. Itaque Tribunus tanquam homo militaris erravit, ut ei quem scit vel credit hæreticum, diceret : « Per religionem tuam : » cum hæresis non religio, sed superstitio ; religio autem non in falsitate, sed in veritate, propria locutione dicatur. Proinde secundum hanc expositionem tuam, verus Dei cultus religio, falsus autem superstitio nuncupatur. Audi ergo te ipsum, obaudi tibi ipsi : et nos sequi minime recusabis. Scribens namque ad eumdem Tribunum in primæ Epistolæ tuæ ipso exordio posuisti, atque dixisti : « Honorabili, ac nimium nobis, si sic volueris, desiderando Dulcitio Tribuno et Notario, Gaudentius episcopus. » Et continuo subjecisti : « Religionis tuæ scripta percepi. » Quid igitur ad nos venire adhuc dubitas? Ecce Tribunus Dulcitius cum sit homo communionis nostræ, tamen secundum testimonium tuum, non superstitiosus, sed religiosus est : ac per hoc secundum expositionem tuam, non falsum, sed verum Dei cultum tenet. Ipse ergo est in Catholica potius quam tu : quoniam tu in hoc verbo usque adeo non errasti, ut etiam exponeres, tantum religionem a superstitione distare, quantum a falsitate veritas distat. Ille autem homo, ut jam dixi, militaris, et istis verborum proprietatibus minus eruditus, quid esset religio nesciebat. Absit enim ut dicam, te adulando fallebat. Tu vero qui eos contra quos disputas, arguis ex Propheta et clamas : « Væ his qui dicunt amarum dulce, et dulce » amarum; qui dicunt lucem tenebras, et tenebras lu» cem[1], » si superstitio est quam nobiscum tenet Dulcitius, cur eam religionem esse dixisti? Si autem verum dixisti, cur hæreticam tenendo superstitionem, respuis catholicam religionem? Sequere igitur testimonium tuum ;

[1] Isaï. v, 10.

maxime quia et ipsi vestri, cum cognoverint, non tibi fortasse communicabunt, « quoniam Tribuno Dulcitio per hoc verbum communicasti. Eia, frater Gaudenti, noli perdere occasionem, quam tibi etiam per tuam linguam Dominus dedit. An forte ad hoc irasceris, quod fratrem voco? Hoc enim nomen a nobis etiam in nostra Collatione respuistis : ubi ostendistis nos esse, quibus Dominus præcepit per Prophetam : « Dicite : Fratres nostri estis, eis » qui vos oderunt, et qui vos detestantur[1] : » vos vero in numero eorum esse, qui istos quibus hoc Dominus dicit, oderunt et detestantur. Negare certe non potes te religionem dixisse, in qua est Tribunus Dulcitius. Propterea illam tibi Epistolam misit, utique ut te non occideres, et illi Ecclesiæ, in qua est ipse, communicares. Si ergo ipsius religio est, tua superstitio est. Quamvis enim ambo vobis hoc invicem dixeritis : eligis tamen ipsum potius falsum dixisse, quam te.

XIII. Quamobrem secundum verissimum hoc tuum testimonium, et tuam verissimam expositionem, quoniam religio est quam Dulcitius Tribunus tenet : profecto religio est, qua te ad nostram communionem præceptum Imperatoris impellit. Unde fit consequens, ut religio sit etiam, qua Christianus Imperator ad curam suam judicat pertinere, ne in res divinas impune peccetur : a quo tu non vis curari nisi ea quæ terrena republica continentur. Unde et regem Ninivitarum, oblitus quid legeris, populo de agenda pœnitentia non mandasse dixisti. Hæc enim verba tua sunt ad me : « Quid, inquis, miseros decipis? Jonæ Deus præcepit, prophetam Dominus ad populum misit; nihil tale regi mandavit. » Adverte ergo quid scriptum sit, et noli irasci tibi ipsi[2], qui vel divina scripta non recolis; vel tu potius miseros decipis. « Sur-

[1] Isaï. LXVI, 5, juxta LXX.— [2] *Forte* irrasci nisi tibi ipsi.

» rexit Jonas, et abiit in Ninivem, sicut locutus est Do-
» minus. Ninive autem civitas magna erat, quasi viæ
» tridui. Et cœpit Jonas ingredi civitatem, quasi unius
» diei iter, et prædicavit et ait : Adhuc triduum, et Ni-
» nive subvertetur. Et crediderunt viri Ninivitæ Domino,
» et indixerunt jejunium, et saccos induerunt, a majore
» usque ad minorem. Cumque pervenisset sermo ad re-
» gem civitatis Ninive, surrexit de sede sua, et detraxit
» sibi vestimenta, et se circumdedit sacco, et consedit in
» cinere. Prædicaturque a rege et a potentibus, dicens :
» Homines et jumenta, et oves et boves, non gustent
» quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant. Et
» induti sunt saccos homines, et jumenta proclamaverunt
» ad Dominum impense : et aversus est unusquisque a via
» nequitiæ suæ et iniquitatis quam in manibus habebat[1].»
Audis-ne tandem regem curasse, quod ad regum curam
tibi displiceat pertinere? Certe ut impense ageretur,
quod minus quam oportuerat, agebatur. Ideo ergo Nini-
vitæ non sunt expoliationibus proscriptionibusque vel
terrore militum ad pœnitentiam imperio regis arctati,
quia obedienter jussa fecerunt. Non itaque ostendimus
populum ista perpessum, quia nec tu ostendis regem
fuisse contemptum. Proinde cum regibus ea quæ secun-
dum Deum sunt, religioso timore jubentibus quisque
obtemperat, timore incipiens et ad dilectionem profi-
ciens, a Domino accipit pacem : non sicut pacem dat
sæculum; quoniam sæculum dat pacem propter tempo-
ralem utilitatem, Dominus autem propter æternam salu-
tem. Ergo quia ista religio est, in qua est Tribunus Dul-
citius (neque enim verba tua negaturus es); superstitio
est pars Donati, unde te vult erui hujus religio : super-
stitio est, quod te quæris occidere, quod valde prohibet

[1] Jonæ. III, 3-10.

hujus religio : superstitio est, quod erga ista curam Imperatoris reprehendis, quam suscepit exequendam hujus religio.

XIV. Itaque quia verbo tuo causa finita est, obsecro per Deum religionis, Deum veritatis, ut etiam tuus error aliquando finiatur. Ipsa est, frater, Ecclesia Christi, quæ hoc tempore, toto terrarum orbe crescendo dilatatur, continens et malos et bonos, ventilatione ultima separandos. Atque ut te ad extremum illius potius verbis alloquar, quem testem catholici nominis adhibere voluisti[1] : « Ipsa est quæ Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit : ipsa est quæ ramos suos per universam terram copia ubertatis extendit. Proinde et si videntur in illa esse zizania[2], non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus, ut cum frumentum cœperit dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro et labore capiamus. Apostolus in Epistola sua dicit : « In domo autem magna, non so» lum vasa sunt aurea et argentea, sed et lignea et fictilia : » et quædam quidem honorata, quædam vero inhono» rata[3]. » Nos operam demus, et quantum possumus laboremus, ut vas aureum vel argenteum simus. Cæterum fictilia vasa confringere, Domino soli concessum est, cui et virga ferrea data est[4]. Esse non potest major domino suo servus : nec quisquam sibi, quod soli Filio Pater tribuit, vindicarit, ut se putet, aut ad aream ventilandam et purgandam, palam jam ferre posse, aut a frumento universa zizania humano judicio separare. Superba est ista obstinatio et sacrilega præsumptio, quam sibi furor

[1] Cyprian. de unitate Ecclesiæ. — [2] Epist. ad Maxim. — [3] 2 Tim. II, 20. — [4] Psal. II, 9.

pravus assumit. Et dum sibi semper, quidam plus quam mitis justitia deposcit, assumunt, de Ecclesia pereunt: et dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore cæcati veritatis lumen amittunt. » Beatissimi Cypriani sunt verba ista, non mea : ejus videlicet verba sunt, quem tu nobis lectissimum testem catholici nominis, in tuorum scriptorum exordio posuisti, et per multa copiosissime commendasti, imo per ipsum (quoniam vera atque divina sunt verba), sunt Dei. Ecce quod audi, ecce quod cave, ut adjuvante misericordia Salvatoris, simul charitatem catholicam teneamus, simul pacem catholicam diligamus, simul cum ejus frumentis usquequaque crescamus, simul usque ad finem zizania toleremus, simul in horreo sine fine vivamus. Vides nempe sine ulla defensione Cæciliani, vel quorumlibet hominum quos accusandos putatis, catholicam suo robore ac firmitate consistere. Quamvis et Cæciliani causam Collatio nostra purgaverit: et aliorum, de quibus calumniamini, aut dubia sit criminatio, aut injusta damnatio. Sed valde stultum est, ut Ecclesiæ causam, divinis testimoniis fultam atque munitam, in hominum causis ratione exorbitante ponamus : cum etiamsi illos malos manifestissime videremus, nec jam separare a sacramentis Ecclesiæ valeremus, non tamen impediri deberet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam et istos inter zizania esse in Ecclesia cerneremus, ipsi de Ecclesia recedere deberemus. Si respondere cogitas, noli causam relinquere, et in supervacaneis evagari. Ea quæ dicta sunt, intuere : ad ea quæ dicta sunt, non fallaciter eludendo, sed rationabiliter disputando responde. Nam illa prolixa responsione quid egeris, potius quam nihil egeris, si necessarium visum fuerit, Dominusque donaverit, opere alio diligentius demonstrabo.

17.

SERMO

AUGUSTINO TRIBUTUS

DE RUSTICIANO SUBDIACONO

A DONATISTIS REBAPTIZATO ET IN DIACONUM ORDINATO.

1. Adhuc mœrens et dolens (3), fratres, sisto me Sanctitati vestræ : nec enim præteriti casus (dicam mei, dicam vestri?) dolorem potui digerere. Ter conatus sum verbum, unde debitor sum, vobis subministrare ; toties et meæ et vestræ lacrymæ conantis vocem suppresserunt : nec potui melius curas quibus premebar, quam ubertate lacrymarum explicare. Quid ergo fiet? Nunquam-ne meo, nunquam vestro luctui limes statuetur? Quoties me videbitis intrantem, non cessabitis pectora tundere, et gemitus dare? Quoties vos congregatos videro, in lacrymas ibo et suspiria? « Tempus lugendi [1], » et mihi et vobis circumscripserunt eloquia divina. Nec dolui, cum vos lacrymantes vidi; (et ad Lazari recordationem flevit Dominus Jesus Christus, et qui eum flentem videbant Judæi dixerunt : « Ecce » quomodo diligebat eum [2] : ») imo potius, si quid in lacrymis jucundum, si quid gratum esse potest, illud e vestris collegi : dicebam enim intra me, Ecce quomodo diligebant eum ; qui patrem tanto affectu prosequebantur, eumdem dabunt et filio, qui eorum pater factus est ;

[1] Eccle. III, 4. — [2] Joan XI, 36.

hæredem oneris facient hæredem amoris; qui succedit honori, succedet et charitati. Bonum ingredienti omen est[1], antiquæ in pastorem dilectionis in ovibus signa videre. Fiet amoris translatio in eum cui facta est curarum collatio? nec mutato pastore cessabunt eum diligere, qui debet oves pascere, cujus vocem audient [2], et qui Deo teste, conscientia teste, paratus est cum adjutorio Domini pro oviculârum minima animam suam impendere et superimpendere.

II. Si quæ ratio dolendi, si flendi, tota mea est, non vestra, non ejus, cujus tangimur desiderio. Solutus est ille, vinctus ego; stadium emensus, curro. In patria est, unde peregrinor: curas quas deposuit, in sinu meo reposuit. Clavum bene tenuit, de me quid fiet nescio: appulit, fluctuo. E littore videt iratum pelagus, furentes procellas: exclamo in mediis fluctibus, « Salva nos, pe» rimus [3]. » Et vere perimus, et vere periculum urget, et vere caput meum impellit, non meum tantum periculum, sed et vestrum; nam sine vobis salvus esse non possum. Vestrarum animarum jactura, mea est. Quidquid Domino meo de vobis perit, periculo meo perit: rationem sum redditurus, « Pellem pro pelle [4]. » Misericordem Dominum habeo, sed rigidum computatorem: oviculas suas quotidie numerat, has in manibus descriptas habet, exigit numerum, quem si non reddidero, ingens capiti meo periculum creatur. Videte, fratres, si sarcinam meam considerans a lacrymis possum temperare, si de gravi onere meo non mihi dolendum est. Pondus meum alleviate; faciet charitas vestra quod immane est mitius: et adjuvante Domino, et pastor et oviculæ pascua invenient, et post quam in meridie cubaverint, « Accumbent

[1] Vide 1 Retract. 1, n. 3. — [2] *Forte* et ejus vocem audient, qui. — [3] Matth. VIII, 25. — [4] Job. II, 4.

» cum Abraham, Isaac et Jacob ; ubi non erit sol, neque » ullus æstus [1], » sed in umbra Domini pax et refrigerium, quando luctus noster vertetur in citharam, et voces flentium in cantus exultantium.

III. Cæterum, dilectissimi, dum de pastore erepto lugemus, nascitur de perdito fratre dolendi occasio. Præcisum est a nobis membrum, pars nostri facta est pars Donati, transiit miles Domini ad castra Philistinorum, et de vase honoris factum est vas dedecoris. Intelligitis quid dico. Miser ille Rusticianus Mutigensis diaconus sacramentum quod Ecclesiæ debebat, abjecit, et ordinem suum infideli participatione polluit. Quid non feci, quos non adhibui conatus, ut in præcipitium ruentem in plano collocarem, et eximerem periculo, qui periculum amabat in quo periit? Is prima et urgens fuit cura mea, qui nunc est dolor meus. Nolebam mihi subtrahi in ipso oneris mei exordio, quem a satis longo tempore videbam tanquam fulgur de cœlo cadentem. Et licet ipse, exigentibus peccatis suis, a Domino deseri meruerit; doleo tamen quod de eo ad Dominum meum dicere non possum, « Ecce me cum pueris quos dedisti mihi [2]. »

IV. Vobis omnibus notum scio : et tam bene scio, quia scio vestrorum multis moras quas hic trahebat, displicuisse. Quoties venerandus noster Valerius, me præsente, cum visceribus paternis dixit ad eum, Quid hic agis? Cur stationem tuam deseris? Cur Presbytero tuo non collaboras? Cur Hipponem Mutigenæ præfers, cui alligatus es? Et cum responderet, se ad solitudinem minime idoneum, clericatum non monachatum iniisse se nullos Mutigenæ habere cum quibus versaretur; respondebat sanctus senex, « Alligatus es uxori, noli quærere » solutionem [3]. » Tua est Ecclesia Mutigensis, non nostra;

[1] Matth. VIII, 11, et Apoc. VII, 16. — [2] Isaï. VIII, 18. — [3] 1 Cor. VII, 27.

ad eam nomen, non ad Hipponem dedisti : nonne sæculo renuntiasti, nonne amicis, nonne sanguini ? Audiebat dicentem, sed male audiebat, qui dicenti non obsequebatur. Quid factum est ? Cum satis festivus haberetur, indolisque ad scurrilitatem proclivioris, inter nugas sæculi, inter convivia, et compotationes diurnas, sæpe etiam nocturnas, tandem defecit : extinctus est spiritus timoris Domini : de luto in lutum provolvitur : alternis vicibus et alios invitans et ab aliis invitatus, et conviva et convivans, cum æri quod contraxerat solvendo non esset, et a creditoribus urgeretur, et se quotidianis implicaret erroribus, et plurimis scandalum crearet, tandem a presbytero suo excommunicatus, ad Donatistas transfugit, et ab eorum episcopo non tantum exceptus, quod contra jus Ecclesiarum est; non tantum rebaptizatus est, quod impium est : sed etiam diaconus, quod maxime lugendum, factus est.

V. Hæc ego cum primum accepi, aberat venerandus senex noster Valerius : sed commota viscera dilationem minime passa sunt. Ingemui, dolui, pro eo in conspectu Domini mei effudi animam meam. Et quia mihi a multis relatum fuerat, Macrobium episcopum Donatistam, ad quem confugerat, virum esse pacificum, non longe a regno Dei et a concordia fratrum, qui si aliquos rebaptizaret, id invitus faceret : hunc litteris convenire statui, et quam obnixis precibus ad eum per amicos agere, ut in subdiacono nostro baptismum Christi non exsufflaret, nec iterum baptizaret, quem in nomine Dei et baptizatum et signatum fuisse non nesciret. Ægre litteras nostras admisit : sed tandem Maximi et Theodori, quibus illud negotii injunxeramus, precibus adactus est, ut eas recitari sineret, et ipse etiam legeret : quibus nihil aliud respondit[1], quam, « Non possum nisi ad me venientes suscipere,

[1] Vide epistolam 107, inter Augustinianas.

et eisdem fidem quam postulaverint dare. » Cumque de Primiani facto instarent; dixit, non esse filii in patrem inquirere. Et quia per litteras quas ad Macrobium dedi, rogabam ut responderet quæ coram populo nostro legerentur [1], si vero recusaret, me nostras recitaturum cum primum abessent milites. Hodie, fratres, fidem meam libero, nullus adest qui possit turbas ciere, novi vos omnes ad concordiam et ad alienos amplectendos promptiores esse quam ut excitem, litteras ad Macrobium profero, ut actorum nihil conscientiam vestram lateat; sed apud Deum et homines innotescat, quam sincero corde, quam pacifico affectu, inspirante Domino rem tractaverim. Quod si postea perit frater noster, in sua non in nostra conscientia peribit. Veniet Dominus, qui hos et me judicabit : veniet certe, frumentum asserturus, paleam dispersurus. Aquas nostras, quas tantopere formidant, ipse examinabit, et coram omnibus manifestissime judicabit, an quas pollutas duxerint; ipse quoque habeat. « Certe videbunt in quem pupugerunt [2]. » Quid enim est aliud Christianum rebaptizare, quam Dominum iterum pungere? Signum regis accepit, crucem admisit, in morte Christi tinctus est : quid aliud facis, qui talem bis baptizas, qui regis signum exsufflas, qui crucem expungis, quam mortem Domini inanem et vacuam reddere, et universam salutis nostræ dispensationem ostentui habere?

VI. Aqua nostra non est aliena, virgo est et sancta; in fontem nostrum descendit Spiritus, quos irrorat sancti sunt : videant qua temeritate pollutos astruant, quos talibus undis aspersos noverint. O sacrilegam novitatem! o vocem impiam! Sanctificavit Deus aquas in initio mundi per Spiritus incubationem, ex eis tot et tanta pro-

[1] Confer Augustini epistolam 23, n. 6 et 7. — [2] Joan. XIX, 37.

dierunt miracula, quæ de aquarum nostrarum sanctitate nos erudirent, et de veritate quorum umbræ erant, instruerent, et de regeneratione quam in aquis haurimus certos facerent, et eas alienas vocant, et ab his abstinent, et mendaces dicunt, et omnem eis fidem abrogant. Erit itaque verax aqua Primiani, quem tam immani anathemate percussistis, quem tantorum scelerum in vestro conventu reum judicastis : nec tamen quos baptizavit, iterum tinxistis, et Ecclesiæ catholicæ, columbæ nostræ, sponsæ immaculatæ, infideles, impuræ, mendaces aquæ apud eos erunt? Dicent forsan, Mendaces erant qui Primianum innocentem damnarunt, et ideo ejus aquæ mendaces non fuerunt. Sed quid dicent de Feliciano et Prætextato, qui Primianum damnaverunt, et ab illo tam grandi schismate discesserant? An quos baptizaverant, nova et recenti tinctione Ecclesiæ suæ pepererunt? Nequaquam. Feliciani et Prætextati aquæ fideles qui postmodum coierunt, et adversus Ecclesiam catholicam insani fœderis communione conspiraverunt; aquæ vero nostræ infideles et profanæ? O insana et perversa cogitatio !

VII. Addunt etiam, « Qui baptizatur a mortuo, quid » est lavacrum ejus [1]. » Erratis, miseri, non intelligentes Scripturas. Non dicimus baptismum quo tinguunt illi, quos velut mortuos a vivorum communione separamus, nihil esse; sed nihil prodesse, quandiu inter mortuos vivitur. Tolle quod obest, jam prodest. Quod extra accepisti, proficiet cum intus fueris. Emenda baptizatum, sufficit : latens in semine virtus, incrementa sumet : spiritum Dei ex alto induet; et qui in Christo per baptismum sepultus fuerat, licet foris, postquam in Ecclesiæ sinum admissus fuerit, et mortuos reliquerit sepelire mortuos suos, sentiet aquam fidelem, nec hæreticorum

[1] Eccli. xxxiv, 30.

contagiis pollutam : et paternam vocem ad cor audiet, « Ecce filius meus, mortuus erat, et revixit ; perierat, et » inventus est[1] : » filius meus, quem obstetricantibus undis genueram, mortuus erat, quia de spiritu meo non vivebat ; et revixit, quia abjecto mortuorum consortio, ad locum vitæ rediit : perierat, quia eodem cum impiis naufragio abreptus fuerat ; inventus est, quia per salutarem tabulam, hoc est, pœnitentiam, tandem portui, hoc est, Ecclesiæ redditus. Ut hoc de illis eveniant, fratres, quam obnixe possumus, a Domino petamus, ut quemadmodum unus est baptismus, una aqua, una fides, sic etiam una charitatis professio, nec inter nos alia amplius audiatur, quam meliorum charismatum æmulatio.

[1] Luc. XXIV, 32.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE PECCATORUM MERITIS

ET REMISSIONE,

ET DE BAPTISMO PARVULORUM,

AD MARCELLINUM,

LIBRI TRES [1].

LIBER I.

Refellit eos qui dicunt, Adam, etiamsi non peccasset, fuisse moriturum; nec ex ejus peccato quidquam ad ejus posteros propagatione transiisse. Mortem hominis probat consecutam non necessitate naturæ, sed merito peccati: tum etiam peccato Adæ totam ejus stirpem obligatam esse docet, ostendens parvulos ob id baptizari, ut originalis peccati remissionem accipiant.

I. Quamvis in mediis et magnis curarum æstibus atque tædiorum[2], quæ nos detinent a peccatoribus derec-

[1] Scripti anno Christi 412. — [2] Vide Retract. lib. 2, cap. 23.

linquentibus legem Dei (4), licet ea quoque ipsa nostrorum etiam peccatorum meritis imputemus : studio tamen tuo, Marcelline charissime, quo nobis es gratior atque jucundior, diutius esse debitor nolui, atque ut verum dicam, non potui. Sic enim me compulit, vel ipsa charitas qua in uno incommutabili unum sumus in melius commutandi, vel timor ne in te offenderem Deum, qui tibi desiderium tale donavit, cui serviendo illi serviam qui donavit : sic, inquam, me compulit, sic duxit et traxit ad dissolvendas pro tantillis viribus quæstiones, quas mihi scribendo indixisti, ut ea causa in animo meo paulisper vinceret alias, donec aliquid efficerem, quo me bonæ tuæ voluntati et eorum quibus hæc curæ sunt, etsi non sufficienter, tamen obedienter deservisse constaret.

II. Qui dicunt Adam sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur, non pœna culpæ, sed necessitate naturæ, profecto illud quod in Lege dictum est : « Qua » die ederitis, morte moriemini [2] ; » non ad mortem corporis, sed ad mortem animæ quæ in peccato fit, referre conantur. Qua morte mortuos significavit Dominus infideles, de quibus ait : « Sine mortuos sepelire mortuos » suos [3]. » Quid ergo respondebunt, cum legitur hoc Deum primo homini etiam post peccatum increpando et damnando dixisse : « Terra es, et in terram ibis [1] ? » Neque enim secundum animam, sed quod manifestum est, secundum corpus terra erat, et morte ejusdem corporis erat iturus in terram. Quamvis enim secundum corpus terra esset, et corpus in quo creatus est animale gestaret; tamen si non peccasset, in corpus fuerat spiritale mutandus, et in illam incorruptionem quæ fidelibus et sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus. Cujus rei

[1] Gen. II, 17. — [2] Matth. VIII, 22, et Luc. VIII, 60. — [3] Gen. III, 19.

desiderium nos habere non solum ipsi sentimus in nobis, verumetiam admonente Apostolo cognoscimus, ubi ait : « Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum, » quod de cœlo est, superindui cupientes, si tamen in- » duti, non nudi inveniamur. Etenim qui sumus in hac » habitatione, ingemiscimus gravati, in quo nolumus ex- » poliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a » vita [1]. » Proinde si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate, et incorruptione, ut absorberetur mortale a vita, id est, ab animali in spiritale transiret.

III. Neque enim metuendum fuit, ne forte si diutius hic viveret in corpore animali, senectute gravaretur, et paulatim veterascendo perveniret ad mortem. Si enim Deus Israëlitarum vestimentis et calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita [2], quid mirum si obedienti homini ejusdem potentia præstaretur, ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quemdam statum, quo sine defectu esset annosus, tempore quo Deus vellet, a mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturus? Sicut enim hæc ipsa caro quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse ut vulneretur : sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse ut moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Enoch et Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt [3]. Nec tamen credo eos jam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit : nisi quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui

[1] 2 Cor. v, 2. — [2] Deut. xxix, 5. — [3] Gen. v, 24, et 4 Reg. ii, 11.

consumptione reficiunt[1]; sed ex quo translati sunt, ita vivunt, ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ et ex collyride panis sine cibo vixit : aut si et his sustentaculis opus est, ita in paradiso fortasse pascuntur, sicut Adam prius quam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim, quantum existimo, et de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, et de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.

IV. Præter hoc autem quod puniens Deus dixit : « Terra es, et in terram ibis[2], » quod nisi de morte corporis quomodo intelligi possit ignoro; sunt et alia testimonia quibus evidentissime appareat, non tantum spiritus, sed etiam corporis mortem propter peccatum meruisse genus humanum. Ad Romanos Apostolus dicit : « Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mor-» tuum est propter peccatum, spiritus autem vita est » propter justitiam. Si ergo spiritus ejus qui suscitavit » Jesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Chris-» tum Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora » vestra, per inhabitantem spiritum ejus in vobis[3]. » Puto quod non expositore, sed tantum lectore opus habet tam clara et aperta sententia. « Corpus, inquit, mor-» tuum est, » non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ pulvere factum est, sed « Propter peccatum, » quid amplius quærimus? Et vigilantissime non ait, mortale; sed « Mortuum. »

V. Namque antequam immutaretur in illam incorruptionem, quæ in sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum : sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam, esse ægrotabile, quamvis non ægrotaturum. Cujus enim caro est, quæ non ægro-

[1] 3 Reg. xix, 8. — [2] Gen. iii, 19. — [3] Rom. viii, 10.

tare possit, etiamsi aliquo casu priusquam ægrotet occumbat? Sic et illud corpus jam erat mortale : quam mortalitatem fuerat absumptura mutatio in æternam incorruptionem, si in homine justitia, id est, obedientia, permaneret : sed ipsum mortale non est factum mortuum nisi propter peccatum. Quia vero illa in resurrectione futura mutatio, non solum nullam mortem, quæ facta est propter peccatum, sed nec mortalitatem habitura est, quam corpus animale habuit ante peccatum, non ait : « Qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, vivificabit » et mortua corpora vestra[1] ; » cum supra dixisset : « Cor» pus mortuum : » sed, « Vivificabit, inquit, et mortalia » corpora vestra : » ut scilicet jam non solum non sint mortua, sed nec mortalia, cum animale resurget in spiritale, et mortale hoc induet immortalitatem, et absorbebitur mortale a vita.

VI. Mirum si aliquid quæritur hac manifestatione liquidius. Nisi forte audiendum est, quod huic perspicuitati contradicitur, ut mortuum corpus secundum illum modum hic intelligamus, quo dictum est : « Mortificate » membra vestra quæ sunt super terram[2]. » Sed hoc modo corpus propter justitiam mortificatur, non propter peccatum : ut enim operemur justitiam, mortificamus membra nostra quæ sunt super terram. Aut si putant ideo additum : « Propter peccatum[3], » ut non intelligamus quia peccatum factum est, sed ut peccatum non fiat, tanquam diceret : Corpus quidem mortuum est, propter non faciendum peccatum. Quid sibi ergo vult, quod cum adjunxisset, « Spiritus autem vita est ; » addidit : « Propter justitiam? » Suffecerat enim si adjungeret vitam spiritus, ut etiam hic subaudiretur propter non facien-

[1] 1 Cor. xv, 44-53, et 2 Cor. v, 4. — [2] Coloss. III, 5. — [3] Rom. VIII, 10.

dum peccatum : ut sic utrumque propter unam rem intelligeremus, et mortuum esse corpus, et vitam esse spiritum, propter non faciendum peccatum. Ita quippe, etiamsi tantummodo vellet dicere : « Propter justitiam, » hoc est, propter faciendam justitiam, utrumque ad hoc posset referri, et mortuum esse corpus, et vitam esse spiritum, propter faciendam justitiam. Nunc vero et mortuum dixit esse corpus propter peccatum, et spiritum esse vitam propter justitiam ; diversa merita diversis rebus attribuens, morti quidem corporis, meritum peccati ; vitæ autem spiritus, meritum justitiæ. Quocirca si, ut dubitari non potest : « Spiritus vita est propter justi- » tiam, » hoc est, merito justitiæ : profecto « Corpus » mortuum propter peccatum, » quid aliud quam merito peccati intelligere debemus aut possumus, si apertissimum Scripturæ sensum non pro arbitrio pervertere ac detorquere conamur? Huc etiam verborum consequentium lumen accedit. Cum enim præsentis temporis gratiam determinans diceret, mortuum quidem esse corpus propter peccatum, quia in eo nondum per resurrectionem renovato, peccati meritum manet, hoc est, necessitas mortis ; spiritum autem vitam esse propter justitiam, quia licet adhuc corpore mortis hujus oneremur, jam secundum interiorem hominem cœpta renovatione in fidei justitiam[1] respiramus : tamen ne humana ignorantia de resurrectione corporis nihil speraret, etiam ipsum quod propter meritum peccati in præsenti sæculo dixerat mortuum, in futuro propter meritum justitiæ dicit vivificandum ; nec sic ut tantum ex mortuo vivum fiat, verumetiam ex mortali immortale.

VII. Quanquam itaque verear, ne res manifesta exponendo potius obscuretur, apostolicæ tamen sententiæ lu-

[1] *Forte* justitia.

men attende. « Si autem Christus, inquit, in vobis est, » corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus » autem vita est propter justitiam[1]. » Hoc dictum est, ne ideo putarent homines vel nullum, vel parvum se habere beneficium de gratia Christi, quia necessario morituri sunt corpore. Attendere quippe debent, corpus quidem adhuc peccati meritum gerere, quod conditioni mortis obstrictum est; sed jam spiritum cœpisse vivere propter justitiam fidei, qui et ipse in homine fuerat quadam morte infidelitatis extinctus. Non igitur, inquit, parum vobis muneris putetis esse collatum, per id quod Christus in vobis est, quod in corpore propter peccatum mortuo, jam propter justitiam vester spiritus vivit; nec ideo de vita quoque ipsius corporis desperetis. « Si enim » spiritus ejus qui suscitavit Christum a mortuis habitat » in vobis : qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit » et mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum » ejus in vobis[2]. » Quid adhuc tantæ luci fumus contentionis offunditur? Clamat Apostolus : Corpus quidem mortuum est in vobis propter peccatum, sed vivificabuntur etiam mortalia corpora vestra propter justitiam, propter quam nunc jam spiritus vita est, quod totum perficietur per gratiam Christi, hoc est, per inhabitantem spiritum ejus in vobis; et adhuc reclamatur? Dicit etiam quemadmodum fiat, ut vita in se mortem mortificando convertat. « Ergo, fratres, inquit, debitores su- » mus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim » secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu » facta carnis mortificaveritis, vivetis[3]. » Quid est aliud, quam hoc : Si secundum mortem vixeritis, totum morietur; si autem secundum vitam vivendo mortem mortificaveritis, totum vivet?

[1] Rom. VIII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12.

VIII. Item quod ait : « Per hominem mors et per ho» minem resurrectio mortuorum : » quid aliud quam de morte corporis intelligi potest ; quando ut hoc diceret, de resurrectione corporis loquebatur, eamque instantissima et acerrima intentione suadebat? Quid est ergo quod hic ait ad Corinthios? « Per hominem mors, et per ho» minem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam » omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabun» tur[1] : » nisi quod ait etiam ad Romanos : « Per unum » hominem peccatum intravit in mundum, et per pecca» tum mors[2] ? » Hanc illi mortem, non corporis, sed animæ intelligi volunt, quasi aliud dictum sit ad Corinthios : « Per hominem mors, » ubi omnino animæ mortem accipere non sinuntur, quia de resurrectione corporis agebatur, quæ morti corporis est contraria. Ideo etiam sola mors ibi per hominem facta commemorata est, non etiam peccatum ; quia non agebatur de justitia, quæ contraria est peccato, sed de corporis resurrectione, quæ contraria est corporis morti.

IX. Hoc autem Apostolicum testimonium in quo ait : « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, » et per peccatum mors, » conari eos quidem in aliam novam detorquere opinionem, tuis litteris intimasti ; sed quidnam illud sit, quod in his verbis opinentur, tacuisti. Quantum autem ex aliis comperi, hoc ibi sentiunt, quod et mors ista quæ illic commemorata est, non sit corporis, quam nolunt Adam peccando meruisse, sed animæ quæ in ipso peccato fit : et ipsum peccatum non propagatione in alios homines ex primo homine, sed imitatione transisse. Hinc enim etiam in parvulis nolunt credere per baptismum solvi originale peccatum, quod in nascentibus nullum esse omnino contendunt. Sed si Apostolus

[1] 1 Cor. xv, 21. — [2] Rom. v, 12.

peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum, non propagatione, sed imitatione intraverit; ejus principem, non Adam, sed diabolum diceret, de quo scriptum est : « Ab initio diabolus peccat[1]. » De quo etiam legitur in libro Sapientiæ : « Invidia autem dia- » boli mors intravit in orbem terrarum[2]. » Nam quoniam ista mors sic a diabolo venit in homines, non quod ab illo fuerint propagati, sed quod eum fuerint imitati, continuo subjunxit : « Imitantur autem eum qui sunt ex » parte ipsius[3]. » Proinde Apostolus cum illud peccatum ac mortem commemoraret, quæ ab uno in omnes propagatione transisset, eum principem posuit, a quo propagatio generis humani sumpsit exordium.

X. Imitantur quidem Adam, quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei : sed aliud est quod exemplum est voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus. Nam et Christum imitantur Sancti ejus ad sequendam justitiam. Unde et idem Apostolus dicit : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi[4]. » Sed præter hanc imitationem, gratia ejus illuminationem justificationemque nostram etiam intrinsecus operatur, illo opere de quo idem prædicator ejus dicit : « Neque » qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incre- » mentum dat Deus[5]. » Hac enim gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori, qui certe imitari aliquem nondum valent. Sicut ergo ille in quo omnes vivificantur, præter quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis : sic et ille in quo omnes moriuntur, præter quod eis qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis

[1] 1 Joan. III, 8. — [2] Sap. II, 24. — [3] Ibid. 25. — [4] 1 Cor. XI, 1. — [5] Id. III, 7.

exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes. Hinc omnino, nec aliunde, Apostolus dicit: « Per unum ho- » minem peccatum intravit in mundum, et per pecca- » tum mors, et ita in omnes homines pertransivit, in quo » omnes peccaverunt[1]. » Hoc si ego dicerem, resisterent isti, meque non recte dicere, non recte sentire clamarent. Nullam quippe in his verbis intelligerent sententiam cujuslibet hominis, nisi istam quam in Apostolo intelligere nolunt. Sed quia ejus verba sunt, cujus auctoritati doctrinæque succumbunt, nobis objiciunt intelligendi tarditatem, cum ea quæ tam perspicue dicta sunt, in nescio quid aliud detorquere conantur. « Per unum, inquit, » hominem peccatum intravit in mundum, et per pec- » catum mors. » Hoc propagationis est, non imitationis: nam si imitationis, per diabolum diceret. Quod autem nemo ambigit, istum primum hominem dicit, qui est appellatus Adam. » Et ita, inquit, in omnes homines » pertransiit. »

XI. Deinde quod sequitur: « In quo omnes peccave- » runt, » quam circumspecte, quam proprie, quam sine ambiguitate dictum est. Si enim peccatum intellexeris, quod per unum hominem intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt: certe manifestum est alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt; quando omnes ille unus homo fuerunt[2]. » Si autem non peccatum, sed ille unus homo intelligitur, in quo uno homine omnes peccaverunt, quid etiam ista est manifestatione manifsetius? Nempe legimus justificari in Christo qui credunt in eum, propter occultam communicatio-

[1] Rom. v, 12. — [2] Vide infra lib. 3. c. 2. de nuptiis c. 5. et epist. 186. n. 21. et Serm. 165. n. 7.

nem et inspirationem gratiæ spiritalis, qua quisquis hæret Domino unus spiritus est, quamvis eum et imitentur Sancti ejus : legatur mihi tale aliquid de iis, qui Sanctos ejus imitati sunt, utrum quisquam dictus sit justificatus in Paulo aut in Petro, aut in quolibet horum, quorum in populo Dei magna excellit auctoritas ; nisi quod in Abraham dicimur benedici, sicut ei dictum est : « Benedicentur in te omnes gentes[1] : » propter Christum qui semen ejus est secundum carnem. Quod manifestius dicitur, cum hoc idem ita dicitur : « Benedicentur in se- » mine tuo omnes gentes. » Dictum autem quemquam divinis eloquiis, peccasse vel peccare in diabolo, cum eum iniqui et impii omnes imitentur, nescio utrum quisquam reperiat : quod tamen cum Apostolus de primo homine dixerit : « In quo omnes peccaverunt[2], » adhuc de peccati propagine disceptatur, et nescio quæ nebula imitationis opponitur.

XII. Attende etiam quæ sequuntur. Cum enim dixisset : « In quo omnes peccaverunt ; » secutus adjunxit : « Usque ad legem enim peccatum in mundo fuit[3] : » hoc est, quia nec lex potuit auferre peccatum, quæ subintravit ut magis abundaret peccatum ; sive naturalis lex, in qua quisque jam ratione utens, incipit peccato originali addere et propria ; sive ipsa quæ scripta per Moysen populo data est. « Si enim data esset lex, quæ posset vivifi- » care, omnino ex lege esset justitia. Sed conclusit Scrip- » tura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi » daretur credentibus[4]. Peccatum autem non deputaba- » tur, cum lex non esset. » Quid est, « Non deputabatur[5], » nisi ignorabatur, et peccatum esse non putabatur? Neque enim ab ipso Domino Deo tanquam non esset habebatur,

[1] Galat. III, 8. — [2] Rom. V, 12. — [3] Ibid. 13. — [4] Galat. III, 21 et 22. — [5] Rom. V, 13.

cum scriptum sit : « Quicumque sine lege peccaverunt, » sine lege peribunt [1]. »

XIII. « Sed regnavit, inquit, mors ab Adam usque ad » Moysen [2] : » Id est, a primo homine usque ad ipsam etiam legem quæ divinitus promulgata est, quia nec ipsa potuit regnum mortis auferre. Regnum enim mortis vult intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, ut eos ad vitam æternam, quæ vera vita est, venire non sinat, sed ad secundam etiam, quæ pœnaliter æterna est, mortem trahat. Hoc regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris, quæ operata est etiam in antiquis sanctis, quicumque antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis litteram, quæ jubere tantum, non adjuvare poterat, pertinebant. Hoc namque occultabatur in Vetere Testamento pro temporum dispensatione justissima, quod nunc revelatur in Novo. Ergo in omnibus « regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, qui Christi gratia non adjuti sunt, ut in eis regnum mortis destrueretur : « Etiam in » eis qui non peccaverunt in similitudinem prævaricatio- » nis Adæ [3], » id est, qui nondum sua et propria voluntate sicut ille peccaverunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt; « Qui est forma futuri [4]; » quia in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris, qui ejus propagine crearentur, ut ex uno omnes in condemnationem nascerentur, ex qua non liberat nisi gratia Salvatoris [5]. Scio quidem plerosque latinos codices sic habere : « Regnavit » mors ab Adam usque ad Moysen in eos qui peccaverunt » in similitudinem prævaricationis Adæ, » quod etiam ipsum, qui ita legunt, ad eumdem referunt intellectum; ut in similitudinem prævaricationis Adæ peccasse accipiant,

[1] Rom. II, 12. — [2] Id. V, 14. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Confer epist 157. n. 19.

qui in illo peccaverunt, ut ei similes crearentur, sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, ex morituro morituri, damnatoque damnati. Græci autem codices unde in latinam linguam interpretatio facta est, aut omnes aut pene omnes, id quod a me primo positum est, habent.

XIV. « Sed non, inquit, sicut delictum, ita et donatio. » Si enim ob unius delictum multi mortui sunt, multo » magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu » Christi in multos abundavit : non magis multos [1], » id est, multo plures homines, neque enim plures justificantur quam condemnantur ; « Sed multo magis abun- » davit. » Adam quippe ex uno delicto suo reos genuit : Christus autem etiam quæ homines delicta propriæ voluntatis ad originale in quo nati sunt addiderunt, gratia sua solvit atque donavit, quod evidentius in consequentibus dicit.

XV. Verum illud diligentius intuere, quod ait, ob unius delictum multos mortuos. Cur enim ob unius illius, et non potius ob delicta sua propria, si hoc loco intelligenda est imitatio, non propagatio? Sed attende quod sequitur : « Et non sicut per unum peccantem, ita est et » donum. Nam judicium quidem ex uno in condemna- » tionem, gratia autem ex multis delictis in justificatio- » nem [2]. » Nunc dicant, ubi locum habeat in his verbis illa imitatio. « Ex uno, inquit, in condemnationem : » quo uno, nisi delicto? Hoc enim explanat, cum adjungit : « Gratia autem ex multis delictis in justificationem. » Cur ergo judicium ex uno delicto in condemnationem, gratia vero ex multis delictis in justificationem? Nonne si nullum est originale delictum, non solum ad justificationem gratia, sed etiam judicium ad condemnationem ex multis delictis homines ducit? Neque enim gratia multa delicta donat, et non etiam judicium multa delicta

[1] Rom. v, 15. — [2] Ibid. 16.

condemnat. Aut si propterea ex uno delicto in condemnationem ducuntur, quia omnia delicta quæ condemnantur, ex illius unius imitatione commissa sunt : eadem causa est, cur ex uno delicto etiam ad justificationem duci intelligantur, quia omnia delicta quæ justificatis remittuntur, ex illius unius imitatione commissa sunt. Sed hoc videlicet non intelligebat Apostolus cum dicebat : « Judicium quidem ex uno delicto in condemnationem, » gratia vero ex multis delictis in justificationem [1] ? » Imo vero nos intelligamus Apostolum, et videamus ideo dictum judicium ex uno delicto in condemnationem, quia sufficeret ad condemnationem etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum. Quamvis enim condemnatio gravior sit eorum, qui originali delicto etiam propria conjunxerunt, et tanto singulis gravior sit quanto gravius quis peccavit : tamen etiam illud solum quod originaliter tractum est, non tantum a regno Dei separat, quo parvulos sine accepta Christi gratia defunctos intrare non posse ipsi etiam confitentur; verum a salute ac vita æterna facit alienos, quæ nulla esse alia potest præter regnum Dei, quo sola Christi societas introducit.

XVI. Ac per hoc ab Adam, in quo omnes peccavimus, non omnia nostra peccata, sed tantum originale traduximus : a Christo vero, in quo omnes justificamur, non illius tantum originalis, sed etiam cæterorum quæ ipsi addidimus peccatorum remissionem consequimur. « Ideo » non sicut per unum peccantem, ita est et donum. » Nam judicium quidem ex uno delicto, si non remittitur, id est, originali, in condemnationem jam potest ducere : gratia vero ex multis delictis remissis, hoc est, non solum originali, verumetiam omnibus cæteris ad justificationem perducit.

[1] Rom. v, 16.

XVII. « Si enim ob unius delictum mors regnavit per » unum, multo magis qui abundantiam gratiæ et justitiæ » accipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Chris- » tum [1]. » Cur ob unius delictum mors regnavit per unum, nisi quia mortis vinculo tenebantur in illo uno in quo omnes peccaverunt, etiamsi propria peccata non adderent? Alioquin non ob unius delictum mors per unum regnavit, sed ob delicta multa multorum per unum quemque peccantem. Nam si propterea cæteri ob alterius hominis delictum mortui sunt, quia illum in delinquendo præcedentem subsequentes imitati sunt : ille quoque et multo magis ob alterius delictum mortuus est quem diabolus delinquendo ita præcesserat, ut ei delictum etiam ipse suaderet : Adam vero nihil suasit imitatoribus suis ; et multi qui ejus imitatores dicuntur, eum fuisse et tale aliquid commisisse vel non audierunt, vet omnino non credunt. Quanto ergo rectius, sicut jam dixi, diabolum principem constituisset Apostolus, a quo uno peccatum et mortem per omnes transiisse diceret, si hoc loco non propagationem, sed imitationem dicere voluisset? Multo enim rationabilius Adam dicitur imitator diaboli, quem suasorem habuit peccati, si potest quisquam imitari etiam illum qui nihil tale suasit, vel omnino quem nescit. Quid est autem, « Qui abundantiam gratiæ et justitiæ ac- » cipiunt, » nisi quod non ei tantum peccato in quo omnes peccaverunt, sed etiam eis quæ addiderunt, gratia remissionis datur ; eisque hominibus tanta justitia donatur, ut cum Adam consenserit ad peccatum suadenti, non cedant isti etiam cogenti? Et quid est : « Multo magis in vita » regnabunt, » cum mortis regnum multo plures in æternam pœnam trahat ; nisi intelligamus eos ipsos in utroque dici qui transeunt ab Adam ad Christum, id

[1] Rom. v, 17.

est, a morte ad vitam, quia in vita æterna sine fine regnabunt, magis quam in eis mors temporaliter et cum fine regnavit?

XVIII. « Itaque sicut per unius delictum in omnes » homines ad condemnationem, ita et per unius justifica» tionem in omnes homines ad justificationem vitæ [1]. » Hoc unius delictum, si imitationem attendamus, non erit nisi diaboli. Sed quia manifestum est, de Adam, non de diabolo dici : restat intelligenda, non imitatio, sed propagatio peccati. Nam et quod ait de Christo : « Per unius justificationem : » magis hoc expressit, quam si per unius justitiam diceret. Eam quippe justificationem dicit, qua Christus justificat impium, quam non imitandam proposuit, sed solus hoc potest. Nam potuit Apostolus recte dicere : « Imitatores mei es» tote, sicut et ego Christi [2] : » nunquam autem diceret, Justificamini a me, sicut et ego sum justificatus a Christo. Quoniam possunt esse, et sunt, et fuerunt multi justi homines et imitandi, justus autem et justificans nemo nisi Christus. Unde dicitur : « Credenti in eum qui justi» ficat impium, deputatur fides ejus ad justitiam [3]. » Quisquis ergo ausus fuerit dicere, Justifico te : consequens est, ut dicat etiam, Crede in me. Quod nemo sanctorum recte dicere potuit, nisi Sanctus sanctorum, « Cre» dite in Deum, et in me credite [4] : » ut quia ipse justificat impium, credenti in eum qui justificat impium, deputetur fides ad justitiam.

XIX. Nam si sola imitatio facit peccatores per Adam, cur non etiam per Christum sola imitatio justos facit? « Sicut enim, inquit, per unius delictum in omnes homi» nes ad condemnationem, sic et per unius justificationem » in omnes homines ad justificationem vitæ. » Proinde isti : » Unus et unus, » non Adam et Christus, sed Adam

[1] Rom. v, 18. — [2] 1 Cor. i, 11. — [3] Rom. iv, 5. — [4] Joan. xiv, 1.

et Abel constitui debuerunt. Quoniam cum multi nos in hujus vitæ tempore præcesserint peccatores, eosque imitati fuerint qui posteriore tempore peccaverunt; ideo tamen voluit isti non nisi Adam dictum, in quo omnes imitatione peccaverint, quia primus hominum ipse peccavit? Ac per hoc Abel dici debuit, in quo uno omnes similiter homines imitatione justificentur, quoniam ipse primus hominum juste vixit. Aut si propter quemdam articulum temporis ad Novi Testamenti exordium pertinentem, Christus est positus propter imitationem caput justorum, Judas ejus traditor caput poni debuit peccatorum. Porro si propterea Christus unus est in quo omnes justificentur, quia non sola ejus imitatio justos facit, sed per spiritum regenerans gratia: propterea et Adam unus est in quo omnes peccaverunt, quia non sola ejus imitatio peccatores facit, sed per carnem generans pœna. Ob hoc etiam dictum est: « Omnes et omnes. » Neque enim qui generantur per Adam, iidem ipsi omnes per Christum regenerantur: sed hoc recte dictum est, quia sicut nullius carnalis generatio nisi per Adam, sic spiritalis nullius nisi per Christum. Nam si aliqui possent carne generari, non per Adam, et aliqui generari spiritu non per Christum, non liquide « Omnes, » sive hic, sive ibi dicerentur. Eosdem autem omnes postea multos dicit; possunt quippe in aliqua re omnes esse qui pauci sunt: sed multos habet generatio carnalis, multos et spiritalis; quamvis non tam multos hæc spiritalis, quam illa carnalis. Verumtamen quemadmodum illa omnes habet homines, sic ista omnes justos homines: quia sicut nemo præter illam homo, sic nemo præter istam justus homo: et in utraque multi. « Sicut » enim per inobedientiam unius hominis peccatores con- » stituti sunt multi, ita per obedientiam unius hominis justi constituentur multi [1].

[1] Rom. v, 19.

XX. « Lex autem subintravit, ut abundaret delictum [1]. » Hoc ad originale homines addiderunt jam propria voluntate, non per Adam : sed hoc quoque solvitur sanaturque per Christum ; quia « Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia : ut quemadmodum regnavit peccatum in mortem [2], » etiam quod non ex Adam traxerunt homines, sed sua voluntate addiderunt ; « Sic et gratia regnet per justitiam in vitam æternam. » Non tamen aliqua justitia præter Christum, sicut aliqua peccata præter Adam. Ideo cum dixisset, « Quemadmodum regnavit peccatum in mortem , » hic non addidit; per unum, aut per Adam : quia supra dixerat etiam de peccato illo, quod subintrante lege abundavit ; et hoc utique non est originis, sed jam propriæ voluntatis. Cum autem dixisset, « Sic et gratia regnet per justitiam in vitam æternam ; addidit, per Jesum Christum Dominum nostrum : » quia generante carne illud tantummodo trahitur, quod est originale peccatum ; regenerante autem spiritu, non solum originalis, sed etiam voluntariorum sit remissio peccatorum (5).

XXI. Potest proinde recte dici, parvulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem fallit et fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo, « Judicium ex uno delicto in condemnationem. » Et Paulo post, « Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem [3]. » Quando ergo peccavit Adam non obediens Deo, tunc ejus corpus, quamvis esset animale ac mortale, gratiam perdidit, qua ejus animæ omni ex parte obediebat. Tunc ille extitit bestialis motus pudendus hominibus, quem in sua erubuit nuditate. Tunc

[1] Rom. v, 20. — [2] Ibid. 21. — [3] Vide Enchirid. cap. 93. et lib. 5. cont. Julian. c. 11.

etiam morbo quodam ex repentina et pestifera corruptione concepto factum in illis est, ut illa in qua creati sunt stabilitate ætatis amissa, per mutabilitates ætatum irent in mortem. Quamvis ergo annos multos postea vixerint, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem, qua in senium veterascerent, acceperunt. Non enim stat vel temporis puncto, sed sine intermissione labitur, quidquid continua mutatione sensim currit in finem, non perficientem, sed consumentem. Sic itaque impletum est quod dixerat Deus, « Qua die ederitis, morte moriemini[1]. » Ex hac igitur inobedientia carnis, ex hac lege peccati et mortis, quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritaliter opus habet, ut non solum ad regnum Dei perducatur, verum etiam a peccati damnatione liberetur. Simul itaque peccato et morti primi hominis obnoxii nascuntur in carne, et simul justitiæ vitæque æternæ secundi hominis sociati renascuntur in baptismo : sicut et in Ecclesiastico scriptum est, « A muliere initium factum est » peccati, et per illam omnes morimur[2]. » Sive autem a muliere, sive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet : quoniam, sicut novimus, mulier ex viro est, et utriusque una caro est. Unde et illud quod Scriptum est, « Et erunt duo in carne una. Igitur jam » non duo, inquit Dominus, sed una caro[3]. »

XXII. Quapropter qui dicunt parvulos ideo baptizari, ut hoc eis remittatur quod in hac vita proprium contraxerunt, non quod ex Adam traduxerunt, non magno molimine refellendi sunt. Quando enim secum ipsi paululum sine certandi studio cogitaverint, quam sit absurdum nec dignum disputatione quod dicunt, continuo sententiam commutabunt. Quod si noluerint, non usque adeo de humanis sensibus desperandum est, et metuamus ne hoc

[1] Gen. II, 17. — [2] Eccli. XXV, 33. — [3] Matth. XIX, 5.

cuipiam persuadeant. Ipsi quippe ut hoc dicerent, alicujus alterius sententiæ præjudicio, nisi fallor, impulsi sunt; ac propterea cum remitti baptizato peccata necessario faterentur, nec fateri vellent ex Adam ductum esse peccatum, quod remitti fatebantur infantibus, ipsam infantiam coacti sunt accusare : quasi accusator infantiæ hoc securior fieret, quo accusatus ei respondere non posset. Sed istos, ut dixi, omittamus, neque enim sermone vel documentis opus est, quibus innocentia probetur infantum, quantum ad eorum pertinet vitam, quam recenti ortu in se ipsis agunt, si eam non agnoscit sensus humanus, nullis adminiculis cujusquam disputationis adjutus.

XXIII. Sed illi movent, et aliquid consideratione ac discussione dignum videntur afferre, qui dicunt parvulos recenti vita editos visceribus matrum, non propter remittendum peccatum percipere baptismum [1], sed ut spiritalem procreationem non habentes creentur in Christo, et ipsius regni cœlorum participes fiant, eodem modo filii et hæredes Dei, cohæredes autem Christi. A quibus tamen cum quæritur, utrum non baptizati et non effecti cohæredes Christi, regnique cœlorum participes, habeant saltem beneficium salutis æternæ in resurrectione mortuorum, laborant vehementer, nec exitum inveniunt. Quis enim Christianorum ferat, cum dicitur ad æternam salutem posse quemquam pervenire, si non renascatur in Christo, quod per baptismum fieri voluit, eo jam tempore quo tale sacramentum constituendum fuit regenerandis in spem salutis æternæ? Unde dicit Apostolus, « Non ex operibus justitiæ quæ nos fecimus, sed secun» dum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum » regenerationis [2]. » Quam tamen salutem in spe dicit

[1] Vide infra c. 20. et lib. de peccato orig. c. 18-21. et Serm. 294. — [2] Tit. III, 5.

esse, cum hic vivimus, ubi ait : « Spe enim salvi facti » sumus. Spes autem quæ videtur non est spes. Quod » enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non vi- » demus speramus, per patientiam expectamus [1]. » Sine ista ergo regeneratione salvos in æternum posse parvulos fieri, quis audeat affirmare, tanquam non pro eis mortuus sit Christus? Etenim « Christus pro impiis mortuus » est [2]. » Isti autem qui, ut manifestum est, nihil in sua propria vita impie commiserunt, si nec originaliter ullo impietatis vinculo detinentur, quomodo pro eis mortuus est qui pro impiis mortuus est? Si nulla originalis sunt peccati ægritudine sauciati, quomodo ad medicum Christum, hoc est, ad percipiendum sacramentum salutis æternæ, suorum currentium pio timore portantur, et non eis in Ecclesia dicitur : Auferte hinc innocentes istos, non est opus sanis medicus, sed male habentibus : non venit Christus vocare justos, sed peccatores [3]. Nunquam dictum est, nunquam dicitur, nunquam omnino dicetur in Ecclesia Christi tale commentum.

XXIV. Ac ne quis existimet ideo parvulos ad baptismum afferri oportere, quia sicut peccatores non sunt, ita nec justi sunt : quomodo ergo quidam meritum hujus ætatis a Domino laudatum esse commemorant, ubi ait : « Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum » cœlorum [4]? » Si enim hoc non propter humilitatis similitudinem, quod humilitas parvulos faciat, sed propter puerorum vitam laudabilem dictum est, profecto et justi sunt. Non enim recte aliter dici potuit : « Talium est » regnum cœlorum, » cum esse non possit nisi justorum. Sed forte hoc quidem non congruenter dicitur, quod parvulorum vitam laudaverit Dominus dicens : « Talium est » regnum cœlorum : » cum verax sit ille intellectus, quod

[1] Rom. VIII, 24. — [2] Rom. V, 6. — [3] Luc. V, 31. — [4] Matth. XIX, 14.

humilitatis similitudinem in parva ætate posuerit. Verumtamen forsitan hoc tenendum est quod dixi, propterea parvulos baptizari debere, quia sicut peccatores non sunt, ita nec justi sunt. Sed cum dictum esset : « Non » veni vocare justos, » quasi ei responderetur : Quos ergo vocare venisti? Continuo subjunxit : « Sed peccatores in » pœnitentiam. » Ac per hoc, quomodo si justi sunt, ita etiam si peccatores non sunt, non eos venit vocare, qui dixit : « Non veni vocare justos, sed peccatores. » Et ideo baptismo ejus qui eos non vocat, non tantum frustra, verumetiam improbe videntur irruere, quod absit ut sentiamus. Vocat eos igitur medicus, qui non est opus sanis, sed ægrotantibus, nec venit vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam. Et ideo quia suæ vitæ propriæ peccatis nullis adhuc tenentur obnoxii, originalis in eis ægritudo sanatur in ejus gratia qui salvos facit per lavacrum regenerationis.

XXV. Dicet aliquis : Quomodo ergo et ipsi vocantur in pœnitentiam? Numquid tantillos potest aliquid pœnitere? Huic respondetur : Si propterea pœnitentes dicendi non sunt, quia sensum pœnitendi non habent, nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credendi nondum habent. Si autem propterea recte[1] fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodam modo profitentur, cur non prius etiam pœnitentes habeantur, cum per eorumdem verba gestantium diabolo et huic sæculo renuntiare monstrantur? Totum hoc in spe fit vi sacramenti et divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ. Cæterum quis ignorat quod baptizatus parvulus, si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit

[1] Vide infra c. 20. et 27. et lib. 3. c. 2. et epist. 98. n. 10. et Serm. 294. n. 14.

quod parvus accepit? Verumtamen si percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, justificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines et Deum, quæ solvuntur Christi gratia, per quem mediatorem reconciliamur, cum justificat impium.

XXVI. Terrentur autem isti sententia Domini dicentis : « Nisi quis natus fuerit denuo, non videbit regnum » Dei. » Quod cum exponeret, ait : « Nisi quis renatus » fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum cœ» lorum[1]. » Et propterea conantur parvulis non baptizatis innocentiæ merito salutem ac vitam æternam tribuere, sed quia baptizati non sunt, eos a regno cœlorum facere alienos : nova quadam et mirabili præsumptione, quasi salus ac æterna vita possit esse præter Christi hæreditatem, præter regnum cœlorum. Habent enim videlicet quo confugiant, atque ubi delitescant, quia non ait Dominus : « Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu, » non habebit vitam, sed ait ; « Non intrabit in regnum » Dei. » Nam si illud dixisset, nulla hinc dubitatio posset oboriri. Auferatur ergo dubitatio : jam Dominum audiamus, non suspiciones conjecturasque mortalium : Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de sacramento lavacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit : « Nisi » manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem » meum, non habebitis vitam in vobis[2]. » Quid ultra quærimus? Quid ad hoc responderi potest, nisi pertinacia pugnaces nervos adversus constantiam perspicuæ veritatis intendat?

[1] Joan. III, 3. — [2] Id. VI, 54.

XXVII. An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat (6), possintque sine participatione corporis hujus et sanguinis in se habere vitam : quia non ait : Qui non manducaverit, sicut de baptismo : Qui non renatus fuerit : sed ait : « Si » non manducaveritis, » velut eos alloquens qui audire et intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine corpore et sanguine Filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas major id curat. Potest enim, si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur : quia non ait : Qui non manducaverit, sed, « Si non manducaveritis. » Et ubi est quod eodem loco de hac ipsa re ait : « Panis quem ego dedero, caro mea » est pro sæculi vita [1] ? » Secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus quando ista dicebat; quia non possumus dicere ad sæculum nos non pertinere, pro cujus vita Christus suam carnem dedit. Quis autem ambigat sæculi nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc sæculum veniunt? Nam sicut alibi ait : « Filii sæculi » hujus generant et generantur [2]. » Ac per hoc pro etiam parvulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita; et si non manducaverint carnem Filii hominis, nec ipsi habebunt vitam.

XXVIII. Hinc est etiam illud : « Pater diligit Filium, » et omnia dedit in manu ejus. Qui credit in Filium, ha- » bet vitam æternam : qui autem incredulus est Filio, » non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum [3]. » In quo igitur horum genere ponemus infantes : in eorum qui credunt in Filium, an in eorum qui sunt increduli

[1] Joan. VI, 52. — [2] Luc. XX, 34. — [3] Joan. III, 35.

Filio? In neutro, ait aliquis, quia cum adhuc credere non possunt, nec increduli deputandi sunt. Non hoc indicat Ecclesiastica regula, quæ baptizatos infantes fidelium numero adjungit. Porro si isti qui baptizantur, propter virtutem celebrationemque tanti sacramenti, quamvis suo corde atque ore non agant quod ad credendum confitendumque pertineat, tamen in numero credentium computantur : profecto illi quibus sacramentum defuerit, in eis habendi sunt qui non credunt Filio ; atque ideo si hujus inanes gratiæ de corpore exierint, sequetur eos quod dictum est, non habebunt vitam, sed ira Dei manet super eos. Unde hoc, quando eos clarum est peccata propria non habere, si nec originali peccato teneantur obnoxii.

XXIX. Bene autem non ait : « Ira Dei veniet super eum ; sed, «Manet super eum. » Ab hac quippe ira, qua omnes sub peccato sunt, de qua dicit Apostolus : « Fui» mus enim et nos aliquando naturaliter filii iræ, sicut et » cæteri, » nulla res liberat, nisi gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum. Hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest, injusta non potest. « Numquid enim iniquitas apud Deum? » Absit[1]. » Led prius sanctarum Scripturarum auctoritatibus colla subdenda sunt, ut ad intellectum per fidem quisque perveniat. Neque enim frustra dictum est : « Ju» dicia tua sicut abyssus multa[2]. » Cujus abyssi altitudinem veluti expavescens, exclamat Apostolus : « O Alti» tudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei[3] ! » Præmiserat quippe sententiam miræ profunditatis, dicens : « Con» clusit enim Deus omnes in incredulitate, ut omnibus » misereatur. » Cujus profunditatis veluti horrore percussus : « O altitudo, inquit, divitiarum sapientiæ et

[1] Rom. IX, 14. — [2] Psal. XXXV, 7. — [3] Rom. XI, 33.

» scientiæ Dei! quam inscrutabilia judicia ejus et investi-
» gabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini,
» aut quis consiliarius illius fuit, aut quis prior dedit illi,
» et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in
» ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum.
» Amen. » Valde ergo parvum sensum habemus ad discu-
tiendam justitiam judiciorum Dei; ad discutiendam gra-
tiam gratuitam, nullis meritis præcedentibus non ini-
quam, quæ non tam movet cum præstatur indignis,
quam cum æque indignis aliis denegatur.

XXX. Nam et hi quibus videtur injustum, ut parvuli
sine gratia Christi de corpore exeuntes, non solum regno
Dei, quo et ipsi fatentur nisi per baptismum renatos in-
trare non posse; verumetiam vita æterna et salute pri-
ventur; quærentes quomodo justum sit, ut alius ab origi-
nali impietate solvatur, alius non solvatur, cum eadem sit
utriusque conditio : ipsi respondeant secundum suam
sententiam, quomodo identidem justum sit, ut huic præs-
tetur baptismus, quo intret in regnum Dei, illi non præs-
tetur, cum sit utriusque par causa. Si enim movet, cur
ex his duobus, cum ex æquo ambo sint originaliter pec-
catores, alius ab hoc vinculo solvitur, cui conceditur
baptismus; alius non solvitur, cui talis gratia non conce-
ditur : cur non pariter movet, quod ex duobus origina-
liter innocentibus, alius accipit baptismum, quo in reg-
num Dei possit intrare, alius non accipit, ne ad regnum
Dei possit accedere? Nempe in utraque causa, ad illam
exclamationem reditur : « O altitudo divitiarum! » Ex
ipsis deinde baptizatis parvulis, dicatur mihi, cur alius
rapitur, ne malitia mutet intellectum ejus, et alius vivit,
impius futurus[1]? Nonne si ambo raperentur? ambo in
regnum cœlorum ingrederentur? et tamen non est iniqui-

[1] Sap. IV, 11.

tas apud Deum [1]. Quid, illud quem non moveat, quem non in tanta altitudine exclamare compellat, quod alii parvuli spiritu immundo vexantur, alii nihil tale patiuntur, alii etiam in uteris matrum, sicut Jeremias, sanctificantur [2]; cum omnes, si est originale peccatum; pariter rei sint; si non est, pariter innocentes sint? Unde ista tanta diversitas, nisi quia inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus?

XXXI. An forte illud jam explosum repudiatumque sentiendum est, quod animæ prius in cœlesti habitatione peccantes, gradatim atque paulatim ad suorum meritorum corpora veniant, ac pro ante gesta vita magis minusve corporeis pestibus affligantur? Cui opinioni quamvis sancta Scriptura apertissime contradicat, quæ cum gratiam commendaret: « Nondum, inquit, natis, nec qui » aliquid egerant boni aut mali, ut secundum electionem » propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vo» cante dictum est, quod major serviet minori [3] : » nec ipsi tamen qui hoc sentiunt, evadunt hujus quæstionis angustias, sed in eis coarctati et hærentes similiter, « O » altitudo? » exclamare coguntur. Unde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei prædicari gratia christiana non possit? « Quomodo » enim invocabunt in quem non crediderunt? aut quo» modo credent ei quem non audierunt? Quomodo au» tem audient sine prædicante [4]? » Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis et facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter hic vi-

[1] Rom. IX, 14. — [2] Jerem. I, 5. — [3] Rom. IX, 11. — [4] Id. X, 14.

vat? Ubi duo isti tam diversa merita contraxerunt, non dico, ut iste credat, ille non credat, quod est propriæ voluntatis; sed ut iste audiat quod credat, ille non audiat; hoc enim non est in hominis potestate : ubi, inquam, hæc tam diversa merita contraxerunt? Si in cœlo egerunt aliquam vitam, ut pro suis actibus propellerentur vel laberentur in terras, congruisque suæ ante actæ vitæ corporeis receptaculis tenerentur : ille utique melius ante hoc mortale corpus vixisse credendus est, qui eo non multum meruit prægravari, ut et bonum haberet ingenium, et concupiscentiis ejus mitioribus urgeretur, quas posset facile superare : et tamen eam sibi gratiam prædicari non meruit, qua sola posset a secundæ mortis pernicie liberari. Ille autem pro meritis deterioribus, sicut putant, graviori corpori implicitus, et ob hoc cordis obtusi, cum carnis illecebris ardentissima cupidine vinceretur, et per nequissimam vitam peccatis pristinis, quibus ad hoc venire meruerat, adderet pejora terrena; aut in cruce tamen audivit : « Hodie mecum eris in paradiso [1]; » aut alicui cohæsit Apostolo, cujus prædicatione mutatus, et per lavacrum regenerationis salvus effectus est : ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia. Quid hinc respondeant, omnino non video, qui volentes humanis conjecturis justitiam Dei defendere, et ignorantes altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerunt.

XXXII. Multa enim dici possunt de miris vocationibus hominum, sive quas legimus, sive quas experti sumus, quibus eorum opinio subvertatur, qui credunt ante ista corpora sua, quasdam proprias vitas gessisse animas hominum, quibus ad hæc venirent, pro diversitate meritorum diversa hic experturæ vel bona vel mala. Sed terminandi hujus operis cura non sinit in his diutius im-

[1] Luc. XXIII, 43.

morari. Unum tamen, quod inter multa mirabile comperi, non tacebo. Quis non secundum istos, qui ex meritis prioris vitæ ante hoc corpus in cœlestibus gestæ animas terrenis corporibus magis minusve gravari opinantur, affirmet eos ante istam vitam sceleratius immaniusque peccasse, qui mentis lumen sic amittere meruerunt, ut sensu vicino pecoribus nascerentur, non dico tardissimi ingenio, nam hoc de aliis dici solet, sed ita excordes, ut etiam cirrati (7) ad movendum risum exhibeant cordatis delicias fatuitatis, quorum nomen ex græco derivatum Moriones vulgus appellat? Talium tamen quidam fuit ita Christianus, ut cum esset omnium injuriarum suarum mira fatuitate patientissimus, injuriam tamen Christi nominis vel in se ipso religionis qua imbutus erat, sic ferre non posset, ut blasphemantes videlicet cordatos, a quibus hæc ut provocaretur audiebat, insectari lapidibus non desisteret, nec in ea causa vel dominis parceret. Tales ergo prædestinari et creari arbitror, ut qui possunt, intelligant, Dei gratiam et Spiritum qui ubi vult spirat[1], ob hoc omne ingenii genus in filiis misericordiæ non præterire, itemque omne ingenii genus in gehennæ filiis præterire : « Ut qui gloriatur in » Domino glorietur[2]. » Illi autem qui pro meritis vitæ superioris accipere quasque animas diversa terrena corpora affirmant; quibus aliæ magis, aliæ minus graventur, et pro eisdem meritis humana ingenia variari, ut acutiora sint quædam, et alia obtusiora, proque ipsius vitæ superioris meritis divinam quoque gratiam liberandis hominibus dispensari; quid de isto poterunt respondere? Quomodo ei tribuent et teterrimam vitam superiorem, ut ex hoc fatuus nasceretur, et tam bene meritam, ut ex hoc in Christi gratia multis acutissimis præferretur?

[1] Joan. III, 8. — [2] 1 Cor. I, 31.

XXXIII. Cedamus igitur et consentiamus auctoritati sanctæ Scripturæ, quæ nescit falli nec fallere, et sicut nondum natos ad discernenda merita eorum aliquid boni vel mali egisse non credimus, ita omnes sub peccato esse, quod per unum hominem intravit in mundum, et per omnes homines pertransiit, a quo non liberat nisi gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum, minime dubitemus. Cujus medicinalis adventus non est opus sanis, sed ægrotantibus, quia non venit vocare justos, sed peccatores : in cujus regnum non intrabit nisi qui renatus fuerit ex aqua et spiritu, nec præter regnum ejus salutem ac vitam possidebit æternam. Quoniam qui non manducaverit carnem ejus, et qui incredulus est Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cujus naturaliter filii sunt, qui etiamsi per ætatem non habent proprium, trahunt tamen originale peccatum, non liberat nisi Agnus Dei qui tollit peccata mundi, non nisi Medicus qui non venit propter sanos, sed propter ægrotos, non nisi Salvator, de quo dictum est generi humano : « Natus est vobis hodie Salvator[1] : » non nisi Redemptor, cujus sanguine deletur debitum nostrum. Nam quis audeat dicere, non esse Christum infantium salvatorem nec redemptorem? Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venumdati sub peccato? Nulla igitur ex nostro arbitrio, præter baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda.

XXXIV. Optime Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quam salutem, et sacramentum corporis

[1] Luc. II, 11.

Christi, nihil aliud quam vitam vocant. Unde, nisi ex antiqua, ut existimo, et apostolica traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter baptismum et participationem mensæ Dominicæ, non solum ad regnum Dei, sed nec ad salutem et vitam æternam posse quemquam hominum pervenire? Hoc enim et Scriptura testatur, secundum ea quæ supra diximus. Nam quid aliud tenent, qui baptismum nomine salutis appellant, nisi quod dictum est : « Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis[1] : » et quod Petrus ait : « Sic et vos simili forma baptisma » salvos facit[2]. » Quid aliud etiam, qui sacramentum mensæ Dominicæ vitam vocant, nisi quod dictum est : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, » et, « Pa» nis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita, » et, « Si non manducaveritis carnem Filii hominis et san» guinem biberitis, non habebitis vitam in vobis[3]? » Si ergo ut tot et tanta divina testimonia concinunt, nec salus nec vita æterna sine baptismo et corpore et sanguine Domini cuiquam speranda est, frustra sine his promittitur parvulis. Porro si a salute ac vita æterna hominem nisi peccata non separant, per hæc sacramenta non nisi peccati reatus in parvulis solvitur : de quo reatu scriptum est : « Neminem esse mundum, nec si unius diei fue» rit vita ejus[4]. » Unde est et illud in Psalmis : « Ego » enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis ma» ter mea me in utero aluit[5]. » Aut enim ex persona generali ipsius hominis dicitur, aut si proprie de se David hoc dicit, non utique de fornicatione, sed de legitimo connubio natus fuit. Non itaque dubitemus etiam pro infantibus baptizandis sanguinem fusum, qui priusquam funderetur, sic in sacramento datus est et commendatus,

[1] Tit. III, 5. — [2] 1 Petr. III, 21. — [3] Joan. VI, 51-54. — [4] Job. XIV, 4. [5] Psal. L, 7.

ut diceretur : « Hic est sanguis meus, qui pro multis » effundetur in remissionem peccatorum[1]. » Negant enim illos liberari, qui sub peccato esse nolunt fateri. Nam unde liberantur, si nulla servitute peccati tenentur obstricti?

XXXV. « Ego, inquit, lux in sæculum veni, ut omnis » qui crediderit in me, non maneat in tenebris[2]. » Hoc dicto quid ostendit, nisi in tenebris esse omnem qui non credit in eum, et credendo efficere ne maneat in tenebris? Has tenebras quid nisi peccata intelligimus? Sed quodlibet aliud intelligantur hæ tenebræ, profecto qui non credit in Christum, manebit in eis : et utique pœnales sunt, non quasi nocturnæ ad quietem animantium necessariæ. Proinde parvuli, si per sacramentum quod ad hoc divinitus institutum est, in credentium numerum non transeant, profecto in his tenebris remanebunt.

XXXVI. Quamvis eos nonnulli mox natos illuminari credant, sic intelligentes quod scriptum est : « Erat lu- » men verum, quod illuminat omnem hominem venien- » tem in hunc mundum[3]. » Quod si ita est, multum mirandum est, quomodo illuminati ab unico Filio, quod erat in principio Verbum Deus apud Deum, non admittantur ad regnum Dei, nec sint hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Hoc enim eis nisi per baptismum non præstari, etiam qui hoc sentiunt, confitentur. Deinde jam illuminati, si ad consequendum regnum Dei nondum sunt idonei ; saltem ipsum baptismum, quo ad hoc idonei fiunt, læti suscipere debuerunt : cui tamen eos videmus cum magnis fletibus reluctari, eamque ignorantiam in illa ætate contemnimus, ut sacramenta quæ illis prodesse novimus, in eis etiam reluctantibus compleamus. Cur enim et Apostolus dicit : « Nolite pueri esse menti-

[1] Matth. xxvi, 28. — [2] Joan. xii, 46. — [3] Id. i, 9.

» bus[1], » si jam lumine illo vero quod Verbum Dei est, eorum mentes illuminatæ sunt?

XXXVII. Itaque illud quod in Evangelio positum est : « Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem » venientem in hunc mundum, » ideo dictum est, quia nullus hominum illuminatur nisi illo lumine veritatis, quod Deus est : ne quisquam putaret ab eo se illuminari, a quo audit ut discat, non dico, si quemquam magnum hominem, sed nec si Angelum ei contingat habere doctorem. Adhibetur enim sermo veritatis extrinsecus vocis ministerio corporalis, verumtamen « Neque qui plantat » est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat » Deus[2]. » Audit quippe homo dicentem vel hominem vel Angelum ; sed ut sentiat et cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aspergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet. Sed sicut sol iste a cæcis, quamvis eos suis radiis quodam modo vestiat, sic ab stultitiæ tenebris non comprehenditur.

XXXVIII. Cur autem, cum dixisset : « Quod illumi- » nat omnem hominem ; » addiderit : « Venientem in » hunc mundum ; » unde hæc opinio nata est, quod in exortu corporali ab utero matris recentissimo illuminet mentes nascentium parvulorum : quamvis in græco ita sit positum, ut possit etiam intelligi lumen ipsum veniens in hunc mundum[3] : tamen si hominem venientem in hunc mundum, necesse est accipi, aut simpliciter dictum arbitror, sicut multa in Scripturis reperiuntur, quibus etiam detractis nihil sententiæ minuatur ; aut si propter aliquam distinctionem additum esse credendum est, fortasse hoc dictum est, ad discernendam spiritalem illuminationem ab ista corporali, quæ sive per cœli luminaria, sive quibusque ignibus illuminat oculos carnis ; ut hominem in-

[1] 1 Cor. XIV, 20. — [2] 2 Cor. III, 7. — [3] Ἐρχόμενον.

teriorem dixerit venientem in hunc mundum, quia exterior corporeus est, sicut hic mundus; tanquam diceret: Illuminat omnem hominem venientem in corpus, secundum illud quod scriptum est: « Sortitus sum animam bo- » nam, et veni in corpus incoinquinatum [1]. » Aut ergo sic dictum est, si distinctionis alicujus gratia dictum est: « Illuminat omnem hominem venientem in hunc mun- » dum; » tanquam dictum esset: Illuminat omnem interiorem hominem; quia homo interior cum veraciter fit sapiens, nonnisi ab illo illuminatur qui est lumen verum: aut si rationem ipsam, qua humana anima rationalis appellatur, quæ ratio adhuc velut quieta et quasi sopita, tamen insita et quodam modo inseminata in parvulis latet, illuminationem voluit appellare, tanquam interioris oculi creationem; non resistendum est, tunc eam fieri, cum anima creatur, et non absurde hoc intelligi, cum homo venit in mundum. Verumtamen etiam ipse, quamvis jam creatus oculus, necesse est in tenebris maneat, si non credat in eum qui dixit: « Ego lux in sæculum veni, ut » omnis qui credit in me non maneat in tenebris [2]. » Quod per sacramentum baptismatis in parvulis fieri non dubitat mater Ecclesia, quæ cor et os maternum eis præstat, ut sacris mysteriis imbuantur; quia nondum possunt corde proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem [3]. » Nec ideo tamen eos quisquam fidelium fideles appellare cunctatur, quod a credendo utique nomen est: quamvis hoc non ipsi, sed alii pro eis inter sacramenta responderint.

XXXIX. Nimis longum fiet, si ad singula testimonia similiter disputemus. Unde commodius esse arbitror, acervatim cogere: quæ occurrere potuerint, vel quæ sufficere videbuntur, quibus appareat Dominum Jesum

[1] Sap. VIII, 19. — [2] Joan. XII, 46. — [3] Rom. X, 10.

Christum non aliam ob causam in carne venisse, ac forma servi accepta factum obedientem usque ad mortem crucis[1], nisi ut hac dispensatione misericordissimæ gratiæ omnes, quibus tanquam membris in suo corpore constitutis caput est ad capessendum regnum cœlorum, vivificaret, salvos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret, qui prius fuissent in peccatorum morte, languoribus, servitute, captivitate, tenebris constituti, sub potestate diaboli principis peccatorum : ac sic fieret mediator Dei et hominum, per quem post inimicitias impietatis nostræ, illius gratiæ pace finitas, reconciliaremur Deo in æternam vitam, ab æterna morte quæ talibus impendebat erepti. Hoc enim cum abundantius apparuerit, consequens erit ut ad istam Christi dispensationem, quæ per ejus humilitatem facta est, pertinere non possint, qui vita, salute, liberatione, redemptione, illuminatione non indigent. Et quoniam ad hanc pertinet baptismus, quo Christo consepeliuntur, ut incorporentur illi membra ejus, hoc est, fideles ejus : profecto nec baptismus est necessarius eis, qui illo remissionis et reconciliationis beneficio, quæ fit per mediatorem, non opus habent. Porro quia parvulos baptizandos esse concedunt, qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ, procul dubio per Dominum et Apostolos traditam, venire non possunt : concedant oportet eos egere illis beneficiis mediatoris, ut abluti per sacramentum charitatemque fidelium, ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo, ut in illo vivi, ut salvi, ut liberati, ut redempti, ut illuminati fiant : unde nisi a morte, vitiis, reatu, subjectione, tenebris peccatorum? quæ quoniam nulla in ea ætate per suam vitam propriam commiserunt, restat originale peccatum.

[1] Philip. II, 8.

XL. Hæc ratiocinatio tunc erit fortior, cum ea quæ promisi testimonia multa congessero. Jam supra posuimus : « Non veni vocare justos, sed peccatores[1]. » Item cum ad Zacchæum esset ingressus : « Hodie, inquit, sa- » lus domui huic facta est, quoniam et iste filius est » Abrahæ[2] : Venit enim filius hominis quærere et salvare » quod perierat[3]. » Hoc et de ove perdita et relictis no- naginta novem quæsita et inventa ; hoc et de drachma quæ perierat ex decem. Unde « Oportebat, ut dicit, præ- » dicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem pec- » catorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem[4]. » Marcus etiam in fine Evangelii sui Dominum dixisse tes- tatur : « Euntes in mundum universum prædicate Evan- » gelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus » fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condem- » nabitur[5]. » Quis autem nesciat, credere esse infantibus baptizari, non credere autem, non baptizari ? Ex Joan- nis autem Evangelio quamvis jam nonnulla posuerimus, attende etiam ista. Joannes Baptista de illo : « Ecce » Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi[6]. » Et ipse de se ipso : « Qui de ovibus meis sunt, vocem meam au- » diunt, et ego novi illas, et sequuntur me, et ego vitam » æternam do illis, et non peribunt in æternum[7]. » Quia ergo de ovibus ejus non esse incipiunt parvuli, nisi per baptismum ; profecto si hoc non accipiunt, peribunt : vitam enim æternam, quam suis dabit ovibus, non ha- bebunt. Item alio loco : « Ego sum via, veritas et vita. » Nemo venit ad Patrem nisi per me[8]. »

XLI. Hanc doctrinam suscipientes Apostoli, vide quanta contestatione declarent. Petrus, in prima Epis- tola : « Benedictus, inquit, Deus et Pater Domini nostri

[1] Luc. v, 32. — [2] Id. xix, 9. — [3] Id. xv, 4-8 — [4] Id. xxiv, 47. — [5] Marc. xvi, 15. — [6] Joan. i, 29. — [7] Id. x, 27. — [8] Id xiv, 6.

» Jesu Christi secundum multitudinem misericordiæ suæ, » qui regeneravit nos in spem vitæ æternæ, per resurrec- » tionem Jesu Christi, in hæreditatem immortalem et in- » contaminatam, florentem, servatam in cœlis, vobis » qui in virtute Dei conservamini per fidem in salutem » paratam palam fieri in tempore novissimo. » Et paulo post : « Inveniamini, inquit, in laudem et honorem Jesu » Christi, quem ignorabatis, in quem modo non videu- » tes creditis, quem cum videritis, exultabitis gaudio in- » enarrabili, et honorato gaudio percipientes testamen- » tum fidei, salutem animarum vestrarum[1]. » Item alio loco : « Vos autem, inquit, genus electum, regale sacer- » dotium, gens sancta, populus in adoptione, ut virtutes » enuntietis ejus, qui vos de tenebris vocavit in admirabile » lumen suum[2]. » Et iterum : « Christus, inquit, pro pec- » catis nostris passus est, justus pro injustis, ut nos ad- » ducat ad Deum[3]. » Item cum commemorasset in arca Noë, octo homines salvos factos : « Sic et vos, inquit, si- » mili forma baptisma salvos facit[4]. » Ab hac ergo salute et lumine alieni sunt parvuli, et in perditione ac tenebris remanebunt, nisi per adoptionem populo Dei fuerint so- ciati, tenentes Christum passum justum pro injustis, ut eos adducat ad Deum.

XLII. Ex Epistola etiam Joannis hæc mihi occur- rerunt, quæ huic quæstioni necessaria visa sunt. « Quod » si in lumine, inquit, ambulaverimus, sicut et ipse est » in lumine, societatem habemus in invicem, et sanguis » Jesu Christi Filii ejus purgabit nos ab omni delicto[5]. » Item alio loco : « Si testimonium, inquit, hominum ac- » cipimus, testimonium Dei majus est ; quia hoc est tes- » timonium Dei, quod majus est : quia testificatus est de

[1] 1 Petr. 1, 3-10. — [2] Id. II, 9. — [3] Id. III, 18. — [4] Ibid. 21. — [5] 1 Joan. I, 7.

» Filio suo. Qui crediderit in Filium Dei, habet testimo-
» nium in semetipso. Qui non crediderit Deo, mendacem
» facit eum; quia non credidit in testimonium quod testi-
» ficatus est de Filio suo. Et hoc est testimonium, quia
» vitam æternam dedit nobis Deus; et hæc vita in Filio
» ejus est. Qui habet Filium, habet vitam : qui non ha-
» bet Filium, non habet vitam[1]. » Non solum igitur regnum cœlorum, sed nec vitam parvuli habebunt, si Filium non habebunt, quem nisi per baptismum ejus habere non possunt. Item alio loco : « In hoc, inquit, manifes-
» tatus est Filius Dei, ut solvat opera diaboli[2]. » Non ergo pertinebunt parvuli ad gratiam manifestationis Filii Dei, si non in eis solvet opera diaboli.

XLIII. Jam nunc attende in hanc rem Pauli apostoli testimonia, tanto utique plura, quanto plures Epistolas scripsit, et quanto diligentius curavit commendare gratiam Dei adversus eos qui operibus gloriabantur, atque ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non erant subjecti[3]. In Epistola ad Romanos : » Justitia, inquit, Dei in omnes qui credunt. Non
» enim est distinctio : omnes enim peccaverunt, et egent
» gloria Dei; justificati gratis per gratiam ipsius, per re-
» demptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit
» Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, ad
» ostensionem justitiæ ejus propter propositum præce-
» dentium peccatorum in Dei patientia, ad ostendendam
» justitiam ipsius in hoc tempore, ut sit justus et justi-
» ficans eum qui ex fide est Jesu[4]. » Item alio loco : « Ei
» qui operatur, inquit, merces non imputatur secundum
» gratiam, sed secundum debitum[5]. Ei vero qui non ope-
» ratur, credit autem in eum qui justificat impium,

[1] 1 Joan. v, 9-13. — [2] Id. III, 8. — [3] Rom. X, 3. — [4] Id. III, 22-25. — [5] Id. IV, 4.

» deputatur fides ejus ad justitiam. Sicut et David dicit
» beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam
» sine operibus : Beati quorum remissæ sunt iniquitates,
» et quorum tecta sunt peccata[1]. Beatus vir cui non im-
» putavit Dominus peccatum. » Item paulo post : « Non
» est autem scriptum, inquit, propter illum tantum, quia
» deputatum est illi ; sed et propter nos, quibus deputa-
» bitur credentibus in eum qui excitavit Jesum Christum
» Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter
» delicta nostra, et resurrexit propter justificationem
» nostram[2]. » Et paulo post : « Si enim Christus, inquit,
» cum infirmi essemus adhuc juxta tempus, pro impiis
» mortuus est[3]. » Et alibi : « Scimus, inquit, quia lex
» spiritualis est, ego autem carnalis sum, venumdatus
» sub peccato. Quod enim operor ignoro : non enim
» quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Si autem
» quod nolo hoc facio, consentio legi, quoniam bona.
» Nunc autem non jam ego operor illud, sed id quod in
» me habitat peccatum. Scio enim quia non habitat in
» me, id est, in carne mea bonum : nam velle adjacet
» mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim
» quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc
» ago. Si autem quod nolo, ego hoc facio ; jam non ego
» operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inve-
» nio igitur legem mihi volenti facere bonum, quoniam
» mihi malum adjacet. Condelector enim legi Dei secun-
» dum interiorem hominem : video autem aliam legem in
» membris meis repugnantem legi mentis meæ, et capti-
» vantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.
» Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis
» hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nos-
» trum[4]. » Dicant qui possunt homines nasci non in cor-

[1] Psal. xxxi, 1. — [2] Rom. iv, 23. — [3] Id. v, 6. — [4] Id. vii, 14-19.

pore mortis hujus, ut possint etiam dicere, non eis necessariam gratiam Dei per Jesum Christum, qua liberentur de corpore mortis hujus. Item paulo post : « Quod enim » impossibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem, » Deus Filium suum misit in similitudine carnis peccati, » et de peccato damnavit peccatum in carne[1]. » Dicant qui audent, oportuisse nasci Christum in similitudine carnis peccati, nisi nos nati essemus in carne peccati.

XLIV. Item ad Corinthios : « Tradidi enim vobis in » primis, inquit, quod et accepi, quia Christus mortuus » est pro peccatis nostris secundum Scripturas[2]. » Item ad eosdem Corinthios in secunda : « Charitas enim Christi » compellit nos, judicantes hoc, quoniam si unus pro » omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro » omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non » sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resur- » rexit. Itaque nos a modo neminem novimus secundum » carnem : et si noveramus secundum carnem Christum, » sed nunc jam non novimus. Si qua igitur in Christo nova » creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. » Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per » Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis. » Quemadmodum? quia Deus erat in Christo mundum » reconcilians sibi, non reputans illis delicta eorum, et po- » nens in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo » legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos : » obsecramus pro Christo reconciliari Deo. Eum qui non » noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos » simus justitia Dei in ipso. Cooperantes autem et roga- » mus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis. Dicit enim, » Tempore acceptabili exaudivi te, et in die salutis ad- » juvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies

[1] Rom. VIII, 3. — [2] 1 Cor. XV, 3. — [3] 2 Cor. V, 14-30.

» salutis [1]. » Ad hanc reconciliationem et salutem si non pertinent parvuli, quis eos quærit ad baptismum Christi? Si autem pertinent, inter homines mortuos sunt, pro quibus ille mortuus est; nec ab eo reconciliari et salvari possunt, nisi dimissa non reputet delicta eorum.

XLV. Item ad Galatas : « Gratia vobis et pax a Deo » Patre, et Domino Jesu Christo, qui dedit semetipsum » pro peccatis nostris, ut eximeret nos de præsenti sæculo » maligno [2]. » Et alio loco : « Lex trangressionis gratia » proposita est, donec veniret semen cui promissum est, » dispositum per Angelos in manu mediatoris. Mediator » autem unius non est : » Deus vero unus est. Lex ergo « adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, » quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Sed » conclusit Scriptura omnia sub peccato ut promissio ex » fide JesuChris ti daretur credentibus [3]. »

XLVI. Ad Ephesios etiam : « Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum » principem potetastis aëris, spiritus ejus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus et nos omnes aliquando » conversati sumus in desideriis carnis nostræ facientes » voluntatem carnis, et affectionum, et eramus naturaliter » filii iræ sicut et cæteri. Deus autem qui dives est in misericordia, propter multam dilectionem qua dilexit nos, » et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos » Christo, cujus gratia sumus salvi facti [4]. » Et paulo post : « Gratia, inquit, salvi facti estis per fidem; et hoc » non ex vobis, sed Dei donum est : non ex operibus, ne » forte quis extollatur [5]. Ipsius enim sumus figmentum, » creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præpa-

[1] 2 Cor. VI, 1. — [2] Galat. I, 3. — [3] Id. III, 19. — [4] Ephes. II, 1-6. — [5] Ibid. 8.

» ravit Deus ut in illis ambulemus. » Et paulo post : Qui « eratis, inquit, illo tempore sine Christo, alienati asocie- » tate Israël, et peregrini testamentorum et promissionis, » spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo : nunc » autem in Christo Jesu, qui aliquando eratis longe, facti » estis prope in sanguine Christi. Ipse est enim pax nos- » tra, qui fecit utraque unum, et medium parietem mace- » riæ solvens inimicitias, in carne sua legem mandatorum » decretis evacuans, ut duos conderet in se in unum, no- » vum hominem, faciens pacem, et commutaret utrosque » in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias » in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui » eratis longe, et pacem his qui prope, quia per ipsum » habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem [1]. » Item alibi : « Sicut veritas est in Jesu, deponere vos secun- » dum priorem conversationem veterem hominem, eum » qui corrumpitur secundum concupiscentias decceptio- » nis. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et in- » duite novum hominem, eum qui secundum Deum crea- » tus est in justitia et sanctitate veritatis. » Et alibi : « Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati » estis in diem redemptionis [2]. »

XLVII. « Ad Colossenses etiam ita loquitur : « Gratias » agentes Patri idoneos facienti nos in partem sortis sanc- » torum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebra- » rum et transtulit in regnum Filii charitatis suæ, in quo » habemus redemptionem in remissione peccatorum [3]. » Et alio loco : « Et estis, inquit, in illo repleti, qui est caput » omnis principatus et potestatis : in quo etiam circum- » cisi estis circumcisione non manufacta, in expoliatione » corporis carnis, in cicumcisione Christi, consepulti ei » in baptismo, in quo et consurrexistis per fidem opera-

[1] Ephes. II, 12-19. — [2] Id. IV, 22-30. — [3] Coloss. I, 22.

» tionis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos, cum » essetis mortui delictis et præputio carnis vestræ, con- » vivificavit cum illo donans nobis omnia delicta, delens » quod adversus nos erat chirographum decreti quod erat » contrarium nobis, tollens illud de medio, et affigens il- » lud cruci, exuens se carnem, principatus et potestates » exemplavit fiducialiter triumphans eos in semetipso [1]. »

XLVIII. Et ad Timotheum : « Humanus, inquit, » sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Jesu » venit in mundum peccatores salvos facere, quorum pri- » mus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, » ut in me ostenderet primo Christus Jesus omnem lon- » ganimitatem, ad informationem eorum, qui crediturі » sunt illi in vitam æternam [2]. » Item dicit : « Unus enim » Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Chris- » tus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro » omnibus [3]. » In secunda etiam ad eumdem : « Noli ergo, » inquit, erubescere testimonium Domini nostri, neque » me vinctum ejus, sed collabora Evangelio secundum » virtutem Dei salvos nos facientis, et vocantis vocatione » sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum » suum propositum et gratiam, quæ data est nobis in » Christo Jesu ante sæcula æterna, manifestata autem » nunc per adventum Domini nostri Jesu Christi, eva- » cuantis quidem mortem, illuminantis autem vitam et » incorruptionem per Evangelium [4]. »

XLIX. Ad Titum etiam : « Expectantes, inquit, illam » beatam spem et manifestationem gloriæ magni Dei, et » salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro » nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mun- » daret nos sibi populum abundantem, æmulatorem bo-

[1] Coloss. II, 10-15. — [2] 1 Tim. I, 15. — [3] Id. II, 5. — [4] 2 Tim. I, 8-11.

» norum operum [1]. Et alio loco : « Cum autem benigni-
» tas et humanitas illuxit salvatoris Dei nostri, non ex
» operibus justitiæ quæ nos fecimus, sed secundum suam
» misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenera-
» tionis et renovationis Spiritus sancti, quem ditissime
» effudit super nos per Jesum Christum salvatorem nos-
» trum, ut justificati ipsius gratia hæredes efficiamur se-
» cundum spem vitæ æternæ [2]. »

L. Ad Hebræos quoque Epistola, quanquam non-nullis incerta sit (8), tamen quoniam legi quosdam huic nostræ de baptismo parvulorum sententiæ contraria sentientes, eam quibusdam opinionibus suis testem adhibere voluisse, magisque me movet auctoritas Ecclesiarum Orientalium, quæ hanc etiam in canonicis habent, quanta pro nobis testimonia contineat, advertendum est. In ipso ejus exordio legitur : « Multis partibus, et multis
» modis olim Deus locutus est patribus in Prophetis, pos-
» tremo in his diebus locutus est nobis in Filio, quem
» constituit hæredem universorum, per quem fecit et
» sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ et figura substan-
» tiæ ejus, gerens quoque omnia verbo virtutis suæ, pur-
» gatione peccatorum a se facta, sedet ad dexteram ma-
» jestatis in excelsis [3]. » Et post pauca : « Si enim qui per
» Angelos dictus est sermo [4], factus est firmus, et omnis
» prævaricatio et inobedientia justam accepit mercedis
» retributionem ; quomodo nos effugiemus, si tantam
» neglexerimus salutem? » Et alio loco : « Propterea ergo
» quia pueri communicaverunt sanguini et carni, et ipse
» propemodum eorum participavit [5], ut per mortem eva-
» cuaret eum, qui potestatem habebat mortis, id est,
» diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam

[1] Tit. III, 13. — [2] Id. III, 4. — [3] Hebr. I, 1-4. — [4] Id. II, 2. — [5] Ibid. 14.

» vitam rei erant servitutis. » Et paulo post : « Unde de-
» buit, inquit, secundum omnia fratribus similis esse[1],
» ut misericors fieret, et fidelis princeps sacerdotum eo-
» rum, quæ sunt ad Deum propitiandum pro delictis
» populi. » Et alibi : « Teneamus, inquit, confessionem :
» non enim habemus sacerdotem[2], qui non possit com-
» pati infirmitatibus nostris; etenim expertus est omnia
» secundum similitudinem sine peccato. » Et alio loco :
« Intransgressibile, inquit, habet sacerdotium : unde et
» salvos perficere potest eos[3], qui adveniunt per ipsum
» ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro ipsis.
» Talem enim decebat habere nos principem sacerdotum,
» justum, sine malitia, incontaminatum, separatum a
» peccatoribus, altiorem a cœlis factum, non habentem
» quotidianam necessitatem, sicut principes sacerdotum,
» primum pro suis peccatis sacrificium offerre, dehinc
» pro populi : hoc enim semel fecit offerens se. » Et alio
loco : « Non enim in manu fabricata sancta introivit
» Christus[4], quæ sunt similia verorum, sed in ipsum
» cœlum, apparere ante faciem Dei pro nobis; non ut
» sæpius offerat semetipsum, sicut princeps sacerdotum
» intrat in sancta, in anno semel cum sanguine alieno.
» Cæterum oportebat eum sæpius pati a constitutione
» mundi : nunc autem semel in extremitate sæculorum ad
» remissionem peccatorum per sacrificium suum mani-
» festatus est. Et sicut constitutum est hominibus semel
» tantum mori, et post hoc judicium : sic et Christus
» semel oblatus est, ut multorum peccata portaret; se-
» cundo sine peccatis apparebit eis, qui eum sustinent ad
» salutem. »

LI. Apocalypsis etiam Joannis has laudes Christo per canticum novum testatur offerri : « Dignus est accipere

[1] Hebr. II, 17. — [2] Id. IV, 15. — [3] Id. VII, 25. — [4] Id. IX, 24.

» librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, » et redemisti nos Deo in sanguine tuo, de omni gente, » et lingua, et populo, et natione[1]. »

LII. Item in Actibus Apostolorum, Inceptorem vitæ Petrus apostolus dixit esse Dominum Jesum, increpans Judæos quod occidissent eum, ita loquens : « Vos autem » Sanctum et Justum inhonorastis, et negastis, et postu- » lastis hominem homicidam vivere et donari vobis : nam » Inceptorem vitæ occidistis[2]. » Et alio loco : « Hic est » lapis reprobatus a vobis ædificantibus, qui factus est » in caput anguli. Non est enim aliud nomen sub cœlo » datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri nos[3]. » Et alibi : « Deus patrum suscitavit Jesum, quem vos in- » terfecistis suspendentes in ligno. Hunc Deus Princi- » pem et Salvatorem exaltavit gloria sua, dare pœni- » tentiam Israël et remissionem peccatorum in illo[4]. » Item alio loco : « Huic omnes Prophetæ testimonium » perhibent, remissionem peccatorum accipere per ma- » num illius omnem credentem in eum[5]. » Item in eo- dem libro apostolus Paulus : « Notum ergo sit vobis, » inquit, viri fratres, quoniam per hunc vobis remissio » peccatorum annuntiatur ab omnibus, quibus non po- » tuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis credens » justificatur[2]. »

LIII. Hoc tanto aggere testimoniorum, cujus adversus veritatem Dei elatio non prematur? et multa quidem alia reperiri possunt, sed et finiendi hujus operis cura non negligenter habenda est. De libris quoque Veteris Testamenti multas contestationes divinorum eloquiorum adhibere in hanc sententiam supervacaneum putavi, quandoquidem in illis quod occultatur sub velamento velut

[1] Apoc. v, 9. — [2] Act. III, 14. — [3] Id. IV, 11. — [4] Id. V, 30. — [5] Id. X, 43. — [6] Id. XIII, 38.

terrenarum promissionum, hoc in Novi Testamenti prædicatione revelatur. Et ipse Dominus librorum veterum utilitatem breviter demonstravit et definivit dicens : « Oportuisse impleri quæ de illo scripta essent in Lege et » Prophetis et Psalmis [1], et hæc ipsa esse, quod oporte- » bat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et » prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem » peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jeru- » salem. » Et Petrus dicit : « Quod paulo ante comme- » moravi, huic omnes Prophetas testimonium perhibere, » remissionem peccatorum accipere per manum ejus om- » nem credentem in eum [2]. »

LIV. Verumtamen commodius est etiam ex ipso Vetere Testamento testimonia pauca depromere, quæ vel ad supplementum, vel potius ad cumulum valere debebunt. Ipse Dominus per Prophetam in Psalmo loquens ait : « Sanctis qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes volun- » tates meas in illis [3]. » Non merita illorum, sed, « Volun- » tates meas. » Nam illorum quid, nisi quod sequitur? « Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : » supra quod infirmi erant. Ad hoc et lex subintravit, ut abundaret delictum [4]. Sed quid adjungit? « Postea acceleraverunt : » multiplicatis infirmitatibus, hoc est, abundante delicto, alacrius medicum quæsierunt, ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia. Denique, « Non congregabo, » inquit, conventicula eorum de sanguinibus : » quoniam multis sacrificiorum sanguinibus, cum primum in tabernaculum vel in templum congregarentur, convincebantur potius peccatores, quam mundabantur. Non ergo jam, inquit, de sanguinibus congregabo conventicula eorum. Unus enim sanguis pro multis datus est, quo veraciter mundarentur. Denique sequitur : « Nec memor

[1] Luc. XXIV, 44. — [2] Act. X, 43. — [3] Psal. XV, 3. — [4] Rom. V, 20.

» ero nominum illorum per labia mea : » tanquam innovatorum. Nam nomina eorum erant prius, filii carnis, filii sæculi, filii iræ, filii diaboli, immundi, peccatores, impii : postea vero, filii Dei, homini novo nomen novum, canticum novum cantanti, novum per Testamentum Novum. Non sint ingrati homines gratiæ Dei, pusilli cum magnis, a minore usque ad majorem. Totius Ecclesiæ vox est : « Erravi sicut ovis perdita[1]. » Omnium membrorum Christi vox est : « Omnes ut oves erravimus, et ipse tra» ditus est pro peccatis nostris[2]. » Qui totus prophetiæ locus apud Isaïam est, quo per Philippum sibi exposito, spado ille Candacis reginæ in eum credidit[3]. Vide quoties hoc ipsum commendet, et tanquam superbis nescio quibus, vel contentiosis identidem inculcet : « Homo, » inquit, in plaga, et qui sciat ferre infirmitates, propter » quod et avertit se facies ejus, injuriata est, nec magni » æstimata est. Hic infirmitates nostras portat, et pro » nobis in doloribus est, et nos existimavimus illum in » doloribus esse, et in plaga, et in pœna : ipse autem » vulneratus est propter peccata nostra, infirmatus est » propter iniquitates nostras. Eruditio pacis nostræ super » eum, in livore ejus sanati sumus. Omnes ut oves erra» vimus, et Dominus tradidit illum pro peccatis nostris. » Et ipse quoniam male tractatus est, non aperuit os; ut » ovis ad immolandum ductus est, et ut agnus ante eum » qui se tonderet fuit sine voce, sic non aperuit os suum. » In humilitate sublatum est judicium ejus : generationem » ejus quis enarrabit? Quoniam tolletur de terra vita ejus, » ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. » Dabo ergo malos propter sepulturam ejus, et divites » propter mortem ejus, ob hoc quod iniquitatem non fe» cerit, nec dolum ore suo, Dominus vult purgare illum

[1] Psal. CXVIII, 176. — [2] Isaï. LIII, 6. — [3] Act. VIII, 27.

» de plaga. Si dederitis vos ob delicta vestra animam » vestram, videbitis semen longæ vitæ. Et vult Dominus » auferre a doloribus animam ejus, ostendere illi lucem, » et figurare per sensum, justificare justum bene ser- » vientem pluribus, et peccata illorum ipse sustinebit. » Propterea ipse hæreditabit complures, et fortium par- » tietur spolia, propter quod tradita est anima ejus ad » mortem, et inter iniquos æstimatus est, et ipse pec- » cata multorum sustinuit, et propter iniquitates eorum » traditus est[1]. » Attende etiam illud ejusdem Prophetæ, quod de se completum, lectoris etiam functus officio in synagoga ipse recitavit : « Spiritus Domini super me, » propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit » me, ut refrigerem qui in pressura cordis sunt, prædi- » care captivis remissionem, et cæcis visum[2]. » Omnes ergo agnoscamus, nec ullus exceptus sit eorum, qui volumus corpori ejus hærere, per eum in ovile ejus intrare, ad vitam et salutem quam suis promisit perpetuam pervenire : Omnes, inquam, agnoscamus eum qui peccatum non fecit, et peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut a peccatis separati cum justitia vivamus[3]; cujus cicatricibus sanati sumus, infirmi cum essemus, tanquam pecora errantia.

LV. Quæ cum ita sint, neminem unquam eorum, qui ad Christum accesserunt per baptismum, sana fides et sana doctrina putavit exceptum a gratia remissionis peccatorum, nec esse posse alicui præter regnum ejus, æternam salutem. Hæc enim parata est revelari in tempore novissimo, hoc est, in resurrectione mortuorum[4], pertinentium non ad mortem æternam, quæ secunda mors appellatur, sed ad vitam æternam, quam promit-

[1] Isaï. LIII, 3-20. — [2] Luc. IV, 17, et Isaï. LXI, 1. — [3] 1 Petr. II, 22 et 24. — [4] 1 Petr. I, 5.

tit non mendax Deus sanctis et fidelibus suis ; cujus vitæ participes omnes non vivificabuntur nisi in Christo, sicut in Adam omnes moriuntur. Quemadmodum enim omnes omnino pertinentes ad generationem voluntatis carnis non moriuntur [1], nisi in Adam in quo omnes peccaverunt : sic ex his omnes omnino pertinentes ad regenerationem voluntatis spiritus, non vivificantur nisi in Christo, in quo omnes justificantur. Quia sicut per unum omnes ad condemnationem, sic per unum omnes ad justificationem [2]. Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est eum Christo. Hinc et ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, ubi ait : « Qui mecum non est adversum me est [3]. » Constitue igitur quemlibet parvulum : si jam cum Christo est, ut quid baptizatur? Si autem, quod habet veritas, ideo baptizatur ut sit cum Christo, profecto non baptizatus non est cum Christo : et quia non est cum Christo, adversus Christum est; neque enim ejus tam manifestam debemus aut possumus infirmare vel immutare sententiam. Unde igitur adversus Christum, si non ex peccato; neque enim ex corpore et anima, quæ utraque Dei creatura est. Porro si ex peccato, quod in illa ætate nisi originale et antiquum? Una est quippe caro peccati, in qua omnes ad damnationem nascuntur ; et una est caro in similitudine carnis peccati, per quam omnes a damnatione liberantur. Nec ita dictum est omnes, velut quicunque nascuntur in carne peccati, iidem ipsi omnes

[1] 2 Cor. xv, 22. — [2] Rom. v, 18. — [3] Matth. xii, 30.

mundari intelligantur per carnem similem carnis peccati : « Non enim omnium est fides [1] : » sed omnes pertinentes ad generationem connubii carnalis, non nascuntur nisi in carne peccati; et omnes pertinentes ad generationem connubii spiritalis, non mundantur nisi per carnem similem carnis peccati : hoc est, illi per Adam ad condemnationem, isti per Christum ad justificationem. Tanquam si dicamus, verbi gratia, una est obstetrix in hac civitate, quæ omnes excipit, et unus est hic litterarum magister qui omnes docet : neque ibi intelligi possunt omnes, nisi qui nascuntur; neque hic omnes, nisi qui discunt : non tamen omnes qui nascuntur, litteras discunt. Sed cuivis claret, quod et illic recte dictum est, omnes excipit, propter cujus manus nemo nascitur; et hic recte dictum est, omnes docet, præter cujus magisterium nemo discit.

LVI. Consideratis autem omnibus divinis testimoniis, quæ commemoravi, sive singillatim de unoquoque disputans, sive acervatim multa congestans, vel quæcumque similia non commemoravi, nihil invenitur nisi quod universa Ecclesia tenet, quæ adversus omnes profanas novitates vigilare debet, omnem hominem separari a Deo, nisi qui per mediatorem Christum reconciliatur Deo, nec separari quemquam nisi peccatis intercludentibus posse. Non ergo reconciliari nisi peccatorum remissione, per unam gratiam misericordissimi Salvatoris, per unam victimam verissimi sacerdotis : ac sic omnes filios mulieris, quæ serpenti credidit [2], ut libidine corrumperetur, non liberari a corpore mortis hujus, nisi per filium virginis, quæ Angelo credidit, ut sine libidine fœtaretur [3].

LVII. Bonum ergo conjugii non est fervor concupiscentiæ, sed quidam licitus et honestus illo fervore utendi

[1] 2 Thess. III, 2. — [2] Gen. III, 6. — [3] Luc. I, 38.

modus, propagandæ proli, non explendæ libidini accommodatus. (Voluntas ista, non voluptas illa, nuptialis est.) Quod igitur in membris corporis mortis hujus inobedienter movetur, totumque animum in se dejectum conatur attrahere, et neque cum mens voluerit exurgit; neque cum mens voluerit, conquiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo. Cum autem ab illicitis corruptionibus refrenatur, et ad sola generis humani supplementa ordinate propaganda permittitur, hoc est bonum conjugii, per quod ordinata societate nascitur homo. Sed nemo renascitur in Christi corpore, nisi prius nascatur in peccati corpore. Sicut autem bono uti male, malum est : sic malo bene uti, bonum est. Duo igitur hæc, bonum et malum, et alia duo, usus bonus et usus malus, sibimet adjuncta quatuor differentias faciunt. Bene utitur bono, continentiam dedicans Deo; male utitur bono, continentiam dedicans idolo. Male utitur malo, concupiscentiam relaxans adulterio; bene utitur malo, concupiscentiam restringens connubio. Sicut ergo melius est bene uti bono, quam bene uti malo, cum sit utrumque bonum : ita « Qui dat » virginem suam nuptum, bene facit; et qui non dat » nuptum, melius fecit[1]. » De qua quæstione multo uberius et multo sufficientius in duobus libris, uno « De » bono conjugali, altero de sancta Virginitate, » quantum Dominus dedit, pro mearum virium exiguitate diserui. Non itaque per nuptiarum bonum defendant concupiscentiæ malum, qui carnem et sanguinem prævaricatoris adversus carnem et sanguinem Redemptoris extollunt : non erigantur in superbiam erroris alieni, de quorum parvula ætate nobis dedit Dominus humilitatis exemplum. Solus sine peccato natus est, quem sine virili

[1] I Cor. VII, 38.

complexu, non concupiscentia carnis, sed obedientia mentis virgo concepit. Sola nostro vulneri medicinam parere potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emisit.

LVIII. Jam nunc scrutemur diligentius, quantum adjuvat Dominus, etiam ipsum Evangelii capitulum ubi ait : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non in» trabit in regnum Dei[1]. » Qua isti sententia nisi moverentur, omnino parvulos nec baptizandos esse censerent. « Sed quia non ait, inquiunt, Nisi quid renatus fuerit ex » aqua et Spiritu, non habebit salutem vel vitam æter» nam ; tantummodo autem dixit, non intrabit in regnum » Dei : ad hoc parvuli baptizandi sunt, ut sint etiam cum » Christo in regno Dei, ubi non erunt si baptizati non » fuerint : quamvis et sine baptismo si parvuli morian» tur, salutem vitamque æternam habituri sint, quoniam » nullo peccati vinculo obstricti sunt. » Hæc dicentes, primo nunquam explicant isti, qua justitia nullum peccatum habens imago Dei separetur a regno Dei. Deinde videamus utrum Dominus Jesus, unus et solus magister bonus, in hac ipsa Evangelica lectione non significaverit et ostenderit non nisi per remissionem peccatorum fieri, ut ad regnum Dei perveniant baptizati : quamvis recte intelligentibus sufficere debuerit, quod dictum est : « Nisi quis » natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei : et, » Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest » introire in regnum Dei. » Cur enim nascatur denuo, nisi renovandus ? Unde renovandus, nisi a vetustate ? Qua vetustate, nisi in qua vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut evacuetur corpus peccati[3] ? Aut unde imago Dei non intrat in regnum Dei, nisi impedimento prohibente peccati ? Verumtamen ut proposuimus, to-

[1] Joan. III, 5. — [2] Ibid. I. — [3] Rom. VI, 6.

tam ipsam circumstantiam Evangelicæ lectionis ad rem de qua agitur pertinentem, intente quantum possumus diligenterque videamus.

LIX. « Erat autem homo, inquit, ex Pharisæis Nicode-» mus nomine, princeps Judæorum : hic venit ad Jesum » nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti » magister; nemo enim potest hæc signa facere quæ tu » facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus, et dixit » ei : Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, » non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicode-» mus : Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? » Numquid potest in uterum matris suæ iterum introire » et nasci? Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi » quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest in-» troire in regnum Dei. Quod natum est de carne, caro » est, et quod natum est de Spiritu, spiritus est. Non » mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo : Spiritus » ubi vult spirat, et ejus vocem audis; sed non scis unde » veniat, aut quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex » Spiritu. Respondit Nicodemus, et dixit ei : Quomodo » possunt hæc fieri? Respondit Jesus, et dixit ei : Tu » es magister in Israël, et hæc ignoras? Amen, amen » dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidi-» mus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. » Si terrena dixi vobis, et non credidistis; quomodo si » dixero vobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in » cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui » in cœlo est. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in de-» serto[2], ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis qui » credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. » Sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unige-» nitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat,

1. — [2] Num. XXI, 9.

» sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium » suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur » mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur: » qui autem non credit, jam judicatus est, quia non cre- » dit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judi- » cium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines » magis tenebras, quam lucem. Erant enim eorum mala » opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non » venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui au- » tem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur » ejus opera, quia in Deo sunt facta[1]. » Huc usque est ad rem, de qua quærimus, pertinens totus sermo ille con- textus: deineps in aliud narrator abscedit.

LX. Cum ergo Nicodemus ea quæ dicebantur non in- telligeret, quæsivit a Domino quomodo possent ista fieri. Videamus quid Dominus ad hoc respondeat. Profecto enim si ad interrogata respondere dignabitur, quomodo possunt ista fieri: hoc dicturus est, quomodo possit fieri regeneratio spiritalis venientis hominis ex generatione car- nali. Notata itaque paululum ejus imperitia, qui se cæ- teris de magisterio præferebat, et omnium talium incre- dulitate reprehensa; quod testimonium non acciperent veritatis; addidit etiam se illis terrena dixisse, nec eos cre- didisse, quærens vel admirans quomodo essent cœlestia crediturі. Sequitur tamen et respondet, quod alii credent, si illi non credunt, ad illud quod interrogatus est, quo- modo possint ista fieri: « Nemo, inquit, ascendit in cœ- » lum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in » cœlo [1]. » Sic, inquit, fiet generatio spiritalis, ut sint cœ- lestes homines ex terrenis; quod adipisci non poterunt, nisi membra mea efficiantur, ut ipse ascendat qui des- cendit; quia nemo ascendit, nisi qui descendit. Nisi ergo

[1] Joan. III, 13.

in unitatem Christi omnes mutandi levandique concurrant, ut Christus qui descendit ipse ascendat, non aliud deputans corpus suum, id est, Ecclesiam suam, quam se ipsum; quia de Christo et Ecclesia verius intelligitur : « Erunt duo in carne una [1]; » de qua re ipse dixit : « Itaque jam non duo, sed una caro [2] : » ascendere omnino non poterunt. « Quia nemo ascendit in cœlum, nisi qui » de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo. » Quamvis enim in terra factus sit filius hominis, divinitatem tamen suam qua in cœlo manens descendit ad terram, non indignam censuit nomine Filii hominis sicut carnem suam dignatus est nomine filii Dei, ne quasi [3] duo Christi ista accipiantur, unus Deus, et alter homo : sed unus atque idem Deus et homo; Deus, quia « In principio erat » Verbum [4], et Verbum erat apud Deum, et Deus erat » Verbum; » homo, quia « Verbum caro factum est, et » habitavit in nobis [5]. Ac per hoc per distantiam divinitatis et infirmitatis filius Dei manebat in cœlo, filius hominis ambulabat in terra : per unitatem vero personæ, qua utraque substantia unus Christus est et filius Dei ambulabat in terra, et idem ipse filius hominis manebat in cœlo. Fit ergo credibiliorum fides ex incredibilioribus creditis. Si enim divina substantia longe distantior atque incomparabili diversitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una persona fieret, ac sic Filius hominis qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipse esset in cœlo per participatam carni divinitatem : quanto credibilius alii homines sancti et fideles ejus fiunt cum homine Christo unus Christus, ut omnibus per ejus hanc gratiam societatemque ascendentibus, ipse unus Christus ascendat in cœlum, qui de cœlo

[1] Gen. II, 24. — [2] Marc. X, 8. — [3] Error qui postea in Nestorio damnatus est. — [4] Joan. I. — [5] Ibid. 14.

descendit? Sic et Apostolus ait : « Sicut in uno corpore » multa membra habemus, omnia autem membra corporis » cum sint multa, unum est corpus, ita et Christus [1]. » Non dixit, ita et Christi, id est, corpus Christi, vel membra Christi : sed, « Ita et Christus ; » unum Christum appellans caput et corpus.

LXI. Magna hæc miraque dignatio, quæ quoniam fieri non potest nisi per remissionem peccatorum, sequitur, et dicit : « Et sicut Moyses exaltavit serpentem in » deserto, ita exaltari oportet Filium hominis ; utomnis » qui crediderit in eum non pereat, sed habeat vitam » æternam [2]. » Quid tunc in deserto factum sit, novimus : serpentum morsibus multi moriebantur; tunc populus peccata sua confitens per Moysen deprecatus est Dominum, ut hoc ab eis virus auferret : ac sic Moyses ex præcepto Domini exaltavit in deserto æneum serpentem ; admonuitque populum, ut illum exaltatum quisquis a serpente morderetur attenderet : hoc facientes continuo sanabantur. Quid est exaltatus serpens, nisi mors Christi, eo significandi modo, quo per efficientem id quod efficitur significatur? A serpente quippe mors venit, qui peccatum, quo mori mererctur, homini persuasit [3]. Dominus autem in carnem suam non peccatum transtulit tanquam venenum serpentis : sed tamen transtulit mortem ; ut esset in similitudine carnis peccati pœna sine culpa, unde in carne peccati et culpa solveretur et pœna. Sicut ergo tunc, qui conspiciebat exaltatum serpentem, et a veneno sanabatur, et a morte liberabatur : sic nunc, qui conformatur similitudini mortis Christi per fidem baptismumque ejus, et a peccato per justificationem, et a morte per resurrectionem liberatur. Hoc est enim quod ait : « Ut omnis qui » credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam [4]. »

[1] 1 Cor. XII, 12. — [2] Joan. III, 14. — [3] Gen. III, 1. — [4] Joan. III, 16.

Quid igitur opus est ut Christi morti per baptismum conformetur parvulus, si morsu serpentis non est omnino venenatus?

LXII. Deinde sic consequenter dicit : « Deus sic dilexit » mundum, ut Filium suum unigenitum daret ; ut omnis » qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æter» nam [1]. » Periturus erat ergo parvulus nec habiturus vitam æternam, si per sacramentum baptismi non crederet in unigenitum Dei Filium, dum interim sic venit ut non judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum : præsertim quia sequitur et dicit : « Qui credit in eum, » non judicatur : qui autem non credit, jam judicatus est ; » quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei [2]. » Ubi ergo parvulos ponimus baptizatos, nisi inter fideles, sicut universæ ubique Ecclesiæ clamat auctoritas? Ergo inter eos qui crediderunt ; hoc enim eis acquiritur per virtutem sacramenti et offerentium responsionem : ac per hoc eos qui baptizati non sunt, inter eos qui non crediderunt. Porro si illi qui baptizati sunt, non judicantur, isti quia carent baptismo judicantur. Quod vero adjungit : « Hoc » est autem judicium, quia lux venit in mundum, et di» lexerunt homines tenebras magis quam lucem [3]. » Unde, « Lux venit in mundum, » nisi de suo dicit adventu, sine cujus adventus sacramento quomodo parvuli esse dicuntur in luce? Aut quomodo non et hoc in dilectione tenebrarum habent, qui quemadmodum ipsi non credunt, sic nec baptizandos suos parvulos arbitrantur, quando eis mortem corporis timent? « In Deo autem dicit facta » opera ejus, qui venit ad lucem[4] ; » quia intelligit justificationem suam non ad sua merita, sed ad Dei gratiam pertinere. « Deus est enim, inquit Apostolus, qui operatur

[1] Joan. III, 16. — [2] Ibid. 18. — [3] Ibid. 19. — [4] Ibid. 21.

» in vobis et velle et operari pro bona voluntate [1]. » Hoc modo ergo fit omnium ex carnali generatione ad Christum venientium regeneratio spiritalis. Ipse hoc aperuit, ipse monstravit, cum ab eo quæreretur, quomodo possent ista fieri; nemini humanam argumentationem in hac causa liberam fecit : non alienentur parvuli a gratia remissionis peccatorum. Non aliter transitur ad Christum; nemo aliter potest Deo reconciliari et ad Deum venire, nisi per Christum.

LXIII. Quid de ipsa forma sacramenti loquar? Vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat eum renuntiare diabolo, cujus in eo nihil esset? Quomodo converti ad Deum, a quo non esset aversus? Credere inter cætera remissionem peccatorum, quæ illi nulla tribueretur? Ego quidem si contra hæc eum sentire existimarem, nec ad sacramenta cum parvulo intrare permitterem : ipse autem in hoc qua fronte ad homines, qua mente ad Deum se ferret ignoro; nec volo aliquid gravius dicere. Falsam igitur vel fallacem tradi parvulis baptismatis formam in qua sonaret atque agi videretur, et tamen nulla fieret remissio peccatorum, viderunt aliqui eorum nihil execrabilius ac detestabilius dici posse atque sentiri. Proinde quod attinet ad baptismum parvulorum, ut eis sit necessarius, redemptione ipsis etiam opus esse concedunt, sicut cujusdam eorum libello brevissimo continetur : qui tamen ibi remissionem alicujus peccati apertius exprimere noluit. Sicut autem mihi ipse litteris intimasti, fatentur jam, ut dicis, etiam

[1] Philip. II, 23.

in parvulis per baptismum remissionem fieri peccatorum. Nec mirum : non enim redemptio alio modo posset intelligi. « Non tamen originaliter, inquiunt, sed in vita » jam propria, posteaquam nati sunt peccatum habere » cœperunt. »

LXIV. Quamobrem vides quantum jam distet inter eos, contra quos in hoc opere diu jam multumque disserui, quorum etiam unius legi librum ea continentem, quæ ut potui refutavi. Inter istos ergo, ut dicere cœperam, qui omnino parvulos ab omni peccato et originali et proprio puros et liberos esse defendunt, et istos qui eos jam natos propria putant contraxisse peccata, a quibus eos credunt per baptismum oportere purgari, quantum intersit vides. Proinde isti posteriores intuendo Scripturas, et auctoritatem totius Ecclesiæ, et formam ipsius sacramenti, bene viderunt per baptismum in parvulis peccatorum fieri remissionem : sed originale esse, quidquid illud in eis est, vel nolunt dicere, vel non possunt. Illi autem priores in ipsa natura humana, quæ ab omnibus ut consideretur in promptu est, bene viderunt, quod facile fuit, ætatem illam in sua jam vita propria nihil peccati potuisse contrahere : sed ne peccatum originale fateantur, nullum esse omnino peccatum in parvulis dicunt. In his ergo quæ singula vera dicunt, prius inter se ipsi consentiunt, et consequenter fiet ut a nobis nulla ex parte dissentiant. Nam si parvulis baptizatis remissionem fieri peccatorum concedant illi istis ; parvulos autem, ut ipsa natura in tacitis infantibus clamat, suæ vitæ propriæ nullum adhuc contraxisse peccatum concedant isti illis ; concedent utique nobis, nullum nisi originale restare, quod per baptismum solvatur in parvulis.

LXV. An vero et hoc quæritur, et de hoc disputaturi et tempus ad hoc impensuri sumus, ut probemus atque

doceamus, quomodo per propriam voluntatem, sine qua nullum vitæ propriæ potest esse peccatum, nihil mali commiserint infantes, qui propter hoc vocantur ab omnibus innocentes? Nonne tanta infirmitas animi et corporis, tanta rerum ignorantia, tam nulla omnino præcepti capacitas, nullus vel naturalis vel conscriptæ legis sensus aut motus, nullus in alterutram partem rationis usus, hoc multo testatiore silentio quam sermo noster proclamat atque indicat? Valeat aliquid ad se ipsam persuadendam ipsa evidentia: nam nusquam sic non invenio quod dicam, quam ubi res de qua dicitur, manifestior est quam omne quod dicitur.

LXVI. Vellem tamen, quisquis hoc sapit, diceret, quod peccatum viderit vel putarit infantis recentis ab utero, cui redimendo fatetur jam baptismum necessarium, quid mali in hac propria sua vita per animum proprium corpusve commiserit. Si forte quod plorat tædioque est majoribus: mirum si hoc iniquitati, non infelicitati potius deputandum est. An quod ab ipso fletu nulla sua ratione, nulla cujusquam prohibitione compescitur? At hoc ignorantiæ est, in qua profundissima jacet, qua etiam matrem, cum post exiguum tempus valuerit, percutit iratus, et sæpe ipsas ejus mammas, quas dum esurit, exsugit, hæc non modo feruntur, verumetiam diliguntur in parvulis, et hoc quo affectu, nisi carnali, quo etiam risus jocusque delectat, acutorum quoque hominum ipsa quasi absurditate conditus: qui si eo modo sentiretur, ut dicitur non jam illi tanquam facti, sed tanquam fatui riderentur? Ipsos quoque fatuos videmus, quos vulgo moriones vocant, ad cordatorum delicias adhiberi, et in mancipiorum æstimatione pretiosiores esse cordatis. Tantum valet carnalis affectus etiam minime fatuorum in delectatione alieni mali. Nam cum homini

jucunda sit aliena fatuitas, nec ipse tamen talis esse voluisset; etsi suum parvulum filium, a quo garriente talia pater lætus expectat et provocat, talem præsciret futurum esse cum creverit, nullo modo dubitaret miserabilius lugendum esse quam mortuum. Sed dum spes subest incrementorum, et ingenii lumen accessurum creditur ætatis accessu, fit ut convicia parvulorum etiam in parentes, non solum injuriosa non sint, verumetiam grata atque jucunda sint. Quod quidem prudentium nemo probaverit, ut a dictis vel factis hujusmodi non tantum non prohibeantur, cum prohiberi jam possunt, verum in hæc etiam concitentur studio ridendi et vanitate majorum. Nam plerumque illa ætas jam patrem matremque agnoscens, neutri eorum audet maledicere, nisi ab altero eorum, aut ab utroque vel permissa vel jussa; verum hæc eorum sunt parvulorum, qui jam in verba prorumpunt, et animi sui motus qualibuscumque linguæ promptare jam possunt. Illam potius recentium natorum profundissimam ignorantiam videamus, ex qua ad istam non permansuram balbutientem fatuitatem, tanquam ad scientiam locutionemque tendentes, proficiendo venerunt.

LXVII. Illas, inquam, consideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus et Deum prorsus ignorant, cujus sacramentis etiam cum baptizantur obsistunt : in has quæro unde et quando submersi sint. Ita-ne vero eas hic contraxerunt, et in hac vita sua jam propria per nimiam negligentiam obliti sunt Deum, prudentes vero et religiosi vixerunt vel in uteris matrum? Dicant ista qui ausi fuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint : ego autem puto, quod omnes quorum mentes non obnubilat defendendæ suæ sententiæ pervicacia, hæc sentire non possunt. An nullum est ignorantiæ malum, et ideo nec purgandum? Et quid agit illa vox : « Delicta

» juventutis et ignorantiæ meæ ne memineris[1] ? » et si enim damnabiliora peccata sunt, quæ ab scientibus committuntur : tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, hoc non legeremus quod commemoravi : « Delicta juventutis » et ignorantiæ meæ ne memineris. » In illas igitur ignorantiæ densissimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero, utique anima hominis, utique anima rationalis, non solum indocta, verumetiam indocilis jacet, quare, aut quando, aut unde contrusa est ? Si natura est hominis sic incipere, et non jam vitiosa est ista natura ; cur non talis creatus est Adam ? Cur ille capax præcepti, et valens uxori et omnibus animalibus nomina imponere ? Nam et de illa dixit : « Hæc vocabitur mulier : » et, « Quodcumque vocavit Adam animam vivam, hoc est » nomen ejus[2]. » Iste autem nesciens ubi sit, quid sit, a quo creatus, a quibus genitus sit, jam reus delicti, nondum capax præcepti, tam profunda ignorantiæ, caligine involutus et pressus, ut neque tanquam de somno excitari possit, ut hæc saltem demonstrata cognoscat ; sed expectetur tempus, quo hanc nescio quam velut ebrietatem, non per unam noctem, sicut quælibet gravissima solet, sed per aliquot menses atque annos paulatim digerat : quod donec fiat, tam multa quæ in majoribus punimus, toleramus in parvulis, ut numerari omnino non possint : hoc tam magnum ignorantiæ atque infirmitatis malum, si in hac vita jam nati parvuli contraxerunt, ubi, quando, quomodo magna aliqua impietate commissa repente tantis tenebris involuti sunt ?

LXVIII. Dicet aliquis : Si hæc natura pura non est, sed vitiosæ primordia, quia talis non est creatus Adam ; cur Christus longe excellentior, et certe sine ullo peccato natus ex virgine, in hac tamen infirmitate atque æ-

[1] Psal. XXIV, 7. — [2] Gen. II, 23, et 19.

tate procreatus apparuit? Huic propositioni respondemus : Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis præcedente peccato, non est creatus in carne peccati. Nos ideo tales, quia illius præcedente peccato, nati summus in carne peccati. Christus ideo talis, quia ut de peccato condemnaret peccatum, natus est in similitudine carnis peccati. Non enim hic agitur de Adam, quod pertinet ad corporis quantitatem, quia non parvulus factus est, sed perfecta mole membrorum : potest enim dici, etiam pecora sic creata, nec tamen eorum peccato factum esse, ut ex eis pulli parvuli nascerentur ; quod quale sit nunc non quærimus : sed agitur de illius mentis quadam valentia usuque rationis, quo præceptum Dei legemque mandati et docilis Adam caperet, et facile posset custodire, si vellet. Nunc autem homo sic nascitur, ut omnino non possit, propter horrendam ignorantiam atque infirmitatem, non carnis, sed mentis ; cum omnes fateamur in parvulo non alterius, sed ejusdem substantiæ cujus in primo homine fuit, hoc est, rationalem animam degere. Quanquam etiam ipsa tanta carnis infirmitas, nescio quid, quantum arbitror, pœnale demonstrat. Movet enim, si primi illi homines non peccassent, utrum tales essent filios habituri, qui nec lingua, nec manibus, nec pedibus uterentur. Nam propter uteri capacitatem fortasse necesse fuerit parvulos nasci. Quamvis, cum exigua sit pars corporis costa, non tam propter hoc Deus parvulam viro conjugem fecit, quam ædificavit in mulierem : unde et ejus filios poterat omnipotentia Creatoris mox editos grandes protinus facere.

LXIX. Sed ut hoc omittam, poterat certe, quod multis etiam pecoribus præstitit, quorum pulli quamvis sint parvuli, neque accedentibus corporis incrementis etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non ha-

bent, tamen etiam minutissimi et currunt, et matres agnoscunt, nec sugendis uberibus cura et ope admoventur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate noverunt. Contra homini nato nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, et nisi ope nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, et juxta se jacentibus mammis magis possint esurientes flere, quam sugere. Proinde infirmitati mentis congruit hæc omnino infirmitas corporis: nec fuisset caro Christi in similitudine carnis peccati, nisi caro esset ista peccati, cujus pondere rationalis anima sic gravatur; sive et ipsa ex parentibus tracta sit, sive ibidem creata, sive desuper inspirata, quod nunc quærere differo.

LXX. In parvulis certe gratia Dei, per baptismum ejus qui venit in similitudine carnis peccati, id agitur, ut evacuetur caro peccati. Evacuatur autem, non ut in ipsa vivente carne concupiscentia conspersa et innata repente absumatur, et non sit; sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. Nam si post baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit. Nam nec grandibus hoc præstatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili omnipotentissimi Creatoris, ut lex peccati, quæ inest in membris repugnans legi mentis, prorsus penitus extinguatur, et non sit: sed ut quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, cum eidem concupiscentiæ subjecta mente serviret, totum aboleatur, ac velut factum non fuerit, habeatur; ipsa vero, soluto reatus vinculo, quo per illam diabolus animam retinebat, et interclusione destructa, qua hominem a suo Creatore separabat, maneat in certamine, quo

corpus nostrum castigamus et servituti subjicimus[1], vel ad usus licitos et necessario relaxanda, vel continentia cohibenda. Sed quoniam divino Spiritu, qui multo melius quam nos omnia generis humani novit vel præterita, vel præsentia, vel futura, talis vita humana præcognita atque prædicta est, ut non justificetur in conspectu Dei omnis vivens[2]; fit ut per ignorantiam vel infirmitatem non exertis adversus eam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus, tanto magis et crebrius quanto deteriores, tanto minus et rarius quanto meliores sumus. Sed quoniam de hac quæstione in qua quæritur, utrum possit, vel utrum sit, fuerit, futurusve sit homo sine peccato in hac vita, excepto illo qui dixit, « Ecce » venit princeps mundi, et in me nihil inveniet[3], » aliquanto diligentius disserendum est, iste sit hujus voluminis modus, ut illud ab alio quæramus exordio.

[1] 1 Cor. IX, 27. — [2] Psal. CXLII, 2. — [3] Joan. XIV, 30.

LIBER II.

Disputat Augustinus contra eos qui dicunt, quod in hac vita sint, fuerint, et futuri sint homines nullum habentes omnino peccatum : qua de re propositis quatuor quæstionibus, docet primo hominem in hac vita sine peccato esse posse per Dei gratiam et liberum ipsius arbitrium. Postea probat non esse tamen quemquam in hac vita degentem sine ullo prorsus peccato. Tertio, ideo non esse, quia nemo est qui tantum velit, quantum res exigit, dum vel latet quod justum est, vel facere non delectat. Quarto loco, nullum prorsus, excepto uno Mediatore Christo, vel esse, vel fuisse, vel futurum esse hominem ab omni peccato immunem.

I. De baptismo parvulorum, Marcelline charissime, quod non solum eis ad regnum Dei, verum etiam ad salutem vitamque æternam adipiscendam detur, quam sine Dei regno, et sine Christi salvatoris societate, in quam nos suo sanguine redemit, habere nullus potest, priore libro satis, ut arbitror, disputavimus. In hoc autem, vivat-ne aliquis in hoc sæculo, vel vixerit, victurusve sit sine ullo omnino peccato, excepto uno Mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus [1], quanta ipse donat diligentia vel facultate, disserendum enodandumque suscepi : cui disputationi si se identidem aliqua necessitate vel opportunitate inseruerit quæstio de baptismo vel peccato parvulorum, mirandum non erit, nec defugiendum ut

[1] 1 Tim. II, 5.

eis locis ad omnia quæ responsionem nostram flagitant, sicut valemus respondeamus.

II. Hujus autem quæstionis solutio de hominis vita sine ulla subreptione vel præoccupatione peccati, propter quotidianas etiam nostras orationes maxime necessaria est. Sunt enim quidam tantum præsumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, ut ad non peccandum nec adjuvandos nos divinitus opinentur, semel ipsi naturæ nostræ concesso liberæ voluntatis arbitrio. Unde fit consequens, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem, hoc est, ne tentatione vincamur, vel cum fallit et præoccupat nescientes, vel cum premit atque urget infirmos. Quam sit autem noxium, et saluti nostræ, quæ in Christo est, perniciosum atque contrarium, ipsique religioni qua imbuti sumus, et pietati qua Deum colimus, quam vehementer adversum, ut pro tali accipiendo beneficio Dominum non rogemus, atque in ipsa Oratione Dominica, « Ne nos inferas in tentationem [1], » frustra positum existimemus, verbis explicare non possumus.

III. Acute autem sibi videntur dicere, quasi nostrum hoc ullus ignoret, quod « Si nolumus, non peccamus; » nec præciperet Deus homini, quod esset humanæ im- » possibile voluntati. » Sed hoc non vident, quod ad nonnulla superanda, vel quæ male cupiuntur, vel quæ male metuuntur, magnis aliquando et totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfecte in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridice dici voluit, « Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens [2]. » Tales itaque nos futuros Dominus prævidens, quædam salubria remedia contra reatum et vincula peccatorum etiam post baptismum dare ac valere dignatus est, opera scilicet misericordiæ, cum ait: « Dimittite, et dimitte-

[1] Matth. VI, 13. — [2] Psal. CXLII, 2.

» tur vobis; date, et dabitur vobis [1]. » Quis enim cum aliqua spe adipiscendæ salutis æternæ de hac vita emigraret, manente illa sententia, quod, « Quicumque totam » legem servaverit, offendat autem in uno, factus est om- » nium reus; » nisi post paululum sequeretur, « Sic lo- » quimini, et sic facite, tanquam per legem libertatis in- » cipientes judicari. Judicium enim sine misericordia illi » qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem mise- » ricordia judicio [2]. »

IV. Concupiscentia igitur tanquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis a reatu solvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur : parvulos non baptizatos reos innectit, et tanquam iræ filios, etiam si parvuli moriantur, ad condemnationem trahit. In grandibus autem baptizatis, in quibus jam ratione utentibus quidquid eidem concupiscentiæ mens ad peccandum consentit, propriæ voluntatis est, deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu, quo vinctos originaliter detinebat, ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura, donec absorbeatur mors in victoriam [3], et pace perfecta nihil quod vincatur existat. Consentientes autem sibi ad illicita reos tenet, et nisi per medicinam pœnitentiæ et opera misericordiæ per cœlestem sacerdotem pro nobis interpellantem sanentur, ad secundam mortem damnationemque perducit. Propter hoc et Dominus orare nos docens inter cætera monuit ut dicamus : « Dimitte nobis » debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nos- » tris, et ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a » malo [4]. » Manet enim malum in carne nostra, non na-

[1] Luc. VI, 37. — [2] Jacob. II, 10-12. — [3] I Cor. XV, 54. — [4] Matth. VI, 12 et 13.

tura in qua divinitus creatus est homo, sed vitio quo voluntate prolapsus est, ubi amissis viribus, non ea qua vulneratus est, voluntatis facilitate sanatur. De hoc malo dicit Apostolus : « Scio quoniam non habitat in carne » mea bonum[1]. » Cui malo non obedire præcipit, cum dicit : « Non ergo regnet peccatum in vestro mortali cor» pore ad obediendum desideriis ejus[2]. » Si ergo his desideriis concupiscentiæ carnis illicita voluntatis inclinatione consensimus ; ad hoc sanandum dicimus : « Dimitte » nobis debita nostra[3] : » adhibentes remedium ex opere misericordiæ, in eo quod addimus : « Sicut et nos dimit» timus debitoribus nostris. » Ut autem non ei consentiamus deprecamur adjutorium dicentes : « Et ne nos » inferas in tentationem[4] : » (vel sicut nonnulli codices habent : « Ne nos inducas in tentationem, ») non quod ipse Deus tali tentatione aliquem tentat ; « Nam Deus in» tentator malorum est, ipse autem neminem tentat[5] : » sed ut si forte tentari cœperimus a concupiscentia nostra, adjutorio ejus non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti. Deinde addimus quod perficietur in fine, « Cum absorbebitur mortale a vita[6] : Sed » libera nos a malo[7]. » Tunc enim nulla erit talis concupiscentia, cum qua certare, et cui non consentire jubeamur. Sic ergo totum hoc in tribus beneficiis positum breviter peti potest : Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti a concupiscentia, adjuva ne abstrahamur a concupiscentia, aufer a nobis concupiscentiam.

V. Ad peccandum namque non adjuvamur a Deo : justa autem agere vel justitiæ præceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur a Deo. Sicut enim corporis oculus non adjuvatur a luce, ut ab eadem luce

[1] Rom. vii, 18. — [2] Rom. vi, 22. — [3] Matth. vi, 12. — [4] Ibid. 13. — [5] Jacob. i, 13. — [6] 2 Cor. v, 4. — [7] Matth. vi, 13.

clausus aversusve discedat, ut autem videat adjuvatur ab ea, neque hoc omnino nisi illa adjuverit, potest : ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum ejus justitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimur, nostrum est; et tunc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus. Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit. Sed etiam ut convertamur, ipse adjuvat : quod certe oculis corporis lux ista non præstat. Cum ergo nobis jubet dicens : « Convertimini ad me, et convertar ad vos[1]; » nosque illi dicimus : « Converte nos, Deus sanitatum nostrarum, » et Deus virtutum converte nos [2]: » quid aliud dicimus, quam : Da quod jubes? Cum jubet dicendo : « Intelligite » ergo qui insipientes estis in populo[3]; » et nos illi dicimus : « Da mihi intellectum, ut discam mandata tua[4] : » quid aliud dicimus, quam : Da quod jubes? Cum jubet dicendo : « Post concupiscentias tuas non eas[5]; » nosque dicimus : « Scimus quia nemo potest esse continens, nisi » Deus det[6] : » quid aliud dicimus, quam : Da quod jubes? Cum jubet dicendo : « Facite justitiam[7] : » nosque dicimus : « Doce me justificationes tuas[8] : » quid aliud dicimus, quam : Da quod jubes? Item cum dicit : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi sa» turabuntur[9] : » a quo debemus petere cibum potumque justitiæ, nisi ab illo qui esurientibus eam et sitientibus promittit ejus saturitatem.

VI. Repellamus ab itaque auribus et mentibus nostris eos qui dicunt, accepto semel liberæ voluntatis arbitrio, nec orare nos debere, ut Deus nos adjuvet, ne peccemus.

[1] Zach. I, 3. — [2] Psal. LXXXIV. et LXXIX, 8. — [3] Id. XCIII, 8. — [4] Id. CXVIII, 73. — [5] Eccli. XVIII, 30. — [6] Sap. VIII, 21. — [7] Isaï. LVI, 1. — [8] Psal. CXVIII, 12. — [9] Matth. V, 6.

Talibus tenebris nec Pharisæus ille cæcabatur, qui quamvis in hoc erraret, quod sibi addendum ad justitiam nihil putabat, seque arbitrabatur ejus plenitudine saturatum; Deo tamen gratias agebat, quod non esset sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri, sicut ille Publicanus, quod bis in sabbato jejunaret, quod omnium quæ possidebat, decimas daret[1]. Nihil sibi addi ad justitiam jam petebat : sed tamen ex iis quæ habebat, gratias Deo agendo, ab illo se accepisse omnia fatebatur : et tamen improbatus est, et quia veluti saturatus nihil de alimentis justitiæ jam rogabat accipere, et quod eam Publicano esurienti ac sitienti se velut insultans præferre gestiebat. Quid ergo illis fiet, qui et si fateantur se non habere, vel non plenam habere justitiam; tamen a se ipsis habendam, non a suo Creatore, ubi horreum ejus et fons ejus est, deprecandam esse præsumunt? Nec ideo tamen solis de hac re votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. « Adjutor enim » noster Deus[2] » dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur. Quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis. Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem non tantum : istum illo, illum isto modo; penes ipsum est et æquitatis tam secretæ ratio, et excellentia potestatis.

VII. Nam qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, et hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, et Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. Sed alia quæstio est, utrum esse possit; alia, utrum

[1] Luc. xviii, 11. — [2] Psal. xvi, 9.

sit; alia, si non est cum possit esse cur non sit; alia utrum qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, non solum quisquam sit, verumetiam potuerit aliquando esse vel possit. In hac quadripartita propositione quæstionum si a me quæratur, utrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam et liberum ejus arbitrium : ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigens, nec tantum ut sit, verumetiam ut bonum sit, id est, ad facienda mandata Domini convertatur : atque ita Dei gratia non solum ostendat quid faciendum sit, sed adjuvet etiam ut possit fieri quod ostenderit. Quid enim habemus quod non accepimus[1] ? Unde et Jeremias dicit : « Scio, Domine, quia non est in homine via ejus, » nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos[2]. » Hinc et in Psalmis cum quidam dixisset Deo : « Tu præcepisti » mandata tua custodiri nimis : » continuo non de se præsumpsit, sed optavit ut faceret : « Utinam, inquit, » dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas : » tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata » tua[3]. » Quis autem optat quod in potestate sic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adjumento? A quo autem id optet, quia non a fortuna, vel a fato, vel a quolibet alio præter Deum in consequentibus satis ostendens : « Itinera mea, inquit, dirige secundum verbum tuum; » et non dominetur mihi omnis iniquitas[4]. » Ab hujus execrandæ dominationis servitute liberantur, quibus Dominus Jesus (eum recipientibus) dedit potestatem filios Dei fieri[5]. Ab ista horrenda dominatione liberandi fuerant, quibus dicit : « Si vos Filius liberaverit, tunc » vere liberi eritis[6]. » His atque hujusmodi aliis innume-

[1] I Cor. IV, 7. — [2] Jerem. X, 23. — [3] Psal. CXVIII, 4 — [4] Ibid. 133. — [5] Joan. I, 12. — [6] Id. VIII, 36.

rabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum et adjuvandum, quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse. Ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adjutus a Deo.

VIII. Si autem quod secundo loco posueram, quæratur utrum sit, esse non credo, magis enim credo Scripturæ dicenti : « Ne intres in judicium cum servo tuo, » quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vi» vens[1]. » Et ideo misericordia Dei opus est, quæ superexaltat judicio, quæ illi non erit qui non facit misericordiam[2]. Et quod Propheta cum diceret : « Dixit : » Pronuntiabo adversus me delictum meum Domino, et » tu dimisisti impietatem cordis mei : » continuo subjunxit : « Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore » opportuno[3], » non ergo omnis peccator, sed omnis Sanctus : vox enim Sanctorum est, « Si dixerimus quia » peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veri» tas in nobis non est[4]. » Unde in ejusdem Apostoli Apocalypsi, illa « Centum quadraginta et quatuor millia » Sanctorum, qui se cum mulieribus non coinquinave» runt, virgines enim permanserunt ; et non est inventum » in ore eorum mendacium, quia irreprehensibiles sunt[5]; » profecto ideo irreprehensibiles sunt, quia se ipsos veraciter reprehenderunt : et ideo non est inventum in ore eorum mendacium[6], quia si dicerent se peccatum non habere, se ipsos deciperent, et veritas in eis non esset[7] ; et utique mendacium esset, ubi veritas non esset : quoniam justus, cum in sermonis exordio accusator sui est, non utique mentitur.

IX. Ac per hoc in eo quod scriptum est : « Qui natus

[1] Psal. CXLII, 2. — [2] Jacob. II, 13. — [3] Psal. XXXI, 5. — [4] 1 Joan. I, 8. — [5] Apoc. XIV, 4, 5. — [6] Prov. XVIII, 17. — [7] 1 Joan. III, 9.

» est ex Deo, non peccat, et non potest peccare, quia se-» men ejus in ipso manet [1] : » et si quid aliud eo modo dictum est, multum falluntur minus considerando Scripturas. Non enim advertunt, eo quosque fieri filios Dei, quo esse incipiunt in novitate spiritus, et renovari in interiorem hominem secundum imaginem ejus qui creavit eos. Non enim ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur; sed renovatio incipit a remissione omnium peccatorum, et in quantum quisque spiritalia sapit, qui jam sapit. Cætera vero in spe facta sunt, donec etiam in re fiant, usque ad ipsius corporis renovationem in meliorem statum immortalitatis et incorruptionis, qua induemur in resurrectione mortuorum. Nam et ipsam Dominus regenerationem vocat, non utique talem qualis fit per baptismum, sed in qua etiam in corpore perficietur quod nunc spiritu inchoatur. « In re-» generatione, inquit, cum sederit Filius hominis in sede » majestatis suæ, sedebitis et vos super duodecim sedes » judicantes duodecim tribus Israël [3]. » Nam in baptismo quamvis tota et plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuo tota et plena etiam hominis in æternam novitatem mutatio fieret, non dico et in corpore, quod certe manifestum est adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere, in fine postea renovandum, quando vere tota novitas erit : sed excepto corpore, si in ipso animo qui est homo interior, perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus : « Et si exterior homo noster cor-» rumpitur, sed interior renovatur de die in diem [4]. » Profecto enim qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus, et in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est. Proinde ex hoc quod adhuc in vetustate sunt, quamvis jam baptizati,

[1] Joan. III, 9. — [2] Coloss. III, 10. — [3] Matth. XIX, 28. — [4] 2 Cor. IV, 16.

ex hoc etiam adhuc sunt filii sæculi. Ex hoc autem quod in novitate sunt, hoc est, ex plena et perfecta remissione peccatorum et quantumcumque illud quod est spiritaliter sapiunt eique congruos mores agunt, filii Dei sunt. Intrinsecus enim exuimus veterem hominem, et induimus novum [1] : quoniam ibi deponimus mendacium, et loquimur veritatem et cætera quibus Apostolus explicat quid sit exui veterem hominem, et indui novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. et hoc ut faciant, jam baptizatos fidelesque adhortatur : quod adhuc monendi non essent, si hoc in baptismo jam perfecte factum esset : et tamen factum est, sicut et salvi facti sumus. « Salvos enim nos fecit per lavacrum » regenerationis [2]. » Sed alio loco dicit, quemadmodum hoc factum est. « Non solum, inquit, sed etiam nos ipsi » primitias habentes spiritus et ipsi in nobismetipsis in- » gemiscimus, adoptionem expectantes, redemptionem » corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem » quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid » sperat ? Si autem quod non videmus speramus per pa- » tientiam expectamus [3]. »

X. Adoptio ergo plena filiorum in redemptione fiet etiam corporis nostri. Primitias itaque spiritus nunc habemus, unde jam filii Dei re ipsa facti sumus : in cæteris vero spe sicut salvi, sicut innovati, ita et filii Dei ; re autem ipsa quia nondum salvi, ideo nondum plene innovati, nondum etiam filii Dei, sed filii sæculi. Proficimus ergo in renovationem justamque vitam per quod filii Dei sumus, et per hoc peccare omnino non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud quod adhuc filii sæculi sumus : per hoc enim et peccare adhuc possumus.

[1] Ephes. IV, 22 — [2] Tit. III, 5 — [3] Rom. VIII, 23.

Ita fit, ut et qui natus est ex Deo [1], non peccet : et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus, et veritas non sit in nobis. Consumetur ergo quod filii carnis et sæculi sumus, et perficietur quod filii Dei et spiritu renovati sumus. Unde idem Joannes : « Dilectissimi, inquit, nunc filii Dei sumus, et nondum » apparuit quid erimus [2]. » Quid est hoc : « Sumus et eri- » mus, » nisi quia sumus in spe, erimus in re? Nam sequitur, et dicit : « Scimus quia cum apparuerit, similes ei » erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. » Nunc ergo et ei similes esse jam cœpimus, primitias habentes spiritus; et adhuc dissimiles sumus, per reliquias vetustatis. Proinde in quantum similes, in tantum regenerante spiritu filii Dei : in quantum autem dissimiles, in tantum filii carnis et sæculi. Illinc ergo peccare non possumus : hinc vero si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus : donec totum transeat in adoptionem, et non sit peccator, et quæras locum ejus et non invenias [3].

XII. Frustra itaque nonnulli etiam illud argumentantur ut dicant : « Si peccator genuit peccatorem, ut parvulo » ejus reatus originalis peccati in baptismi acceptione » solvatur; etiam justus justum gignere debuit [4]. » Quasi ex hoc quisque carnaliter gignat quod justus est, et non ex hoc quod in membris ejus concupiscentialiter movetur, et ad usum propagandi lex peccati mentis lege convertitur. Ex hoc ergo gignit quod adhuc vetustum trahit inter filios sæculi, non ex hoc quod in novitatem promovit inter filios Dei. « Filii enim sæculi hujus generant et » generantur [5]. » Inde et quod nascitur tale est, quia et

[1] 1 Joan. III, 9, et 1 Joan. I, 8. — [2] 1 Joan. III, 8. — [3] Psal. XXXVI, 10. — [4] Vide infra cap. 25. et lib. I. de nupt. c. 18. et Lib. 6. contr. Jul. c. 5. — [5] Luc. XX, 34.

« Quod nascitur de carne caro est [1]. » Justi autem non sunt nisi filii Dei. In quantum autem sunt filii Dei, carne non gignunt ; quia spiritu et ipsi, non carne nati sunt. Sed ex hoc carne gignunt, quicumque eorum gignunt, ex quo nondum in novitatem perfectam totas vetustatis reliquias commutarunt. Unde quisquis filius de hac parte nascitur vetusta et infirma, necesse est ut etiam ipse vetustus sit et infirmus : idcirco oportet ut etiam ipse in aliam generationem per remissionem peccati spiritu renovetur. Quod si in eo non fit, nihil ei proderit pater justus; spiritu enim justus est, quo eum non genuit : si autem fit, nihil ei oberit etiam pater injustus : iste enim gratia spiritali in spem novitatis æternæ transitum fecit ; ille autem mente carnali totus in vetustate permansit.

XII. Non igitur contrarium testimonium est : « Qui na» tus est ex Deo, non peccat [2], » ei testimonio quo jam natis ex Deo dicitur : « Si dixerimus quia peccatum non » habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non » est [3]. » Quandiu enim homo quamvis totus spe jam, et jam in re ex parte regeneratione spiritali renovatus, adhuc tamen portat corpus quod corrumpitur et aggravat animam ; quid quo pertineat, et quid unde dicatur, etiam in uno homine distinguendum est. Nam, ut ego arbitror, non facile cuiquam Scriptura Dei tam magnum justitiæ perhibet testimonium, quam tribus famulis ejus, Noë, Daniel, et Job [4], quos Ezechiel propheta dicit ab imminente quadam iracundia Dei solos posse liberari : in tribus utique illis viris tria quædam hominum liberanda genera præfigurans, in Noë, quantum arbitor, justos plebium præpositos, propter arcæ tanquam Ecclesiæ gubernationem ; in Daniele, justos continentes ; in Job, justos conjugatos : et si quis est forte alius intellectus, de quo

[1] Joan. III, 6. — [2] 1 Joan. III, 9. — [3] Id. I, 8. — [4] Ezech. XIV, 14.

nunc non est necesse disquirere. Verumtamen quanta isti justitia præeminuerint, et hoc prophetico, et aliis divinis testimoniis satis apparet. Nec ideo quisquam sobrius dixerit ebrietatem non esse peccatum, quæ tamen subrepsit tanto viro [1] : nam Noë, sicut legimus, fuit aliquando ebrius, quamvis absit ut fuerit ebriosus.

XIII. Daniel vero post orationem quam fudit Deo, de se ipse dicit : « Cum orarem, et confiterer peccata mea, » et peccata populi mei Domino Deo meo [2]. » Propterea, nisi fallor, per supra memoratum Ezechielem cuidam superbissimo dicitur : « Numquid tu sapientior quam » Daniel [3]? » Neque hic dici potest, quod quidam contra Orationem Dominicam argumentantur : « Quia etsi ora- » bant eam, inquiunt, sancti et perfecti jam apostoli, » nullum omnino habentes peccatum, non tamen pro se » ipsis, sed pro imperfectis et adhuc peccatoribus dice- » bant : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimitti- » mus debitoribus nostris. Ut per hoc, inquiunt, quod » dicerent nostra, in uno esse corpore demonstrarent, et » illos adhuc habentes peccata, et se ipsos qui jam care- » bant omni ex parte peccato. » In Daniele certe hoc non potest dici, qui, ut credo, tanquam propheta prævidens hanc aliquando præsumptionem futuram, cum in oratione sæpe dixisset : « Peccavimus : » non ita nobis exposuit, cur hoc dixerit, ut ab illo audiremus, » Cum orarem, et » confiterer peccata populi mei Domino Deo meo : » nec adhuc distinctione confusa ut esset incertum propter unius corporis societatem si diceret : Cum peccata nostra confiterer Domino Deo meo ; sed omnino tam distincte, tanquam de ipsa distinctione satagens, eamque maxime vehementerque commendans : « Peccata, inquit, mea, et » peccata populi. » Quis huic evidentiæ contradicit, nisi

[1] Gen. IX, 21. — [2] Dan. IX, 20. — [3] Ezech. XXVIII, 3. — [4] Matth. VI, 22.

quem plus delectat defensare quod sentit, quam quid sentiendum sit invenire?

XIV. Job autem post tam magnum de illo justitiæ testimonium Dei, quid dicat ipse videamus. « In veritate, » inquit, scio quia ita est [1]. Quemadmodum enim justus » erit homo ante Dominum? si autem velit contendere » cum eo non poterit obedire ei [2]. » Et paulo post : « Quis, » inquit, judicio ejus adversabitur? quod si fuero justus, » os meum impie loquetur [3]. » Iterum paulo post : « Scio, » inquit, quia impunitum me non dimittit. Quia sum im- » pius, quare non sum mortuus? quod si purificatus nive, » et mundatus fuero mundis manibus, sufficienter in sordi- » bus me tinxisti [4]. » Item in alio suo sermone : « Quia con- » scripsisti, inquit, adversus me mala, et induisti me » juventutis meæ peccata, et posuisti pedem meum in » prohibitione, servasti omnia opera mea, et in radices » pedum meorum inspexisti, qui veterascunt sicut uter, » vel sicut vestimentum a tinea comestum. Homo enim » natus ex muliere parvi est temporis, et plenus iracun- » dia, et sicut flos cum floruit et decidit, discessit sicut » umbra, non manet. Nonne et hujus curam fecisti venire » in judicium tuum? quis enim erit mundus a sordibus? » Nemo, nec si unius diei fuerit vita ejus [5]. » Et paulo post : « Dinumerasti, inquit, omnes necessitudines meas, » et nihil te latuit de peccatis meis : signasti peccata mea » in folliculo, et annotasti si quid invitus commisi [6]. » Ecce et Job confitetur peccata sua, et in veritate se dicit scire, quia non est justus quisquam ante Dominum. Et ideo iste hoc in veritate scit, quia si nos dixerimus non habere peccatum, ipsa veritas in nobis non est [7]. Proinde secundum modum conversationis humanæ, perhibet ei Deus

[1] Job. IX, 2. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 28. — [4] Id. XIII, 26. — [5] Id. XIV, 1. — [6] Ibid. 16. — [7] 1 Joan. I, 8.

tam magnum justitiæ testimonium : ipse autem se metiens ex regula illa justitiæ, quam sicut potest conspicit apud Deum, in veritate scit quia ita est. Et adjungit : « Quem- » admodum enim justus erit homo ante Dominum? Si » enim velit contendere cum eo, non poterit obedire ei : » id est, si judicandus ostendere voluerit, non in se inve- niri posse quod damnet, non poterit obedire ei : amittit enim etiam illam obedientiam, qua obedire possit præ- cipienti confitenda esse peccata. Unde quosdam increpat dicens : « Quid vultis mecum judicio contendere[1] ? » quod ille præcavens : « Ne intres, inquit, in judicium cum servo » tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo om- » nis vivens[2]. » Ideo etiam dicit Job : « Quis enim judicio » ejus adversabitur ? quod si fuero justus, os meum im- » pie loquetur : » hoc est enim, si me justum dixero contra judicium ejus, ubi perfecta illa justitiæ regula me convincit injustum, profecto impie loquetur os meum, quia contra Dei veritatem loquetur.

XV. Fragilitatem quoque ipsam, vel potius damna- tionem carnalis generationis ostendens ex originalis trans- gressione peccati, cum de peccatis suis ageret, velut eorum causas reddens, dixit hominem natum ex muliere parvi esse temporis, et plenum iracundia : qua iracun- dia, nisi qua sunt omnes, sicut dicit Apostolus, « Natu- » raliter, hoc est, originaliter, iræ filii[3] ? » quoniam filii sunt concupiscentiæ carnis et sæculi. Ad ipsam iram pertinere etiam mortem hominis consequenter ostendens. Cum enim dixisset : « Parvi est temporis, et plenus ira- » cundia, » addidit etiam : « Et sicut flos cum floruit et » decidit, discessit sicut umbra, non manet. » Cum au- tem subjungit : « Nonne et hujus curam fecisti venire in » judicium tuum? Quis enim erit mundus a sordibus?

[1] Jerem. II, 29. — [2] Psal. CXLII, 2. — [3] Ephes. II, 3.

» Nemo nec si unius diei fuerit vita ejus[1] : » hoc utique dicit : Curam hominis brevis vitæ fecisti venire in judicium tuum. Quantumlibet enim brevis fuerit vita ejus, etiamsi unius diei esset, mundus a sordibus esse non posset, et ideo justissime in judicium tuum veniet. Illud vero quod ait : « Dinumerasti omnes necessitudines meas, » et nihil te latuit de peccatis meis : signasti peccata mea » in folliculo, et annotasti si quid invitus commisi : » nonne satis apparuit etiam illa peccata juste imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandæ molestiæ alicujus, aut doloris, aut mortis? Nam et hæc dicuntur quadam necessitate committi, cum omnia superanda sint amore et delectatione justitiæ. Potest etiam quod dixit : « Et annotasti si quid invitus com- » misi, » ad illam vocem videri pertinere, qua dictum est : « Non enim quod volo ago, sed quod odi hoc facio[2]. »

XVI. Quid quod ipse Dominus, qui ei perhibuerat testimonium, cum etiam Scriptura, hoc est, Dei Spiritus dixerit : « In omnibus quæ contigerunt ei, non eum » peccasse labiis suis ante Dominum[3] ; » Postea tamen cum ei loqueretur, increpans locutus est, sicut ipse Job testis est dicens : « Quid adhuc ego judicor monitus, et » increpationes Domini audiens[4]? » Nemo autem juste increpatur, nisi in quo est aliquid quod increpatione sit dignum. Et ipsa increpatio qualis est, quæ ex Domini Christi persona intelligitur? Enumerat illi divina opera potestatis suæ sub hac sententia increpans, ut eum dicere appareat : Numquid potes hæc tanta quæ possum? Quo autem pertinet, nisi ut intelligat Job, (etiam hoc ei divinitus inspiratum, ut præsciret Christum ad passionem esse venturum,) intelligat ergo quam debet æquo

[1] Job. XIV, 1-4. — [2] Rom. VII, 15. — [3] Job. I, 22. — [4] Id. XXXIX, 33, juxta LXX.

animo tolerare quæ pertulit, si Christus in quo peccatum, cum propter nos homo factus esset, omnino nullum fuit, et in quo Deo tanta potentia est, nequaquam tamen passionis obedientiam recusavit? Quod puriore cordis intentione Job intelligens responsioni suæ addidit : « Auris » auditu audiebam te prius, et nunc ecce oculus meus » videt te : ideo vituperavi me ipsum, et distabui, et » æstimavi me ipsum terram et cinerem [1]. » Quare sibi ita in hoc tam magno intellectu displicuit? Neque enim opus Dei, quo erat homo, recte illi poterat displicere; cum etiam ipsi Deo dicatur : « Opera manuum tuarum » ne despexeris [2]. » Sed profecto secundum illam justitiam qua se noverat justum, se vituperavit atque distabuit, æstimavitque se terram et cinerem ; mente conspiciens Christi justitiam, in cujus non tantum Divinitate, sed nec in anima nec in carne nullum potuit esse peccatum : secundum quam justitiam quæ ex Deo est, etiam Paulus apostolus illud suum quod secundum justitiam quæ ex lege est, fuit sine querela, non solum damna, verumetiam stercora existimavit [3].

XVII. Non igitur præclarum illud testimonium Dei, quo laudatus est Job, contrarium est ei testimonio quo dictum est : « Non justificabitur in conspectu tuo omnis » vivens [4] : » quia non id persuadet, prorsus in illo nihil fuisse, quod vel ab ipso veraciter, vel a Domino Deo recte reprehenderetur; quamvis jam justus, et verax Dei cultor, et ab omni opere malo se abstinens, non mendaciter diceretur. Hæc enim de illo verba sunt Dei : « Animo » advertisti in puerum meum Job? Non enim est illi homo » similis super terram, sine querela, justus, verus Dei cul» tor, abstinens se ab omni opere malo [5]. » Primis verbis

[1] Job. XLII, 5.— [2] Psal. CXXXVII, 8.— [3] Philip. III, 7.— [4] Psal. CXLII, 2. — [5] Job. I, 8.

ex hominum qui sunt in terra comparatione laudatur. Proinde omnibus qui tunc in terra justi esse potuerunt, excellebat. Non ergo ipse propterea nullum peccatum omnino habebat, quia in profectu justitiæ cæteros antcibat. Deinde adjungitur, « Sine querela, » de cujus vita nemo juste quereretur : « Justus, » qui tanta morum probitate profecerat, ut nullus ei esset æquandus : « Verus Dei » cultor, » quippe etiam suorum peccatorum verax humilisque confessor : « Abstinens se ab omni opere malo, » mirum si ab omni etiam verbo et cogitatu malo. Quantus quidem Job fuerit ignoramus : sed novimus justum, novimus etiam in perferendis horrendis tribulationum tentationibus magnum : novimus non propter peccata, sed propter ejus demonstrandam justitiam illa omnia fuisse perpessum. Verumtamen hæc verba quibus a Domino laudatur, possent etiam de illo dici, qui condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem ; videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ : præsertim quia dicit : « Non quod volo facio bo- » num, sed quod odi malum, hoc ago. Si autem quod » odi malum hoc facio, jam non ego operor illud, sed » quod habitat in me peccatum[3]. » Ecce et iste secundum interiorem hominem alienus est ab omni opere malo, quia illud non operatur ipse, sed quod in carne ejus habitat malum : et tamen cum illud ipsum quod condelectatur legi Dei, non habeat nisi ex gratia Dei, adhuc liberationis indigens clamat : « Miser ego homo, quis me » liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Je- » sum Christum Dominum nostrum[4]. »

XVIII. Sunt ergo in terra justi, sunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pii, misericordes, temporalia mala omnia propter justitiam æquo animo toleran-

[1] Rom. vii, 15. — [2] Ibid. 24.

tes. Sed si verum est, imo quia verum est : « Si dixerimus » quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus[1]; » et, « Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens[2] : » non sunt sine peccato ; nec quisquam eorum tam arroganter insanit ; ut non sibi pro suis qualibuscumque peccatis Dominica Oratione opus esse arbitretur.

XIX. Nam de Zacharia et Elizabeth, qui nobis sæpe in hujus quæstionis disputationibus objiciuntur, quid dicamus, nisi quod evidenter Scriptura testatur, eminenti justitia fuisse Zachariam in principibus sacerdotum ad offerenda Veteris Testamenti sacrificia pertinentium. Legimus autem in Epistola quæ ad Hebræos scribitur, quod testimonium in libro superiore jam posui, solum Christum esse principem sacerdotum, qui non haberet necessitatem, sicut illi qui sacerdotum principes dicebantur, sacrificium pro suis primum offerre peccatis quotidie, deinde pro populi. « Talem enim decebat, inquit, ha- » bere nos principem sacerdotum, justum, sine malitia, » incontaminatum, separatum a peccatoribus, altiorem » a cœlis factum, non habentem quotidianam necessita- » tem, sicut principes sacerdotum, primum pro suis » peccatis sacrificium offerre[3]. » In hoc sacerdotum numero Zacharias, in hoc Phinees, in hoc ipse Aaron, a quo iste ordo exorsus est, fuit, et quicumque alii in illo sacerdotio laudabiliter justeque vixerunt ; qui tamen habebant necessitatem sacrificium primitus pro suis offerre peccatis, solo Christo existente, cujus venturi figuram gestabant, qui hanc necessitatem sacerdos incontaminabilis non haberet.

XX. Quid autem de Zacharia et Elizabeth laudabile dictum est, quod non in eo comprehendatur, quod de se Apostolus, cum in Christum nondum credidisset, pro-

[1] 1 Joan. I, 8. — [2] Psal. CXLII, 2. — [3] Hebr. VII, 26.

fessus est? Dixit enim se « Secundum justitiam quæ in » lege est, fuisse sine querela : » hoc et de illis ita legitur : « Erant autem ambo justi ante Deum incedentes in om- » nibus mandatis, et justificationibus Domini sine que- » rela [1]. Quia ergo quidquid eis inerat justitiæ, non erat ad homines simulatum, ideo dictum est, « Ante Deum. » Quod autem de Zacharia et ejus conjuge scriptum est, « In omnibus mandatis et justificationibus Domini : » hoc ille breviter dixit, « In lege. » Non enim alia lex illi, alia istis fuit ante Evangelium ; sed una atque eadem, quam legimus per Moysen datam patribus eorum, secundum quam etiam sacerdos erat Zacharias et vice sua sacrifi- cabat. Et tamen Apostolus, qui simili tunc justitia præ- ditus fuit, sequitur, et dicit : « Quæ mihi lucra fuerunt, » hæc propter Christum damna esse duxi : verumtamen » et arbitror omnia damnum esse propter eminentem » scientiam Domini nostri Jesu Christi, propter quem » omnia non solum detrimenta credidi, verum etiam ster- » cora existimavi esse, ut Christum lucrifaciam, et in- » veniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege » est, sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo, » justitiam in fide, ad cognoscendum eum et virtutem re- » surrectionis ejus, et communicationem passionis ejus, » conformatus morti ipsius, si quo modo occurram in re- » surrectionem mortuorum. » Tantum ergo longe est, ut propter illa verba Zachariam et Elizabeth credamus sine ullo peccato perfectam habuisse justitiam, ut nec ipsum Apostolum ejusdem regulæ summitate arbitremur fuisse perfectum, non solum in illa legis justitia, quam simi- lem istis habuit, quam inter damna et stercora deputat in comparatione eminentissimæ justitiæ, quæ in fide Christi est; verum etiam in ipso quoque Evangelio, ubi

[1] Philip. —6 III, 6. — [2] Luc. I, [3] Philip. III, 7.

et tanti Apostolatus meruit principatum : quod dicere non auderem, nisi ei non credere nefas ducerem. Ubi etiam sequitur, et adjungit : « Non quia jam acceperim. » aut jam perfectus sim ; sequor autem, si comprehen- » dam, in quo et apprehensus sum in Christo Jesu[1]. Fra- » tres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse : unum » autem, quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt exten- » tus, secundum intentionem sequor, et palmam supernæ » vocationis Dei, in Christo Jesu. » Ipse se confitetur nondum accepisse, nondum esse perfectum ea plenitudine justitiæ, quam adipisci dilexit in Christo ; sed adhuc secundum intentionem sequi, et præterita obliviscentem in ea quæ ante sunt extendi : ut noverimus etiam ad ipsum pertinere illud quod ait : « Et si exterior homo noster » corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem[2] : » quamvis jam esset perfectus viator, etsi nondum erat ipsius itineris perfectione perventor. Denique tales vult secum in isto cursu comites rapere quibus continuo subjungit et dicit : « Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus ; et si » quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelabit : » verumtamen, in quod pervenimus, in eo ambulemus[3]. » Ambulatio ista, non corporis pedibus, sed mentis affectibus et vitæ moribus geritur, ut possint esse perfecti justitiæ possessores, qui recto itinere fidei de die in diem in sua renovatione proficientes, jam perfecti facti sunt ejusdem justitiæ viatores.

XXI. Sic itaque omnes, quicumque in hac vita divinarum Scripturarum testimoniis in bona voluntate atque actibus justitiæ prædicati sunt, et quicumque tales vel post eos fuerunt, quamvis non eisdem testimoniis prædicati atque laudati, vel nunc usque etiam sunt, vel postea quoque futuri sunt, omnes magni, omnes justi, omnes

[1] Philip. III, 12. — [2] 1 Cor. IV, 16. — [3] Philip. III, 15.

veraciter laudabiles sunt, sed sine peccato aliquo non sunt : quoniam Scripturarum testimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus, non justificari in conspectu Dei omnem viventem ; ideo rogari, ne intret in judicium cum servis suis ; et non tantum universaliter fidelibus omnibus, verum etiam singulis esse Orationem Dominicam necessariam, quam tradidit Discipulis suis.

XXII. At enim, Dominus ait : « Estote perfecti sicut » et Pater vester cœlestis perfectus est : quod non præci- » peret, inquiunt, si sciret fieri non posse quod præci- » pit. » Non nunc quæritur utrum fieri possit, si istam perfectionem ad hoc accipiunt, ut sine ullo sit quisque peccato, cum hanc agit vitam ; jam enim supra respondimus, posse fieri : sed utrum aliquis faciat, hoc nunc quærimus. Neminem autem esse qui tantum velit, quantum res exigit, ante prægognitum est, sicut Scripturarum, quæ supra commemoravi, testimonia tanta declarant. Et tamen cum dicitur cujusque perfectio, qua in re dicatur videndum est. Nam ex Apostolo testimonium paulo ante posui, ubi se fatetur in acceptione justitiæ quam desiderat, nondum esse perfectum : et tamen continuo dicit, « Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus : » quod utrumque non diceret, nisi in alia re perfectus esset, in alia non esset. Velut si jam sit quisquam sapientiæ perfectus auditor, quod nondum erant illi quibus dicebat : « Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim po- » teratis, sed nec adhuc quidem potestis[3] : » eis quippe et illud ait : « Sapientiam loquimur inter perfectos[4] ; » utique perfectos auditores volens intelligi : potest ergo fieri, sicut dixi, ut jam sit aliquis sapientiæ perfectus auditor, cujus nondum sit perfectus et doctor, potest per-

[1] Psal. cxlii, 2. — [2] Matth. v, 48. — [3] 1 Cor. iii, 2. — [4] Id. ii, 6.

fectus esse justitiæ cognitor, nondum perfectus effector : potelt perfectus esse ut diligat inimicos, qui nondum est perfectus ut sufferat. Et qui perfectus est in eo quod omnes homines diligit, quippe qui etiam ad inimicorum dilectionem pervenerit ; quæritur utrum jam sit in ista dilectione perfectus, id est, utrum quos diligit, tantum diligat quantum illa incommutabilis regula veritatis diligendos esse præscribit. Cum ergo legitur in Scripturis cujusque perfectio, qua in re dicatur, non negligenter intuendum ést : quoniam non ideo quisque prorsus sine peccato esse intelligitur, quia in aliqua re dicitur esse perfectus. Quanquam et in hoc possit ita dici, ut non quia jam non est quo proficiat, sed quia ex maxima parte profecit, hoc nomine dignus habeatur : sicut in doctrina legis dici potest quisquam perfectus, etiam si eum aliquid adhuc latet ; sicut perfectos dicebat Apostolus, quibus tamen ait : « Et si quid aliter sapitis, id quoque vobis » Deus revelabit ; verumtamen in quod pervenimus, in eo » ambulemus[1]. »

XXIII. Neque negandum est hoc Deum jubere, ita nos in facienda justitia esse debere perfectos, ut nullum habeamus omnino peccatum. Nam nec peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubetur ut non sit. « Cur ergo » jubet, inquiunt, quod scit nullum hominum esse fac- » turum ? » Hoc modo etiam dici potest, cur primis illis hominibus jusserit, qui duo soli erant, quod sciebat eos non esse facturos ? Neque enim dicendum est, ideo jussisse, ut nostrum aliquis id faceret, si illi non facerent : hoc enim, ne de illa scilicet arbore cibum sumerent, non nisi illis solis Deus jussit ; quia sicut sciebat quid justitiæ facturi non erant, ita etiam sciebat quid justitiæ de illis erat ipse facturus. Eo modo ergo jubet omnibus homini-

[1] Philip. III, 15.

bus ut non faciant ullum peccatum, quamvis sit præscius neminem hoc impleturum, ut quicumque impie ac damnabiliter ejus præcepta contempserint, ipse faciat in eorum damnatione quod justum est : quicumque autem in ejus præceptis obedienter et pie proficientes, nec tamen omnia quæ præcepit implentes, sicut sibi dimitti volunt, sic aliis peccata dimiserint, ipse faciat in eorum mundatione quod bonum est. Quomodo enim dimittenti dimittitur per Dei misericordiam, si peccatum non est? aut quomodo non vetatur per Dei justitiam, si peccatum est?

XXIV. « Sed ecce, inquiunt, Apostolus dicit : Bonum » certamen certavi, fidem servavi, cursum consummavi, » superest mihi corona justitiæ : quod non diceret, si » haberet ullum peccatum[1]. » Imo vero respondeant quomodo potuit hæc dicere, cui adhuc restabat ipsius passionis, quam sibi jam impendere dixerat, tam magna conflictatio, tam molestum ac grande certamen. An ad ejus consummandum cursum parum adhuc deerat, quando illud deerat ubi erat futurus acrior et crudelior inimicus? Quod si ideo talibus verbis certus securusque gaudebat, quia de victoria futuri certaminis certum eum securumque jam fecerat, qui eamdem passionem jam illi revelaverat imminere ; non re plenissima, sed spe firmissima hæc dixit, et quod futurum esse præsumpsit, tanquam factum fuerit indicavit. Si ergo his verbis etiam hoc adderet, ut diceret : Nullum habeo jam peccatum : hoc quoque illum intelligeremus non de rei factæ, sed de rei futuræ perfectione dixisse. Sic enim ad ipsius cursus consummationem pertinebat nullum habere peccatum, quod isti putant, cum hæc diceret, jam in illo fuisse completum ; quemadmodum ad ipsius cursus con-

[1] 2 Tim. IV, 7.

summationem pertinebat etiam in certamine passionis adversarium superare, quod etiam ipsi necesse est fateantur, cum hæc diceret, adhuc in illo fuisse complendum : hoc ergo totum nos dicimus tunc fuisse adhuc perficiendum, quando jam de Dei promissione præfidens totum ita dicebat tanquam fuisset effectum. Ad ipsius quippe cursus consummationem pertinebat, etiam quod peccata dimittebat debitoribus suis, atque ita sibi ut dimitteretur orabat : qua Domini pollicitatione certissimus erat, in illo fine, quem adhuc futurum jam fidendo dicebat impletum, nullum se habiturum esse peccatum. Nam, ut alia omittam, miror si cum verba illa dicebat, per quæ istis visus est nullum habuisse peccatum, jam fuerat ab illo ablatus ille stimulus carnis, de quo a se auferendo Dominum ter rogaverat, responsumque acceperat : « Suffi» cit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perfici» tur[1]. » Huic tanto viro perficiendo necessarium fuit, ut ab illo angelus Satanæ non auferretur, a quo propterea colaphizabatur, ne magnitudine visionum extolleretur : et audet quisquam, quemquam vel putare vel dicere positum sub onere hujus vitæ ab omni omnino mundum esse peccato?

XXV. Sint licet homines tanta excellentes justitia, ut ad eos de columna nubis loquatur Deus, qualis « Moyses » et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel in his qui in» vocant nomen ejus[2]; » cujus magnæ laudes pietatis et innocentiæ in Scriptura veridica prædicantur, ab ineunte pueritia, ex quo eum mater votum solvens in Templo Dei constituit, et servum Domino dedicavit : etiam de talibus scriptum est : « Tu propitius eras illis, et vindi» cans in omnes affectiones eorum[3]. » In filios quippe damnationis vindicat iratus : in filios autem gratiæ vin-

[1] 2 Cor. XII, 9. — [2] Psal. XCVIII, 6. — [3] Ibid. 8.

dicat propitius, dum quem diligit corripit, et flagellat omnem filium quem recipit[1]. Nulla autem vindicta, nulla correptio, nullum Dei flagellum debetur nisi peccato, excepto illo qui in flagella paratus est, ut experiretur omnia secundum similitudinem sine peccato, ut esset Sanctus Sanctorum sacerdos interpellans etiam pro Sanctis, qui non mendaciter etiam de se quisque dicunt : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus » debitoribus nostris[2]. » Unde et ipsi qui contra hæc disputant, cum sint casta vita, moribusque laudabiles, nec dubitent facere, quod illi diviti pro consequenda vita æterna consilium requirenti, cum se respondisset jam omnia legis implevisse mandata, præcepit Dominus, si vellet esse perfectus, venderet omnia quæ habebat et daret pauperibus[3], thesaurumque transferret in cœlum : nemo tamen eorum audet dicere, se esse sine peccato. Quod, sicut credimus, non fallaci animo dicunt : si autem mentiuntur, eo ipso incipiunt vel augere, vel habere peccatum.

XXVI. Jam ergo quod loco tertio posui videamus. Cum voluntatem humanam gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillime ac veracissime respondere, quia homines nolunt : sed si ex me quæritur, quare nolunt, imus in longum. Verumtamen etiam hoc sine præjudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur et infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.

[1] Prov. III, 12. — [2] Matth. VI, 12. — [3] Id. XIX, 20.

Ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates : qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ ; sive contra ipsam suam superbiam judicandi et erudiendi, si filii sint misericordiæ. Unde Jeremias cum dixisset : « Scio, Domine, quia non » est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet et diri» gat gressus suos : » continuo subjunxit : « Corripe me, » Domine, verumtamen in judicio et non in furore tuo [1]. » Tanquam diceret : Scio ad correptionem meam pertinere, quod minus abs te adjuvor, ut perfecte dirigantur gressus mei : verumtamen hoc ipsum noli sic mecum agere, tanquam in furore quo iniquos damnare statuisti, sed tanquam in judicio, quo doces tuos non superbire. Unde alibi dicitur : « Et judicia tua adjuvabunt me [2]. »

XXVII. Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referas causam. Vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est. Ad hanc convincendam atque auferendam talis medicina cœlitus venit : ad elatum hominem per superbiam, Deus humilis descendit per misericordiam, gratiam claram manifestamque commendans in ipso homine, quem tanta præ participibus suis charitate suscepit. Neque enim et ipse ita Verbo Dei conjunctus, ut ipsa conjunctione unus Filius Dei et idem ipse unus Filius hominis fieret, præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit. Unum quippe illum esse oportebat : essent autem et duo, et tres, et plures, sic hoc fieri posset, non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitrium. Hoc ergo præcipue commendatur, hoc in sapientiæ atque scientiæ thesauris in Christo absconditis, quantum existimare audeo, præcipue docetur et discitur.

[1] Jerem. x, 23. — [2] Psal. CXVIII, 175

Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere[1], agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse vel quod scit, vel quod delectatur : ac sic ab elationis vanitate sanetur, et sciat quam vere non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit : « Dominus dabit sua» vitatem, et terra nostra dabit fructum suum[2]. » Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus summum atque incommutabile bonum, et auctor qualiumcumque bonorum omnium. Ut autem diligatur Deus, « Charitas ejus diffusa est in cordibus nostris, » non per nos, sed « Per Spiritum sanctum qui datus est » nobis[3]. »

XXVIII. Sed laborant homines invenire in nostra voluntate, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo : et quomodo inveniri possit ignoro. Excepto enim quod Apostolus ait, cum de bonis hominum loqueretur : « Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem et ac» cepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis[3]? » Ipsa etiam ratio, quæ de iis rebus a talibus quales sumus, iniri potest, quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur ; rursus ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur.

XXIX. Namque illud Apostoli quod commemoravi, sic defendere quidam voluerunt, ut dicerent : « Ideo quidquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum esse, quia et hoc in illo esse non posset, si homo ipse non esset : cum vero ut sit aliquid atque ut

[1] Vide infra cap. 19. et lib. de nat. et grat. c. 27 et 28. et de corrept. et grat. c. 9. — [2] Psal. LXXXIV, 13. — [3] Rom. V, 5. — [4] 1 Cor. IV, 7. — [5] Vide lib. de grat. Chr. c. 47. et de grat. et libero arb. c. 1.

homo sit, non habeat nisi a Deo, cur non auctori Deo tribuatur etiam quidquid in illo est bonæ voluntatis, quod non esset, nisi esset in quo esset? » Sed hoc modo etiam illud dici potest, malam quoque voluntatem Deo auctori tribuendam : quia nec ipsa esse posset in homine, nisi homo esset in quo esset; ut autem homo sit, Deus auctor est : ita et ejus malæ voluntatis (9), quæ nisi hominem haberet ubi esset, esse omnino non posset, quod nefas est dicere.

XXX. Quapropter nisi obtineamus, non solum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus et male uti malus potest; sed etiam voluntatem bonam, quæ jam in eis bonis est, quorum esse usus non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse, nescio quemadmodum defendamus quod dictum est : « Quid enim habes quod non » accepisti[1]? » Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona vel mala; bona vero voluntas ex nobis est : melius est id quod a nobis, quam quod ab illo est. Quod si absurdissime dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem nos divinitus adipisci. Quanquam voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, et bona est; et si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est : aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis vero dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, et utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam voluntatem habeamus ex Deo, alioquin nescio, cum ab eo justificamur, quo alio munere ipsius gaudere debeamus. Et hinc scriptum

[1] 1 Cor. IV, 7.

arbitror : « Paratur voluntas a Domino[1]. » Et in Psalmis : « A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus » volet[2]. » Et quod Apostolus ait : « Deus est enim qui » operatur in vobis et velle et operari pro bona vo- » luntate[3]. »

XXXI. Quocirca quoniam quod a Deo nos avertimus, nostrum est, et hæc est voluntas mala; quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus, et hæc est voluntas bona : quid habemus quod non accepimus? Si autem accepimus, quid gloriamur, quasi non acceperimus? Ac per hoc : « Ut qui gloriatur, in » Domino glorietur[4], » quibus hoc Deus donare voluerit, ejus misericordiæ est, non meriti illorum : quibus autem noluerit, veritatis est. Justa namque peccatoribus pœna debetur, quoniam « Misericordiam et veritatem diligit Do- » minus Deus : et misericordia et veritas occurrerunt sibi : » et universæ viæ Domini misericordia et veritas[5]. » Et quis explicet, quam crebro hæc duo conjuncta divina Scriptura commemoret? Aliquando etiam mutatis nominibus, ut gratia pro misericordia ponatur : unde est, « Et » vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam Unigeniti a Pa- » tre, plenum gratia et veritate[6]. » Aliquando pro veritate judicium : sicut est, « Misericordiam et judicium cantabo » tibi, Domine[7]. »

XXXII. Quare autem illos velit convertere, illos pro aversione punire : quanquam et in beneficio tribuendo nemo juste reprehendat misericordem, et in vindicta exercenda, nemo juste reprehendat veracem; sicut in illis evangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddentem[8], aliis etiam non placitam largientem, nullus juste culpa-

[1] Prov. VIII, 35. — [2] Psal. XXXVI, 23. — [3] Philip. II, 13. — [4] I Cor. I, 31. — [5] Psal. LXXXIII, 12; LXXXIV, 11; et XXIV, 10. — [6] Joan. I, 14. — [7] Psal. C, 1. — [8] Matth. XX, 9.

verit : consilium tamen occultioris justitiæ penes ipsum est. Nos quantum concessum est sapiamus; et intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, et suavitatem qua det fructum suum terra eorum.

XXXIII. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave faciat quod non delectabat? quia et hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratia didicimus, dum antea lateret; ejus gratia dileximus, dum antea non delectaret : « ut qui » gloriatur, non in se, sed « In Domino glorietur. » Extolli quippe in superbiam, propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei : neque enim ad hoc eos compellit aut adjuvat Deus. Præcedit ergo in voluntate hominis appetitus quidam propriæ potestatis, ut fiat inobediens per superbiam. Hic autem appetitus etiam si non esset, nihil molestum esset; et cum hoc voluit homo, sine difficultate noluisset : secutum est autem ex debita justa pœna tale vitium, ut jam molestum esset obedire justitiæ. Quod vitium nisi adjuvante gratia superetur, ad justitiam nemo convertitur; nisi operante gratia sanetur, justitiæ pace nemo perfruitur. Cujus autem gratia vincitur et sanatur, nisi illius cui dicitur : « Converte nos, Deus sani» tatum nostrarum, et averte iram tuam a nobis [1]? » Quod et si facit, misericordia facit, ut dicatur : « Non secun» dum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniqui» tates nostras retribuit nobis [2]. » Et quibus non facit, judicio non facit. Et quis dicet illi, Quid fecisti, cui miseri

[1] Psal. LXXIV, 5. — [2] Id. CII, 10.

cordia et judiciumpia sanctorum mente cantatur ? Idcirco etiam sanctos etfideles suos in aliquibus vitiis tardius sanat, ut in his eosminus quam implendæ ex omni parte justitiæ sufficit, delectet bonum, sive cum latet, sive cum etiam manifestum est : ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens. Nec in eo ipso vult nos damnabiles esse [1], sed humiles, commendans nobis eamdem gratiam suam : ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod ejus est : qui error multum est religioni pietatique contrarius. Nec ideo tamen in eisdem vitiis nobis permanendum esse existimemus, sed adversus ipsam maxime superbiam, propter quam in eis humiliamur, et nos vigilanter conemur, et ipsum deprecemur ardenter, simul intelligentes et quod sic conamur, et quod sic deprecamur, dono illius nos habere : ut in omnibus non ad nos respicientes, sed sursum cor habentes, Domino Deo nostro gratias agamus, et cum gloriamur, in illo gloriemur.

XXXIV. Quartum jam illud restat, quo explicato quantum adjuvat Dominus, sermo quoque iste tam prolixus tandem terminum sumat, utrum qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, habiturusve sit, non solum qnisquam natorum hominum sit, verumetiam potuerit aliquando esse, vel possit. Hunc prorsus nisi unum mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, nullum vel esse, vel fuisse, vel futurum esse, certissimum est. Unde jam multa diximus de baptismo parvulorum, qui si nullum peccatum habent, non solum sunt homines innumerabiles sine peccato ; verumetiam fuerunt, et erunt. Porro si veraciter illud constitit, unde secundo loco egimus; neminem esse sine peccato, profecto nec parvuli

[1] Psal. CXLII, 2.

sine peccato sunt. Ex quo conficitur, et si quisquam in hac vita esse potuisset; qui virtute ita perficeretur, ut ad tantam plenitudinem justitiæ perveniret; qua nullum haberet omnino peccatum, fuisse tamen eum antea peccatorem, unde in istam novitatem vitæ converteretur, non esse dubitandum. Etenim in secundo illo loco aliud quærebatur, aliud in hoc quarto propositum est. Nam in illo, utrum aliquis in hac vita ad perfectam, quæ prorsus sine ullo peccato est, vitam perveniret per gratiam Dei, studio voluntatis, hoc requirebatur: in hoc autem quarto, utrum esset in filiis hominum, vel esse potuisset, aut posset, qui non ex peccato ad justitiam perfectissimam perveniret, sed nullo omnino unquam peccato esset obstrictus hoc quæritur. Ideo si illa vera sunt, quæ tam multa de parvulis diximus, nec est in filiis hominum quisquam, ne fuit, nec erit, excepto uno mediatore, in quo nobis propitiatio et justificatio posita est, per quam finitis inimicitiis peccatorum reconciliamur Deo. Non itaque abs re est, quantum præsenti causæ sufficere videtur, ab ipso exordio generis humani pauca repetere, quibus adversus quædam, quæ movere possunt, legentis animus informetur.

XXXV. Posteaquam illi primi homines, vir unus Adam, et ex illo Eva uxor ejus, accepto Dei præcepto servare obedientiam noluerunt, justa eos pœna ac debita consecuta est. Sic enim comminatus fuerat Dominus; quod ea die qua vetitum cibum ederent, morte morerentur. Proinde quia utendi ad escam omni ligno quod in paradiso erat, acceperant potestatem [1], in quo etiam lignum vitæ plantaverat Deus; ab illo autem solo eos prohibuerat, quod appellavit scientiæ boni et mali, quo nomine significaretur experientiæ consequentia, et quid

[1] Gen. II, 9 et 16.

boni custodita, et quid mali essent transgressa prohibitione sensuri : recte profecto intelliguntur ante malignam diaboli persuasionem abstinuisse cibo vetito, atque usi fuisse concessis, ac per hoc et cæteris et præcipue ligno vitæ. Quid enim absurdius, quam ut credantur ex aliis arboribus alimenta sumpsisse, non autem etiam ex illo quod et similiter permissum fuerat, et utilitate præcipua per ætatum labem mutari, quamvis animalia corpora, atque in mortem veterascere non sinebat, tribuens hoc corpori humano de suo corpore beneficium, et mystica significatione demonstrans, quid per sapientiam, cujus figuram gestabat, conferretur animæ rationali, ut alimento ejus vivificata nequaquam in labem mortemque nequitiæ verteretur? Merito enim de illa dicitur : « Lig- » num vitæ est amplectentibus eam[1]. » Sicut hæc arbor in corporali, sic illa in spiritali paradiso : ista exterioris, illa interioris hominis sensibus præbens vigorem, sine ulla in deterius temporis commutatione vitalem. Serviebant igitur Deo, vehementer sibi commendata pietate obedientiæ, qua una colitur Deus. Quæ per se ipsa quanta sit, quamque sola sufficiat ad tuendam rationalem sub Creatore creaturam, non potuit excellentius intimari, quam ut a ligno prohiberentur non malo. Absit enim ut bonorum Creator qui fecit omnia : « Et ecce bona valde [2], » mali aliquid in illius etiam corporalis paradisi fertilitate plantaret. Sed ut ostenderetur homini, cui esset sub tali Domino utilissima servitus, quantum esset solius obedientiæ bonum, quam solam de famulo exegerat, cui obedire non propter ipsius dominatum, sed propter servientis utilitatem potius expediret? ab eo ligno sunt prohibiti, quo si uterentur non prohibiti, nihil mali omnino paterentur : ut quod illo post prohibitionem utentes passi sunt,

[1] Prov. III, 18. — [2] Gen. I, 31.

satis intelligeretur quod eis hoc non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, sed tantum obedientia violata.

XXXVI. Hanc ergo priusquam violassent, placebant Deo, et placebat eis Deus, et quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo justitiæ, ut quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus ejus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc et nudi erant, et non confundebantur. Animam quippe rationalem naturali verecundia nunc pudet, quod in carne, in cujus servitutem jus potestatis accepit, nescio qua infirmitate efficere non potest, ut se nolente non moveantur membra, et se volente moveantur. Quæ propter hoc in quovis casto, merito appellantur pudenda, quod adversus dominam mentem, quasi suæ sint potestatis, sicut libitum est, excitantur : idque solum juris in his habent frena virtutis, ut ad immundas et illicitas corruptiones ea pervenire non sinant. Hæc igitur carnis inobedientia, quæ in ipso motu est, etiam si habere non permittatur effectum, non erat in illis primis hominibus, quando nudi erant, et non confundebantur. Nondum quippe anima rationalis domina carnis inobediens existeret Domino suo, ut pœna reciproca inobedientem experiretur carnem famulam suam cum sensu quodam confusionis et molestiæ suæ, quem sensum certe ipsa per inobedientiam suam non intulit Deo. Neque enim Deo pudendum est aut molestum, si nos ei non obedimus, cujus in nos summam potestatem nullo modo minuere valemus : sed nobis pudendum est, quod imperio nostro caro non servit ; quia hoc fit per infirmitatem quam peccando meruimus, vocaturque peccatum habitans in membris nostris [1]. Sic est

[1] Rom. VII, 17-23.

autem hoc peccatum, ut sit pœna peccati. Denique posteaquam est illa facta transgressio, et anima inobediens a lege sui Domini aversa est, habere cœpit contra eam servus ejus, hoc est, corpus ejus, legem inobedientiæ; et puduit illos homines nuditatis suæ, animadverso in se motu, quem ante non senserant[1] : quæ animadversio apertio est dicta oculorum ; neque enim oculis clausis inter illas arbores oberrabant. Sic et de Agar scriptum est : « Aperti sunt oculi ejus, et vidit puteum [2]. » Tunc illi homines pudenda texerunt : quæ Deus illis membra, ipsi vero pudenda fecerunt.

XXXVII. De hac lege peccati nascitur caro peccati, expianda per illius sacramentum, qui venit in similitudine carnis peccati, ut evacuetur corpus peccati, quod et corpus mortis hujus appellatur : unde miserum hominem non liberat nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Sic enim ab eis transitum fecit in posteros ista lex initium mortis quemadmodum labor quo cuncti homines laborant in terra, quemadmodum in fœminas paturitio cum doloribus. Hæc enim, cum de peccato arguerentur, Dei sententia meruerunt, quæ non in eis solis, sed etiam in successoribus eorum, in aliis magis, in aliis minus, tamen in omnibus videmus impleri. Cum itaque primorum illorum hominum fuerit prima justitia obedire Deo, et hanc in membris adversus legem mentis suæ legem concupiscentiæ non habere : nunc post eorum peccatum nata ex eis nostra carne peccati, pro magno obtinetur ab his qui obediunt Deo, desideriis ejusdem concupiscentiæ non obedire, et crucifigere in se carnem cum passionibus et concupiscentiis ; ut sint Jesu Christi, qui hoc in sua cruce figuravit, quibus per gratiam suam dedit potestatem filios Dei fieri. Non enim

[1] Gen. III, 7. — [2] Id. XXI, 19.

omnibus hominibus dedit, sed quotquot receperunt eum, ut Deo renascerentur spiritu, qui sæculo nati erant carne. Sic enim de his dictum est: « Quotquot » autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios » Dei fieri, qui non ex carne, non ex sanguine, non ex » voluntate viri, non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati » sunt[1]. »

XXXVIII. Secutus autem addidit; « Et Verbum caro » factum est, et habitavit in nobis : » tanquam dicens, Magnum quidem hoc in his factum est, ut Deo nascerentur ex Deo, qui prius nati fuerant ex carne sæculo, quamvis creati ab ipso Deo : sed longe mirabilius factum est, quod cum istis naturæ fuerit nasci de carne, beneficii vero nasci ex Deo, propter hoc impertiendum beneficium, ille qui de Deo naturaliter natus est, nasci etiam misericorditer de carne dignatus est : hoc est enim : « Et Verbum caro fac- » tum est, et habitavit in nobis. » Per hoc, inquit, factum est, ut nati de carne caro, postea nascendo de spiritu spiritus essemus, et habitaremus in Deo : quia et Deus natus de Deo, postea de carne nascendo caro factus est, et habitavit in nobis. Verbum enim quod caro factum est, in principio erat, et apud Deum Deus erat. Verumtamen ipsa participatio illius in inferiora nostra, ut nostra esset in superiora illius, tenuit quamdam et in carnis nativitate medietatem : ut nos quidem nati essemus in carne peccati, ille autem in similitudine carnis peccati: nos non solum ex carne et sanguine, verumetiam ex voluntate viri et ex voluntate carnis, ille autem tantum ex carne et sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Et ideo nos in mortem propter peccatum, ille propter nos in mortem sine peccato. Sicut autem inferiora ejus, quibus ad nos descendit, non omni modo coæ-

[1] Joan. I, 12, 13.

quata sunt inferioribus nostris, in quibus nos hic invenit : sic et superiora nostra quibus ad eum ascendimus, non coæquabuntur superioribus ejus, in quibus eum illic inventuri sumus. Nos enim ipsius gratia facti erimus filii Dei, ille semper natura erat filius Dei : nos aliquando conversi adhærebimus impares Deo, ille nunquam aversus manet æqualis Deo : nos participes vitæ æternæ, ille vita æterna. Solus ergo ille etiam homo factus manens Deus, peccatum nullum habuit unquam, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Quod enim carnis inde suscepit, id profecto aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo mundavit. Ideo virginem matrem, non lege carnis peccati, id est, non concupiscentiæ carnalis motu concipientem, sed pia fide sanctum germen in se fieri promerentem, quam eligeret creavit, de qua crearetur elegit. Quanto magis ergo caro peccati baptizanda est propter evadendum judicium, si baptizata est caro sine peccato propter imitationis exemplum ?

XXXIX. Quod autem supra respondimus adversus eos qui dicunt : « Si peccator genuit peccatorem, justus quoque justum gignere debuit : » hoc etiam his respondemus, qui dicunt, de homine baptizato natum jam velut baptizatum haberi debuisse. « Cur enim non, inquiunt, in lumbis patris sui potuit baptizari, si secundum epistolam quæ ad Hebræos scripta est, in lumbis Abrahæ Levi potuit decimari[1] ? » Hoc qui dicunt, attendant non propterea Levi postea non fuisse decimatum, quia jam fuerat decimatus in lumbis Abrahæ ; sed quia sic ordinatus est honore sacerdotii, ut acciperet decimas, non præberet : alioquin nec cæteri fratres ejus, qui ei præbebant, decimarentur, quia et ipsiin lumbis Abrahæ a Melchisedech jam fuerant decimati.

[1] Hebr. VII, 9.

XL. Sed ne quis dicat, propterea recte potuisse Abrahæ filios decimari, quamvis jam fuissent in lumbis patris sui decimati, quia decimatio talis res erat, quæ in unoquoque homine sæpe fuerat facienda, sicut Israëlitæ annis omnibus, imo ex fructibus omnibus decimas tota vita sua crebras solent præbere Levitis, baptismum autem tale sacramentum esse quod semel datur, et si jam hoc acceperat quisque, cum in patre suo esset, nonnisi baptizatum fuisse deputandum, cum de illo qui baptizatus fuerat gignere-tur. Qui hoc dicit, (ne diu disputem), circumcisionem respiciat, quæ semel fiebat, et tamen in singulis singillatim fiebat. Sicut ergo tempore illius sacramenti de circumciso qui nasceretur, circumcidendus fuit : sic nunc de baptizato qui natus fuerit, baptizandus est.

XLI. At enim Apostolus ait : « Filii vestri immundi es-» sent, nunc autem sancti sunt [1] : » et ideo, inquiunt, fidelium filii jam baptizari minime debuerunt [2]. » Miror hoc dicere, qui negant peccatum ex Adam originaliter trahi. Si enim hanc Apostoli sententiam sic accipiunt, ut credant de fidelibus sanctificatos filios nasci, cur eos etiam ipsi baptizari oportere non dubitant? Cur denique nolunt fateri de parente peccatore aliquod peccatum originaliter trahi, si de sancto aliqua sanctitas trahitur? Et contra nostram quidem non est assertionem, etiamsi ex fidelibus sancti propagantur, quod eos dicimus, si non baptizantur, pergere in damnationem, quibus et ipsi regnum cœlorum intercludunt, quamvis eos dicant non habere ullum vel proprium, vel originale peccatum. Aut si eis indignum videtur, ut sancti damnentur, quomodo est dignum ut a regno Dei sancti separentur? Illud potius attendant, quomodo non de peccatoribus parentibus trahatur aliquod peccatum, si de sanctis aliqua sanctitas tra-

[1] 1 Cor. VII, 14. — [2] Vide Gelasium in Opusculo cont. Pelag.

hitur et immunditia de immundis? Utrumque enim dixit, qui dixit : « Alioquin filii vestri immundi essent, nunc » autem sancti sunt. » Explicent etiam quomodo justum sit, ut sancti ex fidelibus et immundi ex infidelibus nati, pariter tamen, si baptizati non fuerint, regnum Dei non permittantur intrare. Quid ergo illis itia sanctitas prodest? Nam si damnari faterentur immundos ex infidelibus natos, sanctos autem filios fidelium in Dei quidem regnum intrare non posse, nisi fuerint baptizati, non tamen damnari, quia sancti sunt, esset qualiscumque distinctio : nunc vero natos de sanctis sanctos, et de immundis immundos, æqualiter dicunt, et quia peccatum non habent, non damnari, et quia baptismum non habent, a Dei regno separari. Hanc absurditatem talia ingenia non videre quis credat?

XLII. Nostræ autem, imo ipsius Apostoli sententiæ, qui dixit : « Ex uno omnes ad condemnationem, et ex uno » omnes ad justificationem vitæ [1] : » quam non sit contrarium hoc quod ait, cum de alia re ageret : « Alioquin » filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt, » paululum attende. Non unius modi est sanctificatio : nam et catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi et orationem manus impositionis puto sanctificari : et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum es tamen, et sanctius quam cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est (10). Verum et ipsos cibos, quibus ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ alimur, sanctificari idem Apostolus dixit, per verbum Dei et orationem, qua oramus, utique nostra corpuscula refecturi [2]. Sicut ergo ista ciborum sanctificatio non efficit : ut quod in os intraverit non in ventrem vadat et in secessum emittatur per corruptionem, qua omnia terrena sol-

[1] Rom. v, 16-18. — [2] 1 Tim. iv, 5.

vuntur, unde et ad aliam escam quæ non corrumpitur, nos Dominus exhortatur [1] : ita sanctificatio catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in regnum cœlorum, aut ad peccatorum remissionem. Ac per hoc et illa sanctificatio, cujuscumque modi sit [2], quam in filiis fidelium esse dixit Apostolus ad istam de baptismo et de peccati origine vel remissione quæstionem omnino non pertinet. Nam et conjuges infideles in conjugibus fidelibus sanctificari dicit eo ipso loco ita loquens : « Sanctificatur enim vir infidelis in uxore, et sanctifica» tur mulier infidelis in fratre. Alioquin filii vestri im» mundi essent, nunc autem sancti sunt. [3]. » Non, opinor, quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit uxor ejus neque jam baptizari oportere, et ad peccatorum remissionem jam pervenisse, et in regnum cœlorum esse intraturum, quia sanctificatus dictus est in uxore.

XLIII. Quisquis vero adhuc movetur, quare baptizentur qui jam de baptizatis nascuntur, hoc breviter accipiat. Sicut generatio carnis peccati per unum Adam ad condemnationem trahit omnes qui eo modo generantur, sic generatio spiritus gratiæ per unum Jesum Christum ad justificationem vitæ æternæ ducit omnes qui eo modo prædestinati regenerantur. Sacramentum autem baptismi profecto sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo qui non vixerit, mori non potest, et qui mortuus non fuerit, resurgere non potest : ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum. Oportet autem, ut si natus fuerit, renascatur : quia, « Nisi quis

[1] Joan. VI, 27. — [2] Vide infra lib. 3, c. 12, et Serm. 29. 4.— [3] 1 Cor. VII, 24.

» natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei[1]. » Oportet igitur ut sacramento regenerationis, ne sine illo male de hac vita exeat, etiam parvulus imbuatur : quod non fit nisi in remissionem peccatorum. Quod etiam ipso loco Christus ostendit, cum interrogatus quomodo possent ista fieri, commemoravit quid Moyses fecerit in exaltatione serpentis. Cum itaque per baptismi sacramentum morti Christi conformentur infantes, eos a serpentis morsu fatendum est liberari, si a christianæ fidei regula nolumus aberrare. Quem tamen morsum non in sua vita propria, sed in illo cui primitus inflictus est, acceperunt.

XLIV. Neque illud fallat, quod nec parenti post conversionem obsunt propria peccata : « Quanto enim magis, » inquiunt, filio ejus obesse non possunt? » Sed qui hoc sentiunt, non attendunt, quia sicut parenti per hoc quod spiritu renatus est propria peccata non obsunt, ita qui de illo natus est, nisi eo modo renascatur, quæ a parente tracta sunt, oberunt. Quia et innovati parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt; et filii ex parentum reliqua vetustate toti vetusti, et in peccati carne propagati, damnationem veteri homini debitam sacramento spiritalis regenerationis et renovationis evadunt. Illud namque præcipue propter quæstiones quæ de hac re motæ sunt, vel moveri adhuc possunt, attendere ac meminisse debemus tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamque remissionem baptismo fieri; hominis vero ipsius qualitatem non totam continuo commutari : sed spiritales primitias in bene proficientibus de die in diem novitate crescente commutare in se quod carnaliter vetus est, donec totum ita re-

[1] Joan. III, 3.

novetur, ut animalis etiam infirmitas corporis ad firmitatem spiritalem incorruptionemque perveniat.

XLV. Hæc autem lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus, cum dicit: « Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus[1], » non sic manet in membris eorum qui ex aqua et spiritu renati sunt, tanquam non sit ejus facta remissio, ubi omnino plena et perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitiis interfectis, quibus separabamur a Deo : sed manet in vetustate carnis tanquam superatum et peremptum, si non illicitis consensionibus quodam modo reviviscat, et in regnum proprium dominationemque revocetur. Ab hac autem vetustate carnis, in qua est lex ista peccati vel peccatum jam remissum, usque adeo spiritus vita discernitur, in cujus novitate baptizati per Dei gratiam renascuntur, ut parum fuerit Apostolo dicere, tales non esse in peccato, nisi etiam diceret, in ipsa carne illos non esse, antequam ex hac mortali vita migrarent. « Qui enim in carne sunt, inquit, » Deo placere non possunt : vos autem non estis in carne, » sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis[2]. » Verumtamen sicut ipsa carne quamvis corruptibili bene utuntur, qui membra ejus ad opera bona convertunt, in qua carne non sunt, quia non secundum eam sapiunt neque vivunt; sicut denique etiam morte, quæ primi peccati pœna est, bene utuntur, qui eam pro fratribus, pro fide, pro quacumque vera et sancta justitia fortiter et patienter impendunt : sic illa etiam lege peccati, quod jam remissum in vetustate carnis manet, bene utuntur conjugati fideles, qui ex eo quod sunt in Christi novitate, dominari sibi libidinem minime patiuntur; ex eo autem quod adhuc trahunt Adæ vetustatem, regenerandos im-

[1] Rom. VI, 12. — [2] Id. VIII, 8.

mortaliter filios mortaliter generant cum ea propagine peccati, qua illi qui renati sunt obnoxii non tenentur, et qua illi qui nascuntur renascendo solvuntur. Quandiu ergo manet lex concupiscentialiter in membris, manente ipsa reatus ejus solvitur; sed ei solvitur, qui sacramentum regenerationis accepit renovarique jam cœpit. Ex illa autem manente concupiscentiæ vetustate quod nascitur, renasci indiget ut sanetur. Quia parentes fideles et nati carnaliter et renati spiritaliter, filios carnaliter genuerunt; filii vero antequam nascerentur, renasci quomodo potuerunt.

XLVI. Nec mireris, quod dixi, manente concupiscentialiter lege peccati reatum ejus solvi per gratiam sacramenti. Sicut enim facta, et dicta, et cogitata iniqua, quantum ad ipsos motus animi et corporis pertinet, jam præterierunt et non sunt[1]; eis tamen præteritis et non tum existentibus reatus eorum manet, nisi peccatorum remissione solvatur : sic contra in hac non jam præterita, sed adhuc manente lege concupiscentiæ, reatus ejus solvitur, et non erit, cum fit in baptismo plena remissio peccatorum. Denique si continuo consequatur ab hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant. Sicut ergo non est mirum, præteritorum dictorum, factorum, atque cogitatorum reatum manere ante peccatorum remissionem : sic contra non debet esse mirum, manentis concupiscentiæ reatum præterire post peccatorum remissionem.

XLVII. Quæ cum ita sint, ex quo per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, usque in finem carnalis hujus generationis et corruptibilis sæculi,

[1] Confer. lib. 6. cont. Julian. c. 8.

cujus filii generant et generantur, nullo existente homine de quo in hac vita constituto veraciter dici possit[1] quod nullum habeat omnino peccatum, excepto uno Mediatore, qui nos Creatori nostro per remissionem reconciliat peccatorum : idem ipse Dominus noster hanc suam medelam nullis generis humani temporibus ante ultimum futurum adhuc judicium denegavit eis, quos per certissimam præscientiam et futuram beneficentiam secum regnaturos in vitam prædestinavit æternam. Namque ante nativitatem carnis infirmitatemque passionis et virtutem resurrectionis suæ, earum rerum futurarum fide eos, qui tunc fuerant, informabat ad hæreditatem salutis æternæ, quarum rerum præsentium fide informavit eos, qui cum gererentur, aderant, atque impleri prædicta cernebant, quarum etiam præteritarum fide qui postea fuerunt, et nos ipsos, et qui deinde futuri sunt, informare non cessat. Una ergo fides est quæ omnes salvos facit, qui ex carnali generatione spiritaliter renascuntur, terminata in eo, qui venit pro nobis judicari et mori judex vivorum et mortuorum. Sed hujus unius fidei pro significationis opportunitate per varia tempora sacramenta variata sunt.

XLVIII. Idem ipse itaque Salvator est parvulorum atque majorum, de quo dixerunt Angeli, « Natus est vo- » bis hodie Salvator[1] : » et de quo dictum est ad virginem Mariam, « Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum » faciet populum suum a peccatis eorum[3] : » ubi aperte demonstratum est, eum hoc nomine, quo appellatus est Jesus, propter salutem quam nobis tribuit, nominari : Jesus quippe, latine Salvator est. Quis est igitur qui audeat dicere Dominum Christum tantum majoribus non

[1] Vide epist. 157. ad Hilarium. n. 14. — [2] Luc. II, 11. — [3] Matth. I, 21.

etiam parvulis esse Jesum? qui venit in similitudine carnis peccati, ut evacuaret corpus peccati, in quo infirmissimo nulli usui congruis vel idoneis infantibus membris, anima rationalis miserabili ignorantia prægravatur. Quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis. Per hanc enim etiam, cum motibus irrationabilibus perturbantur, nulla ratione, nullo imperio, sed dolore aliquando vel doloris terrore cohibentur: ut omnino videas illius inobedientiæ filios, quæ movetur in membris repugnans legi mentis, nec cum vult ratio, conquiescit: verum et ipsa sæpe vel dolore corporis, tanquam vapulando compescitur, vel pavescendo, vel tali aliquo animi motu, non tamen voluntate præcipiente, comprimitur. Sed quia in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisset occisus. Quæ tamen mors in carne peccati inobedientiæ debita redditur, in similitudine autem carnis peccati obedientiæ voluntate suscepta est. Ad eam quippe iturus eamque passurus, hoc ait: « Ecce venit tamen princeps mundi hujus, et in me nihil » inveniet: sed ut sciant omnes quia voluntatem Patris » mei facio, surgite, eamus hinc [1]. » His dictis perrexit ad indebitam mortem, factus obediens usque ad mortem.

XLIX. Quapropter illi qui dicunt: « Si primi hominis peccato factum est ut moreremur, Christi adventu fieret ut credentes in eum non moreremur: » et addunt quasi rationem, dicentes: « Neque enim prævaricatoris

[1] Joan. xiv, 30.

transgressio plus nobis nocuit, quam incarnatio vel redemptio profuit Salvatoris : » cur non potius hoc attendunt, hoc audiunt, hoc sine dubitatione credunt, quod Apostolus sine ambiguitate locutus est : « Quia per homi- » nem mors, et per hominem resurrectio mortuorum? » Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo » omnes vivificabuntur[1]. » Neque enim aliunde, quam de corporis resurrectione dicebat. Omnium ergo corporis mortem factam per unum hominem dixit, et omnium corporis resurrectionem in vitam æternam per unum Christum futuram esse promisit. Quomodo ergo « Plus nobis nocuit ille peccando, quam iste profuit redimendo ; » cum per illius peccatum temporaliter moriamur, per istius autem redemptionem non ad temporalem vitam, sed ad perpetuam resurgamus? Nostrum ergo corpus mortuum est propter peccatum, Christi autem corpus solum mortuum est sine peccato; ut fuso sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa delerentur, quibus debitores qui in eum credunt, a diabolo antea tenebantur. Et ideo, « Hic est, ait, sanguis meus, qui pro » multis effundetur in remissionem peccatorum[2]. »

L. Poterat autem etiam hoc donare credentibus, ut nec istius experirentur corporis mortem : sed si hoc fecisset, carni quædam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo[3]. Sic enim homines mortem istam timent, ut non ob aliud felices dicerent esse Christianos, nisi quod mori omnino non possent. Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ post istam mortem beata futura est, per virtutem etiam contemnendæ ipsius mortis ad Christi gratiam festinaret, sed propter removendam mortis molestiam delicatius crederetur in Christum. Plus ergo gra-

[1] 1 Cor. xv, 21. — [2] Matth. xxvi, 28. — [3] Vide epist. 157. ad Hilarium n. 19. et Serm. 299. n. 10.

tiæ præstitit, plus fidelibus suis sine dubitatione donavit. Quid enim magnum erat, videndo non mori eos qui crederent, credere se non moriturum? Quanto est majus, quanto fortius, quanto laudabilius, ita credere, ut sesperet moriturus sine fine victurum? Denique hoc quibusdam in fine largietur[1], ut mortem istam repentina commutatione non sentiant, sed simul cum resurgentibus rapiantur in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino vivant. Et recte illis, quia non erunt jam posteri qui propter hoc credant, non sperando quod non vident, sed amando quod vident. Quæ fides est enervis et debilis, nec fides omnino dicenda, quandoquidem fides ita definita est : « Fides est sperantium substantia, convictio re-» rum quæ non videntur[2]. » Unde etiam in eadem, ubi et hoc scriptum est, ad Hebræos Epistola, cum consequenter enumerasset quosdam, qui Deo fide placuerunt : « Secundum fidem, inquit, mortui sunt hi omnes, cum » non accepissent promissiones, sed longe eas videntes et » salutantes, et confitentes quia hospites et peregrini sunt » super terram[3]. » Et paulo posteamdem fidei laudem ita conclusit : « Et omnes, inquit, testimonium consecuti » per fidem, non tulerunt promissiones Dei : pro nobis » enim meliora providerunt, ne sine nobis perfecti perfi-» cerentur[4]. » Hæc laus fidei non esset, nec omnino, ut jam dixi, fides esset, si homines in credendo præmia visibilia sequerentur, hoc est, si fidelibus merces immortalitatis in hoc sæculo redderetur.

LI. Hinc et ipse Dominus mori voluit, « Ut, quem-» admodum de illo scriptum est, per mortem evacuaret » eum, qui potestatem habebat mortis, id est, diabo-» lum, et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam

[1] Vide lib. 2. Retr. c. 33. et epist. 193. ad Mercatorem. — [2] Hebr. xi, 1. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid. 39.

» rei erant servitutis[1]. » Hoc testimonio satis etiam illud monstratur, et mortem istam corporis principe atque auctore diabolo, hoc est, ex peccato accidisse, quod ille persuasit, neque enim ob aliud potestatem habere mortis verissime diceretur : unde ille qui sine ullo peccato vel originali vel proprio moriebatur, dixit, quod paulo ante commemoravi : « Ecce veniet princeps mundi[1], » id est, diabolus, qui potestatem habebat mortis, « Et in me » nihil inveniet, » id est, peccati, propter quod homines mori fecit. Et quasi diceretur ei : Quare ergo moreris? « Sed ut sciant omnes, inquit, quia voluntatem Patris » mei facio, surgite, eamus hinc : » id est, ut moriar non habens mortis causam de peccato sub auctore peccati, sed de obedientia et justitia factus obediens usque ad mortem. Et hoc ergo illo testimonio demonstratum est, et quod timorem mortis fideles vincunt, ad agonem ipsius fidei pertinere, qui profecto defuisset, si mox esset credentes immortalitas consecuta.

LII. Quamvis itaque multa Dominus visibilia miracula fecerit, unde ipsa fides velut quibusdam primordiis lactescentibus germinaret, et in suum robur ex illa teneritudine coalesceret, (tanto est enim fortior, quanto magis jam ista non quærit :) tamen illud quod promissum speramus, invisibiliter voluit expectari, ut justus ex fide viveret, in tantum ut nec ipse qui die tertio resurrexit, inter homines esse voluerit, sed eis demonstrato in sua carne resurrectionis exemplo, quos hujus rei testes habere dignatus est, in cœlum ascenderit, illorum quoque se oculis auferens, nihilque tale cujusquam eorum carni jam tribuens, quale in carne propria demonstraverat; ut et ipsi ex fide viverent, ejusque justitiæ, in qua ex fide vivitur, præmium quod postea erit visibile, nunc interim per pa-

[1] Hebr. II, 14. — [2] Joan. XIV, 30.

tientiam invisibiliter expectarent. Ad hunc intellectum credo etiam illud esse referendum, quod ait de Spiritu sancto : « Non potest ipse venire, nisi ego abiero[1]. » Hoc enim erat dicere, non poteritis juste vivere ex fide, quod de meo dono, id est, de Spiritu sancto habebitis, nisi a vestris oculis hoc quod intuemini abstulero, ut spiritaliter cor vestrum invisibilia credendo proficiat. Hanc ex fide justitiam identidem, loquens de Spiritu sancto, ita commendat : « Ille, inquit, arguet mundum de peccato, de » justitia, et de judicio : de peccato quidem, quia non » crediderunt in me : de justitia, quia ad Patrem vado, » et jam non videbitis me[2]. » Quæ est ista justitia, qua eum non viderent, nisi ut justus ex fide viveret, et non respicientes quæ videntur, sed quæ non videntur, Spiritu ex fide spem justitiæ expectaremus?

LIII. Qui autem dicunt : « Si peccato mors ista corporis accidisset, non utique post remissionem peccatorum, quam redemptor nobis tribuit, moreremur : » non intelligunt quomodo res, quarum reatum, ne post hunc vitam obsint, Deus solvit, tamen eas ad certamen fidei sinit manere, ut per illas erudiantur et exerceantur proficientes in agone justitiæ. Posset enim et alius hoc non intelligens dicere : Si propter peccatum dixit Deus homini : « In sudore vultus tui edes panem tuum, et spinas » et tribulos pariet tibi terra[3] : » quare et post remissionem labor hic permanet, et hæc dura et aspera parit etiam terra fidelium? Item si propter peccatum dictum est mulieri : « In gemitu paries[4] : » cur etiam post peccatorum remissionem fœminæ fideles eosdem dolores in parturiendo patiuntur? Et tamen constat propter peccatum, quod admiserant, illos a Deo primos homines hæc audisse atque meruisse : nec resistit his verbis divini Libri,

[1] Joan. XVI, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Gen. III, 19. — [4] Ibid. 16.

quæ posui de labore hominis et de parturitione mulieris, nisi qui prorsus alienus a fide catholica eisdem Litteris adversatur.

LIV. Verum quia et tales non desunt, quemadmodum eis hac quæstione proposita respondemus, dicentes, ante remissionem esse illa supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina exercitationesque justorum : ita et illis quos de morte corporis similiter movet, respondere debemus, ut eam et peccato accidisse fateamur, et post peccatorum remissionem, ut magnus timor ejus a proficientibus superetur, ad certamen nobis relictam esse non dedignemur. Si enim parva virtus esset fidei, quæ per dilectionem operatur, mortis metum vincere, non esset tanta Martyrum gloria, nec Dominus diceret : « Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam » suam ponat pro amicis suis[1]. » Quod in Epistola sua Joannes ita dicit : « Sicut ille animam suam pro nobis » posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus po- » nere[2]. » Nequaquam igitur in morte pro justitia subeunda vel contemnenda laudaretur præcipua patientia, si mortis non esset magna multumque dura molestia. Cujus timorem qui vincit ex fide, magnam ipsius fidei comparat gloriam justamque mercedem. Unde mirandum non est, et mortem corporis non fuisse eventuram homini, nisi præcessisset peccatum, cujus etiam talis pœna consequeretur ; et post remissionem peccatorum eam fidelibus evenire, ut in ejus timore vincendo exerceretur fortitudo justitiæ.

LV. Caro enim quæ primo facta est, non erat caro peccati, in qua noluit homo inter delicias paradisi servare justitiam. Unde statuit Deus, ut post ejus peccatum propagata caro peccati, ad recipiendam justitiam labo-

[1] Joan. xv, 13. — [2] 1 Joan. III, 16.

ribus et molestiis eniteretur. Propter hoc etiam de paradiso dimissus Adam, contra Eden habitavit, id est, contra sedem deliciarum : ut significaret quod in laboribus, qui sunt deliciis contrarii, erudienda esset caro peccati, quæ in deliciis obedientiam non servavit, antequam esset caro peccati[1]. Sicut ergo illi primi homines postea juste vivendo, unde merito creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad paradisum revocari : sic et caro peccati, etiamsi remissis peccatis homo in ea juste vixerit, non continuo meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati.

LVI. Tale aliquid nobis insinuatum est de patriarcha David in libro Regnorum, ad quem Propheta cum missus esset, eique propter peccatum quod admiserat, eventura mala ex iracundia Dei comminaretur, confessione peccati veniam meruit, respondente Propheta[1], quod ei flagitium facinusque remissum sit : et tamen consecuta sunt quæ Deus fuerat comminatus, ut sic humiliaretur a filio. Quare et hic non dicitur : Si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimisso peccato quod erat minatus implevit? nisi quia rectissime, si dictum fuerit, respondebitur remissionem illam peccati factam, ne homo a percipienda vita impediretur æterna ; subsecutum vero illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur. Sic et mortem corporis et propter peccatum Deus homini inflixit, et post peccatorum remissionem propter exercendam justitiam non ademit.

LVII. Teneamus ergo indeclinabilem fidei confessionem. Solus unus est qui sine peccato natus est in simili-

[1] Vide lib. de nat. et gratia, c. 21. et epist. 164. c. 3. n. 6. et lib. de hæresibus, n. 25. — [2] 2 Reg. XII, 13.

tudine carnis peccati, sine peccato vixit inter aliena peccata, sine peccato mortuus est propter nostra peccata. « Non declinemus in dexteram aut in sinistram[1]. » In dexteram enim declinare, est se ipsum decipere dicendo se esse sine peccato : in sinistram autem, per nescio quam perversam et pravam securitatem se tanquam impune dare peccatis. « Vias enim quæ a dextris sunt novit Do-» minus, » qui solus sine peccato est, et nostra potest delere peccata : « Perversæ autem sunt quæ a sinistris, » amicitiæ cum peccatis. Tales etiam illi viginti annorum adolescentuli figuram novi populi præmiserunt (11), qui in terram promissionis intrarunt, qui nec in dexteram nec in sinistram dicti sunt declinasse. Non enim viginti annorum ætas comparanda est innocentiæ parvulorum : sed, ni fallor, hic numerus mysticum aliquid adumbrat et resonat. Vetus enim Testamentum in quinque Moysi libris excellit, Novum autem quatuor Evangeliorum auctoritate præfulget, qui numeri per se multiplicati ad vicenum perveniunt : quater enim quini, vel quinquies quaterni, viginti sunt. Talis populus, ut prædixi, eruditus in regno cœlorum per duo Testamenta, Vetus et Novum, non declinans in dexteram superba præsumptione justitiæ, neque in sinistram secura delectatione peccati, in terram promissionis intrabit : ubi jam peccata ulterius nec nobis donanda optemus, nec in nobis punienda timeamus, ab illo Redemptore liberati, qui non venumdatus sub peccato, redemit Israël ab omnibus iniquitatibus ejus, sive propria cujusquam vita commissis, sive originaliter tractis.

LVIII. Non enim parum paginarum divinarum auctoritati veritatique cesserunt, qui etsi noluerunt litteris suis aperte exprimere, parvulis remissionem necessariam

[1] Prov. IV, 27.

peccatorum, redemptionem tamen eis opus esse confessi sunt. Alio quippe verbo, etiam ipso de christiana eruditione deprompto, nihil aliud omnino dixerunt. Nec dubitandum est his qui divina scripta fideliter legunt, fideliter audiunt, fideliter tenent, quod ab illa carne quæ prius voluntate peccati facta est caro peccati, deinceps per successionem transeunte in omnes proscriptione iniquitatis et mortis caro sit propagata peccati, excepta una similitudine carnis peccati, quæ tamen non esset, nisi esset et caro peccati.

LIX. De anima vero, utrum et ipsa eodem modo propagata, reatu qui ei dimittatur obstricta sit : (neque enim possumus dicere, solam carnem parvuli, non etiam animam indigere Salvatoris et Redemptoris auxilio, alienamque ab ea esse gratiarum actione quæ in Psalmis est, ubi legimus et dicimus : « Benedic, anima mea, Domi» num, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui pro» pitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes » languores tuos, qui redimit de corruptione vitam » tuam[1] : ») an etiam non propagata, eo ipso quo carni peccati aggravanda miscetur, jam ipsius peccati remissione et sua redemptione opus habeat, Deo per summam præscientiam judicante, qui parvuli ab isto reatu non mereantur absolvi, etiam qui nondum nati nihil alicubi propria sua vita egerunt vel boni vel mali : et quomodo Deus etiamsi non de traduce animas creat, non sit tamen auctor reatus ejusdem, propter quem redemptio sacramenti necessaria est et animæ parvuli : magna quæstio est[2], aliamque disputationem desiderat, eo tamen quantum arbitror moderamine temperatam, ut magis inquisitio cauta laudetur, quam præcipitata reprehendatur

[1] Psal. CII, 1, 2. — [2] Hanc tractat. in epist. 166 et 190. lib. 3. de origine animæ, et lib. 3. de libero arb. c. 21.

assertio. Ubi enim de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. Etsi enim quodlibet horum, quemadmodum demonstrari et explicari possit, ignorem : illud tamen credo, quod etiam hinc divinorum eloquiorum clarissima auctoritas esset, si homo id sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset. Habes elaboratum, utinam tam commodum quam prolixum, pro meis viribus opus, cujus prolixitatem fortasse defenderem, nisi id vererer facere defendendo prolixius.

LIBER III,

SEU

AD EUMDEM MARCELLINUM EPISTOLA,

In qua Augustinus Pelagii circa quæstionem de peccatorum meritis et de parvulorum baptismo errores, sive nonnullas contra peccatum originale, quas ille suis in Paulum expositionibus insperserat, argumentationes redarguit.

Charissimo filio Marcellino Augustinus episcopus servus Christi servorumque Christi, in Domino salutem.

I. De quæstionibus quas mihi proposueras, ut ad te aliquid scriberem adversus eos qui dicunt Adam, etiamsi non peccasset, fuisse moriturum, nec ex ejus peccato quidquam ad ejus posteros propagando transisse, maxime propter baptismum parvulorum, quem more piissimo atque materno universa frequentat Ecclesia, et quod in hac vita sint, fuerint, futurique sint filii hominum nullum habentes omnino peccatum, jam duos prolixos absolveram libros : quibus mihi visus sum, non quidem omnibus omnium occurrisse in hac causa motibus animorum, quod vel a me, vel a quoquam utrum fieri possit ignoro, imo fieri non posse non dubito; sed tamen egisse aliquid, quo de his rebus a majoribus traditæ fidei defensores contra novitates eorum qui aliter sentiunt, non inermes usquequaque consisterent. Verum post pau-

cissimos dies legi Pelagii quædam scripta, viri ut audio sancti, et non parvo provectu Christiani, quæ in Pauli apostoli epistolas expositiones brevissimas continerent (12) : atque ibi comperi, cum ad illum venisset locum, ubi dicit Apostolus : « Per unum hominem peccatum intrasse in mundum, et per peccatum mortem, » atque ita in omnes homines pertransisse[1], » quamdam eorum argumentationem qui negant parvulos peccatum originale gestare : quam fateor in illis tam longis voluminibus meis non refelli, quia in mentem mihi omnino non venerat, quemquam posse talia cogitare, vel dicere. Quapropter quoniam illi operi, quod jam certo fine concluseram, nihil addere volui; et ipsam eisdem verbis quibus eam legi, et quid mihi contra videatur, huic epistolæ inserendum putavi.

II. Sic ergo illa argumentatio posita est : « Hi autem, inquit, qui contra traducem peccati sunt, ita illam impugnare nituntur : Si Adæ, inquiunt, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo et Christi justitia etiam non credentibus prodest; quia similiter, imo et magis dicit per unum salvari, quam per unum ante perierunt. » Huic ergo, ut dixi, argumento in illis duobus libris, quos ad te scripsi, nihil respondi, neque id mihi prorsus redarguendum proposui. Nunc ergo prius illud attende, quemadmodum cum dicunt : « Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocet, et Christi justitia etiam non credentibus prodest, » absurdissimum utique et falsissimum judicant, ut Christi justitia etiam non credentibus prosit, unde putant confici, nec primi hominis peccatum parvulis non peccantibus nocere potuisse, sicut et Christi justitia prodesse ullis non credentibus non potest. Dicant itaque, Christi justitia quid baptizatis parvulis prosit :

[1] Rom. v, 12.

dicant omnino quod volunt. Profecto enim, si se Christianos esse meminerunt, aliquid prodesse non ambigunt. Quodlibet igitur prosit, prodesse, sicut etiam ipsi asserunt, non credentibus non potest. Unde coguntur parvulos baptizatos in credentium numero deputare, et auctoritati sanctæ ubique Ecclesiæ consentire, quæ fidelium eos nomine non censet indignos, quibus justitia Christi etiam secundum istos prodesse non nisi credentibus posset. Sicut ergo eorum per quos renascuntur, justitiæ spiritus responsione sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt : sic eorum per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt. Et sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generaverat peccatores : illa enim carnalis generatio est, hæc spiritalis : illa facit filios carnis, hæc filios spiritus : illa filios mortis, hæc filios resurrectionis ; illa filios sæculi, hæc filios Dei ; illa filios iræ, hæc filios misericordiæ ; ac per hoc illa peccato originali obligatos, ista omnis peccati vinculo liberatos.

III. Postremo ad id quod intellectu perspicacissimo assequi non valemus, auctoritate divina consentire cogamur. Bene quod ipsi nos admonent, justitiam Christi nisi credentibus prodesse non posse, et prodesse aliquid parvulis confitentur : unde, ut diximus, necesse est eos baptizatos in credentium numero sine ulla tergiversatione constituant. Consequenter igitur, si non baptizentur, inter eos qui non credunt, erunt ; ac per hoc nec vitam habebunt, sed ira Dei manet super eos ; quoniam « Qui » non credit Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet » super eum[1] : » et judicati sunt ; quoniam « Qui non » credit, jam judicatus est[2] : » et condemnabuntur ; quo-

[1] Joan. III, 36. — [2] Ibid. 18.

niam « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; » qui autem non crediderit, condemnabitur[1]. » Jam nunc videant isti, qua justitia tentent vel conentur asserere, non ad vitam æternam, sed ad iram Dei pertinere, et divinitus judicari atque damnari homines qui sine peccato sunt; si quemadmodum proprium, ita nullum in eis est etiam originale peccatum.

IV. Jam cæteris, quæ Pelagius insinuat eos dicere, qui contra originale peccatum disputant, in illis duobus prolixi mei operis libris satis quantum arbitror, dilucideque respondi. Quod etsi quibusdam vel parum vel obscurum videbitur, dent veniam, et componant cum eis, qui fortasse illud, non quia parum est, sed quia nimium, reprehendunt: et qui ea, quæ pro natura quæstionum dilucide dicta existimo, adhuc non intelligunt, non mihi calumnientur pro negligentia vel pro meæ facultatis indigentia, sed Deum potius pro accipienda intelligentia deprecentur.

V. Verumtamen nos non negligenter oportet attendere, istum, sicut cum qui noverunt loquuntur, bonum ac prædicandum virum, hanc argumentationem contra peccati propaginem, non ex propria intulisse persona, sed quid illi dicant qui eam non approbant intimasse, nec solum hoc quod modo proposui eique respondi, verumetiam cætera quibus me in illis libris jam respondisse recolui. Nam cum dixisset: « Si Adæ inquiunt, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo et Christi justitia etiam non credentibus prodest: » quod in iis quæ respondi, cernis quam non solum non expugnet quod dicimus, sed etiam nos admoneat quid dicamus; secutus adjunxit: « Deinde aiunt: Si baptismus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere

[1] Matth. xvi, 16.

peccato : non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt. Illud quoque accedit, inquit, quia si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantum habet traducem peccati, et ipsa sola pœnam meretur : injustum esse dicentes, ut hodie nata anima non ex massa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum. Dicunt etiam, inquit, nulla ratione concedi, ut Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena. »

VI. Vides-ne, obsecro, quemadmodum hoc totum Pelagius, non ex sua, sed ex aliorum persona indiderit scriptis suis, usque adeo sciens hanc nescio quam esse novitatem, quæ contra antiquam Ecclesiæ insitam opinionem sonare nunc cœperit, ut eam ipse confiteri aut verecundatus, aut veritus fuerit. Et forte hoc ipse non sentit, quod sine peccato nascatur homo, cui fatetur necessarium esse baptismum, in quo fit remissio peccatorum : et quod sine peccato damnetur homo, quem necesse est non baptizatum in non credentibus deputari; quia utique Scriptura evangelica fallere non potest, in qua apertissime legitur : « Qui non crediderit, condemna» bitur[1] : » postremo quod sine peccato imago Dei non admittatur ad regnum Dei, quoniam « Nisi quis renatus » fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum » Dei[2] : » atque ita vel in æternam mortem sine peccato præcipitetur, vel quod est absurdius, extra regnum Dei habeat vitam æternam; cum Dominus prædicens quid suis in fine dicturus sit, « Venite, benedicti Patris mei, » percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio » mundi[3], » manifestaverit etiam quid sit ipsum regnum quod dicebat, ita concludens : « Sic ibunt illi in am» bustionem æternam, justi autem in vitam æternam. » Hæc ergo et alia quæ istum sequuntur errorem, nimium

[1] Matth. xvi, 16. — [2] Joan. iii, 5. — [3] Matth. xxv, 34.

perversa et christianæ repugnantia veritati, credo quod vir ille tam egregie Christianus omnino non sentiat. Sed fieri potest, ut etiam istorum argumentis, qui contra peccati traducem sentiunt, adhuc fortasse ita moveatur, ut audire vel nosse quid contra eos dicatur, expectet : et ideo quid illi dicant, qui contra peccati traducem sentiunt, nec tacere voluit, ut quæstio discutienda insinuaretur, et a persona sua removit, ne hoc etiam ipse sentire judicaretur.

VII. Ego autem etsi refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum esse iis quæ in Scripturis sunt apertissima, ut ex his revelentur obscura; aut si mens nondum est idonea, quæ possit ea vel demonstrata cernere, vel abstrusa investigare, sine ulla hæsitatione credantur. Quid autem apertius tot tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissime apparet, nec præter Christi societatem ad vitam salutemque æternam posse quemquam hominum pervenire, nec divino judicio injuste posse aliquem damnari, hoc est, ab illa vita et salute separari? Unde fit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est, Christi corpori membrisque socientur; manifestum sit eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit, pertinere. Non autem damnari possent, si peccatum utique non haberent. Hoc quia illa ætas nulla in vita propria contrahere potuit, restat intelligere vel si hoc nondum possumus, saltem credere, trahere parvulos originale peccatum.

VIII. Ac per hoc si ambigui aliquid habent verba apostolica, quibus dicit : « Per unum hominem pecca» tum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita » in omnes homines pertransiit [1], » possuntque in aliam

[1] Rom. v, 12.

duci transferrique sententiam : numquid et illud ambiguum est, « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, » non potest intrare in regnum Dei[1] ? » Numquid et illud : « Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet » populum suum a peccatis eorum[2] ? » Numquid etiam illud : « Quia non est opus sanis medicus, sed ægrotan- » tibus[3] ? » hoc est, quia non est necessarius Jesus eis qui non habent peccatum, sed eis qui salvandi sunt a peccato? Numquid etiam illud : « Quia nisi manducave- » rint homines carnem ejus[4] ? » hoc est, participes facti fuerint corporis ejus, « Non habebunt vitam ? » His atque hujusmodi aliis, quæ nunc prætereo, testimoniis divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur ? Nonne veritas sine ulla dubitatione testatur, eos non ob aliud ad Jesum, hoc est, ad Salvatorem et ad medicum Christum piis gestantium manibus ferri, nisi ut per medicinam sacramentorum ejus possint a peccati peste sanari ? Quid ergo cunctamur Apostoli verba, de quibus forte dubitabamus, etiam ipsa sic intelligere, ut his congruant testimoniis, de quibus dubitare non possumus ?

IX. Quanquam toto ipso loco, ubi per unius peccatum multorum condemnationem, et per unius justitiam multorum justificationem Apostolus loquitur, nihil mihi videatur ambigui, nisi quod ait : « Adam formam fu- » turi[5]. » Hoc enim re vera non solum huic sententiæ convenit, qua intelligitur futuros ejus posteros ex eadem forma cum peccato esse generatos ; sed etiam in alios et

[1] Joan. III, 5. — [2] Matth. I, 21. — [3] Id. IX, 12. — [4] Joan. VI, 54 — [5] Rom. V, 14.

alios intellectus possunt hæc verba deduci. Nam et nos aliud inde aliquando diximus, et aliud fortasse dicemus, quod tamen huic intellectui non sit adversum[1] : et ipse Pelagius non uno modo id exposuit. Cætera vero quæ ibi dicuntur, si diligenter advertantur atque tractentur, sicut in primo duorum illorum libro utcumque conatus sum, etiamsi subobscurum pariunt rerum ipsarum necessitate sermonem, non tamen poterunt alium sensum habere, nisi per quem factum est, ut antiquitus universa Ecclesia retineret, fideles parvulos originalis peccati remissionem per Christi baptismum consecutos.

X. Unde non immerito beatus Cyprianus satis ostendit, quam hoc ab initio creditum et intellectum servet Ecclesia[2] : qui cum parvulos a materno utero recentissimos jam idoneos ad percipiendum Christi baptismum assereret, quoniam consultus fuerat, utrum hoc ante octavum diem fieri deberet : quantum potuit, conatus est, eos demonstrare perfectos ; ne quis quasi pro numero dierum, quia octavo antea circumcidebantur infantes, eos adhuc perficiendos existimaret. Sed cum magnum eis defensionis patrocinium præstitisset, ab originali tamen peccato eos immunes non esse confessus est : quia si hoc negaret, ipsius baptismi causam, propter quem percipiendum eos defendebat, auferret. Potes ipsam Epistolam memorati Martyris de baptizandis parvulis legere, si volueris : neque enim potest deesse Carthagini. Verum in hanc etiam nostram, quantum præsenti quæstioni satis visum est, pauca inde transferenda arbitratus sum, quæ prudenter attende. « Quantum vero, inquit, ad causam

[1] Vide supra lib. 1. c. 11. et epist. 157. et lib. 2. de nuptiis. c. 27. et lib. 6. cont. Julian. c. 4. — [2] Cyprianus epist. 64. ad Fidum. V. August. epist. 166. et lib. 2. de nuptiis, c. 29. et lib. 2 cont. Julian. cap. 3. et l. 4. ad Bonifac. c. 3. et Serm. 294.

infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sunt constitutos, baptizari non oportere, et considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem cum qui natus est baptizandum et sanctificandum non putares; longe aliud in concilio nostro visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit; sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat, « Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed » salvare [1] : » quantum in nobis est, si fieri potuerit, nulla anima perdenda est. » Advertis-ne quid dicat quemadmodum sentiat, non tantum carni, sed animæ quoque infantis exitiabile esse atque mortiferum, sine illo salutari sacramento exire de hac vita? Unde si jam nihil aliud diceret, intelligere nostrum fuit, sine peccato animam perire non posse. Sed vide paulo post defendens innocentiam parvulorum, quid tamen de illis apertissime fateatur. « Cæterum si homines, inquit, impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos et provectos et majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem si etiam gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et baptismo atque gratia nemo prohibetur : quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. »

XI. Vides quanta fiducia ex antiqua et indubitata fidei regula vir tantus ista loquatur? Qui hæc documenta cer-

[1] Luc. IX, 56.

tissima ideo protulit, ut illud quod erat incertum, unde consuluerat ille cui rescribit, et unde concilii decretum constitutum esse commemorat, ut scilicet etiam ante octavum diem ex quo die natus esset infans, eum, si afferretur, baptizare nemo dubitaret, per hæc firmamenta probaretur. Neque enim hoc tunc quasi novum aut quasi aliqua cujusquam contradictione pulsatum, concilio statuebatur seu firmabatur, quod obstricti originali peccato tenerentur infantes: sed cum illic alia consultatio versaretur, et disceptaretur, propter legem carnalis circumcisionis, utrum eos et ante octavum diem baptizare oporteret; ideo ei qui hoc negabat, nemo consensit, quia jam non consulendum nec disceptandum, sed firmum certumque habebatur, animam saluti æternæ perituram, si hanc vitam sine illius sacramenti consecutione finiret: quamvis ab utero recentissimi parvuli solo reatu essent peccati originalis obstricti: quare illis etsi multo facilior, quod alienorum, sed tamen esset necessaria remissio peccatorum. His certis illa incerta de octavo die quæstio dissoluta est, atque in concilio judicatum, homini nato, ne in æternum pereat, omni die debere succurri; cum etiam de ipsa carnali circumcisione ratio redderetur, quod umbra esset futuri: non quo intelligeremus etiam baptismum octavo ex quo natus est homo die dari oportere, sed nos in Christi resurrectione spiritaliter circumcidi, qui tertio quidem post diem passionis, in diebus tamen hebdomadarum, quibus tempora provolvuntur, octavo, hoc est, post sabbatum primo die a mortuis resurrexit.

XII. Et nunc nescio cujus novæ disputationis audacia quidam nobis facere conantur incertum, quod majores nostri ad dissolvenda quædam quæ nonnullis videbantur incerta, tanquam certissimum proferebant. Quando

enim primitus hoc disputari cœperit, nescio. Illud tamen scio, quod etiam sanctus Hieronymus, qui hodieque in litteris Ecclesiasticis tam excellentis doctrinæ fama ac labore versatur, ad quasdam solvendas in suis libris quæstiones, etiam hoc certissimum adhibet sine ulla disceptatione documentum. Nam in eo quod in Jonam prophetam scripsit[1], cum ad eum venisset locum, ubi commemorantur etiam parvuli jejunio castigati : « Major, inquit, ætas incipit, et usque ad minorem pervenit. « Nullus enim absque peccato, nec si unius quidem diei » fuerit vita ejus, et numerabiles anni vitæ illius[2]. » Si enim stellæ mundæ non sunt in conspectu Dei, quanto magis vermis et putredo, et ii qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii[3] ? » Hunc doctissimum virum si facile interrogare possemus, quam multos utriusque linguæ divinarum Scripturarum tractatores et christianarum disputationum scriptores commemoraret, qui non aliud, ex quo Christi Ecclesia est constituta, senserunt, non aliud a majoribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt? Ego quidem quamvis longe pauciora legerim, non memini me aliud audivisse a Christianis, qui utrumque accipiunt Testamentum, non solum in catholica Ecclesia, verum etiam in qualibet hæresi vel schismate constitutis; non memini me aliud legisse apud eos, quos de his rebus aliquid scribentes legere potui, qui Scripturas canonicas sequerentur, vel sequi se crederent, credive voluissent. Unde nobis hoc negotium repente emerserit nescio. Nam ante parvum tempus a quibusdam transitorie colloquentibus (13), cursim mihi aures perstrictæ sunt, cum illic apud Carthaginem essemus, « Non ideo parvulos baptizari, ut remissionem accipiant

[1] Vide Hieron. super 3. cap. Jon. — [2] Job. xxv, 4, juxta LXX. — [3] Id. xiv, 5.

peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo. » Qua novitate permotus, et quia oportunum non fuit ut contra aliquid dicerem, et non tales homines erant de quorum essem auctoritate sollicitus, facile hoc in transactis atque abolitis habui. Et ecce (contra Ecclesiam) jam studio flammante defenditur, ecce scribendo etiam memoriæ commendatur, ecce res in hoc discriminis adducitur, ut hinc etiam a fratribus consulamur, ecce contra disputare atque scribere cogimur.

XIII. Ante paucos annos Romæ quidam extitit Jovinianus, qui sanctimonialibus etiam ætate jam provectioribus nuptias persuasisse dicitur, non illiciendo quo earum aliquam dicere vellet uxorem. sed disputando virgines sanctimonio dicatas nihil amplius fidelibus conjugatis apud Deum habere meritorum. Nunquam tamen ei hoc commentum venit in mentem, ut asserere conaretur sine originali peccato nasci hominum filios. Et utique si hoc astrueret, multo proclivius vellent fœminæ nubere, fœtus mundissimos parituræ. Hujus sane scripta, nam et scribere ausus est, cum fratres ad Hieronymum refellenda misissent[1], non solum in eis nihil tale comperit, verum etiam ad quædam ejus vana refutanda hoc tanquam certissimum de hominis originali peccato, unde utique nec ipsum dubitare credebat, inter multa sua documenta deprompsit. Id agentis hæc verba sunt : « Qui dicit se, inquit, in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Eligat adversarius e duobus quod vult, optionem ei damus. Manet in Christo[2], an non manet? Si manet, ita ergo ambulet ut Christus. Si autem temerarium est, similitudinem virtutum Domini polliceri, non manet in Christo, quia non ingreditur ut Christus. Ille peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore

[1] Hieronymus l. 2. cont. Jovinian., paulo post initium. — [2] 1 Joan. II, 6.

ejus, qui cum malediceretur, non remaledixit, et tanquam agnus coram tondente, sic non aperuit os suum[1], ad quem venit princeps mundi istius, et invenit in eo nihil[2]; qui cum peccatum non fecisset, pro nobis peccatum eum fecit Deus[3]. Nos autem, juxta Epistolam Jacobi[4], multa peccamus omnes, et nemo mundus a peccatis, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus[5]. Quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut quis confidet mundum se esse a peccatis? Tenemurque rei in similitudinem prævaricationis Adam. Unde et David dicit, « Ecce in iniqui-» tatibus conceptus sum, et in delictis concepit me ma-» ter mea[6]. »

XIV. Hæc non ideo commemoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tanquam canonica auctoritate nitamur; sed ut appareat, ab initio usque ad præsens tempus quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis qui dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quam id tanquam falsum refutari ab aliquo tentaretur. Cæterum in sanctis canonicis libris viget hujus sententiæ clarissima et plenissima auctoritas: clamat Apostolus: « Per unum hominem » peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, » et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes pec-» caverunt[7]. » Unde nec illud liquide dici potest, quod peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cum Scriptura dicat, « In quo omnes peccaverunt. » Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tanquam omnino ad parvulos non pertineant: si quidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita vi qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt: sed dicuntur aliena,

[1] Isaï LIII, 9. — [2] Joan. XIV, 30. — [3] 2 Cor. V, 21. — [4] Jacob. III, 2. — [5] Job. XIV, 5. — [6] Psal. L, 7. — [7] Rom. V, 12.

quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat.

XV. « Nulla, inquiunt, ratione conceditur, ut Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena. » Remittit, sed spiritu regeneratis, non carne generatis : imputat vero non jam aliena, sed propria. Aliena quippe erant, quando hi qui ea propagata portarent, nondum erant : nunc vero carnali generatione jam eorum sunt, quibus nondum spiritali generatione dimissa sunt.

XVI. « Sed si baptismus, inquiunt, mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato. Non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt. » Ecce unde plerumque convalescit error, cum homines idonei sunt his rebus interrogandis, quibus intelligendis non sunt idonei. Cui enim auditori, vel quibus explicem verbis, quomodo mortalia vitiosa primordia non obsint eis, qui aliis primordiis immortalibus inchoati sunt ; et tamen obsint eis, quos iidem ipsi, quibus jam non obsunt, ex eisdem vitiosis primordiis generaverint : quomodo id intelligat homo, cujus tardiusculam mentem impedit et suæ sententiæ præjudicium, et pervicaciæ gravissimæ vinculum? Verumtamen si adversus eos mihi esset causa ista suscepta, qui omnino parvulos baptizari prohibent, aut superfluo baptizari contendunt, dicentes eos ex fidelibus natos, parentum meritum necessario consequi : tunc deberem ad hanc opinionem convincendam laboriosius fortassis et operosius excitari. Tunc si mihi apud obtusos et contentiosos, propter rerum naturæ obscuritatem, difficultas refellendi falsa et persuadendi vera resisteret, ad hæc forte quæ in usu atque in promptu essent exempla confugerem : vicissimque interrogarem, ut quia eos

moveret, quomodo peccatum quod mundatur per baptismum, maneat in eis quos genuerint baptizati; ipsi explicarent quomodo præputium, quod per circumcisionem aufertur, maneat in eis quos genuerint circumcisi; quomodo etiam palea, quæ opere humano tanta diligentia separatur, maneat in fructu qui de purgato tritico nascitur.

XVII. His et talibus forsitan utcumque conarer exemplis persuadere hominibus, qui mundationis sacramenta superfluo filiis mundatorum crederent adhiberi, quam recto consilio baptizatorum parvuli baptizentur; quamque fieri possit, ut homini habenti utrumque semen, et mortis in carne, et immortalitatis in spiritu, non obsit regenerato per spiritum, quod obest ejus filio generato per carnem; sitque in isto remissione mundatum, quod sit etiam in illo simili remissione, velut circumcisione, velut trituratione ac ventilatione, mundandum. Nunc vero, quandoquidem cum eis agimus, qui confitentur baptizatorum filios baptizandos; quanto melius sic agimus, ut dicamus, Vos qui asseritis, de hominibus a peccati labe mundatis sine peccato nasci filios debuisse, cur non attenditis, eo modo vobis posse dici, de Christianis parentibus Christianos nasci filios debuisse? Cur ergo eos Christianos fieri debere censetis? Numquid in eorum parentibus corpus Christianum non erat, quibus dictum est, « Nescitis quia corpora vestra membra sunt » Christi[1]? » An forte corpus quidem Christianum de Christianis parentibus natum est, sed non Christianam animam accepit? Hoc vero multo est mirabilius: namque utrumlibet de anima sentiatis, quia profecto cum Apostolo non eam creditis antequam nasceretur aliquid egisse boni aut mali; aut de traduce attracta est, et similiter ut corpus de Christianis Christianum, anima etiam Chris-

[1] 1 Cor. VI, 5.

tiana esse debuit ; aut a Christo creata, vel in Christiano corpore, vel propter Christianum corpus, Christiana debuit seu creari seu mitti. Nisi forte dicetis, Christianos homines Christianum corpus gignere potuisse, et ipsum Christum animam Christianam non potuisse procreare. Cedite itaque veritati, et videte quia sicut fieri potuit, quod et vos fatemini, ut de Christianis non Christianus, de membris Christi non membrum Christi: atque ut occurramus etiam omnibus, qui licet falso, tamen quocumque religionis nomine detinentur, de consecratis non consecratus; ita etiam fieri, ut de mundatis non mundatus nascatur. Quid respondebitis, quare de Christianis non Christianus nascatur, nisi quia non facit generatio, sed regeneratio Christianos? Hanc igitur vobis reddite rationem, quia similiter a peccatis nemo nascendo, sed omnes renascendo mundatur. Ac per hoc de hominibus ideo mundatis, quoniam renatis, homo qui nascitur renascatur, ut etiam ipse mundetur. Potuerunt enim parentes ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt; non solum sicut frumenta paleam, et præputium circumcisus : sed etiam, quod et vos dicitis, fideles infidelitatem in posteros trajiciunt; quod non est jam illorum per spiritum regeneratorum, sed quo in carne generati sunt, mortalis seminis vitium. Nam utique quos parvulos per sacramentum fidelium fideles faciendos esse judicatis, infideles natos ex parentibus fidelibus non negatis.

XVIII. At enim, « si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantum habet traducem peccati, et ipsa sola pœnam meretur : » hoc enim sentiunt, « injustum esse dicentes, ut hodie nata anima non ex massa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum. » Attende, obsecro te, quemadmodum circumspectus vir Pelagius,

(nam ex ejus libro hæc quæ modo posui verba transcripsi,) sentit quam in difficili de anima quæstione versetur. Non enim ait, quia anima non est ex traduce : sed, « Si anima non est ex traduce : » rectissime faciens de re tam obscura, de qua nulla in Scripturis sanctis certa et aperta testimonia possumus invenire, aut difficillime possumus, cunctanter loqui potius quam fidenter. Quapropter ego quoque huic propositioni non præcipiti assertione respondeo : Si anima non est ex traduce, ergo quæ ista justitia est, ut recens creata et ab omni delicto prorsus immunis, ab omni peccati contagione penitus libera, passiones carnis diversosque cruciatus, et quod est horribilius, etiam dæmonum incursus in parvulis sustinere cogatur ? Neque enim aliquid horum caro sic patitur, ut non ibi anima potius quæ vivit ac sentit, pœnas luat. Hoc enim si justum ostenditur, sic etiam ostendi potest qua justitia in carne quoque peccati subeat originale peccatum, baptismatis sacramento et gratiæ miseratione mundandum. Si autem illud ostendi non potest, neque hoc posse arbitror. Aut ergo utrumque occultum feramus, et nos homines esse meminerimus ; aut alias aliud de anima opus, si necesse videbitur, cautela sobria disputando moliamur.

XIX. Nunc tamen illud quod ait Apostolus : « Per » unum hominem peccatum intravit in mundum, et per » peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, » in quo omnes peccaverunt[1] : sic accipiamus, ne tot tantisque apertissimis divinarum Scripturarum testimoniis, quibus docemur præter Christi societatem, quæ in illo et cum illo fit, cum sacramentis ejus imbuimur, et ejus membris incorporamur, vitam salutemque æternam adipisci neminem posse, nimis insipienter atque infelici-

[1] Rom. v, 12.

ter repugnare judicemur. Neque enim alio sensu dictum est ad Romanos, « Per unum hominem peccatum in » mundum intravit, et per peccatum mors, atque ita » in omnes homines pertransiit: » quam illo quo dictum est ad Corinthios, « Per hominem mors, et per homi- » nem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam om- » nes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabun- » tur[1]. » Nemo quippe ambigit, hoc ibi de corporis morte dictum, quoniam de resurrectione corporis magna Apostoli intentione quæstio versabatur : et ideo videtur ibi de peccato tacuisse, quia non erat quæstio de justitia. Hic autem ad Romanos utrumque posuit, et utrumque diutissime commendavit, peccatum in Adam, justitiam in Christo ; et mortem in Adam, et vitam in Christo: quæ omnia verba sermonis Apostolici, quantum potui satisque visum est, in primo, ut jam dixi, duorum illorum libro perscrutatus aperui.

XX. Quanquam etiam ibi ad Corinthios locum ipsum de resurrectione diu tractatum sic in fine concluserit, ut nos dubitare non sineret, mortem quoque corporis merito accidisse peccati. Cum enim dixisset: « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, » et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem » corruptibile hoc indutum fuerit incorruptionem, et » mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet, in- » quit, sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in vic- » toriam. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, acu- » leus tuus? » Deinde subjecit, « Aculeus autem mortis » est peccatum, virtus vero peccati lex[2]. » Quia ergo, sicut Apostoli apertissima verba declarant, eo absorbebitur mors in victoriam, quo corruptibile et mortale hoc induet incorruptionem et immortalitatem, id est, quo

[1] 1 Cor. xv, 21. — [2] Ibid. 53-56.

vivificabit Deus et mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis [1] : manifestum est et hujus mortis corporis, quæ resurrectioni corporis contraria est, aculeum fuisse peccatum : aculeum autem quo mors facta est, non quem mors fecit : peccato enim morimur, non morte peccamus. Sic itaque dictum est, aculeus mortis, quomodo lignum vitæ, non quod hominis vita faceret, sed quo vita hominis fieret : et quomodo lignum scientiæ, per quod scientia fieret hominis, non quod per suam scientiam fecerit homo. Sic ergo et aculeus mortis, quo mors facta est, non quem mors fecit. Sic enim dicimus, et poculum mortis, quo aliquis mortuus sit, vel mori possit, non quod moriens mortuusve confecerit. Aculeus itaque mortis peccatum est, peccati punctu mortificatum est genus humanum. Quid adhuc quærimus cujus mortis, utrum animæ, an corporis? utrum primæ qua nunc omnes morimur, an secundæ quà tunc impii morientur? Nulla causa est exagitandi quæstionem, nullus tergiversandi locus, Apostoli verba quibus id agebat, interrogata respondent : « Cum mor» tale hoc, inquit, induerit immortalitatem, tunc fiet » sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. » Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus? » Aculeus autem mortis est peccatum, virtus vero pec» cati lex. » De resurrectione corporis agebat, qua absordebitur mors in victoriam, cum mortale hoc induerit immortalitatem. Tunc ipsi morti insultabitur, quæ in victoriam resurrectione corporis absorbebitur. Tunc ei dicetur, « Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, » aculeus tuus? » Morti ergo corporis hoc dicetur. Hanc enim absorbebit victoriosa immortalitas, cum mortale hoc immortalitatem induetur. Morti, inquam, corporis

[1] Rom. VIII, 11.

hoc dicetur : « Ubi est victoria tua , » qua omnes sic viceras, ut etiam Dei Filius tecum confligeret, teque non vitando, sed suscipiendo superaret? Vicisti in morientibus, victa es in resurgentibus. Victoria tua qua absorbueras corpora morientium, temporalis fuit : victoria nostra, qua in corporibus absorpta es resurgentium, æterna constabit. « Ubi est aculeus tuus ? » hoc est, peccatum, quo puncti et venenati sumus, ut te etiam in nostris corporibus figeres, et ea tam longo tempore possideres? « Aculeus autem mortis est peccatum, virtus » vero peccati lex. » Peccavimus in uno omnes, ut moreremur in uno omnes : accepimus legem, non ut emendatione finiremus peccatum, sed ut transgressione augeremus. « Lex enim subintravit ut abundaret peccatum[1], » et conclusit Scriptura omnia sub peccato[2]. Sed Deo » gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nos- » trum Jesum Christum[3], ut ubi abundavit peccatum, » superabundaret gratia[4], atque ut promisso ex fide Jesu » Christi daretur credentibus[5], » et vinceremus mortem per immortalem resurrectionem, et aculeum ejus peccatum per gratuitam justificationem.

XXI. Nemo itaque de hac re fallatur et fallat. Omnes adimit atque aufert iste sanctæ Scripturæ sensus manifestus ambages, quemadmodum ab origine trahitur mors in corpore mortis hujus, sic ab origine tractum est peccatum in hac carne peccati ; propter quod sanandum, et propagine attractum, et voluntate auctum, atque ad ipsam carnem resuscitandam, medicus venit in similitudine carnis peccati; qui non est opus sanis, sed ægrotantibus[6] ; nec venit vocare justos, sed peccatores. Proinde quod ait Apostolus, cum fideles moneret ut se ab

[1] Rom. v, 20. — [2] Galat. III, 22. — [3] 1 Cor. XV, 57. — [4] Rom. V, 20. — [5] Galat. III, 22. — [6] Marc. II, 17.

infidelibus conjugibus non disjungerent, « Sanctificatus » est enim vir infidelis in uxore, et sanctificata est mulier » infidelis in fratre; alioquin filii vestri immundi essent, » nunc autem sancti sunt[1] : » aut sic est accipiendum, quemadmodum et nos alibi[2], et Pelagius cum eamdem ad Corinthios Epistolam tractaret (14), exposuit, quod exempla jam præcesserant, et virorum quos uxores, et fœminarum quas mariti lucrifecerant Christo, et parvulorum ad quos faciendos Christianos voluntas christiana etiam unius parentis evicerat : aut si, quod magis verba Apostoli videntur sonare et quodam modo cogere, aliqua illic intelligenda est sanctificatio, qua sanctificabantur vir et mulier infidelis in conjuge fideli, et qua sancti nascebantur filii fidelium, sive quia in menstruo cruore mulieris, a concubitu continebat, quicumque vir vel fœmina id in lege didicerat; nam hoc Ezechiel inter illa præcepta ponit[3], quæ non figurate accipienda sunt : sive propter aliam quamlibet, quæ ibi aperte posita non est, ex ipsa necessitudine conjugiorum atque filiorum sanctitatis asperginem : illud tamen sine dubitatione tenendum est, quæcumque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi christiana et ecclesiastica institutione sacramentis efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles, quamlibet sanctis et justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ a regno Dei separatos in damnationem venire compellit; nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati, originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati; pro quibus tanto impensius loqui debemus, quanto pro se ipsi minus possunt.

XXII. Id enim agit illa disputatio, contra cujus novi-

[1] 1 Cor. VII, 14. — [2] Lib. I. de sermone Domini in monte, c. 16. — [3] Ezech. XVIII, 6.

tatem antiqua veritate nitendum est, ut infantes omnino superfluo baptizari videantur. Sed aperte hoc non dicitur, ne tam firmata salubriter Ecclesiæ consuetudo violatores suos ferre non possit. Sed si pupillis opem ferre præcipimur, quanto magis pro istis laborare debemus, qui destitutiores et miseriores pupillis etiam sub parentibus remanebunt, si eis Christi gratia denegabitur, quam per se ipsi flagitare non possunt.

XXIII. Illud autem quod diçunt, sine ullo peccato aliquos homines jam ratione utentes, in hoc sæculo vixisse vel vivere : optandum est ut fiat, conandum est ut fiat, supplicandum est ut fiat; non tamen quasi factum fuerit confitendum. Hoc enim optantibus et conantibus et digna supplicatione deprecantibus, quidquid remanserit peccatorum, per hoc quotidie solvitur, quod veraciter in oratione dicimus : « Dimitte nobis debita nos» tra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris[1]. » Quam orationem quisquis cuilibet homini sancto et Dei voluntatem scienti atque facienti, præter unum Sanctum Sanctorum, dicit in hac vita necessariam non fuisse, multum errat, nec potest omnino illi ipsi placere quem laudat : si autem se ipsum talem putat, ipse se decipit[2], et veritas in eo non est; non ob aliud, nisi quia falsum putat. Novit ergo ille medicus, qui non est opus sanis, sed ægrotantibus, quemadmodum nos curando perficiat in æternam salutem : qui et ipsam mortem, quamvis peccati merito inflicta sit, non aufert in hoc sæculo eis, quibus peccata dimittit, ut etiam cum ejus timore superando suscipiant pro fidei sinceritate certamen : et in quibusdam etiam justos suos, quoniam adhuc extolli possunt, non adjuvat ad perficiendam justitiam, ut dum non justificatur in conspectu ejus omnis vivens[3], actio-

[1] Matth. VI, 12. — [2] I Joan. I, 8. — [3] Psal. CXLII, 2.

nem gratiarum semper indulgentiæ ipsius debeamus; et sic ab illa prima causa omnium vitiorum, hoc est, a tumore superbiæ sancta humilitate sanemur. Hanc Epistolam dum dispositio mea brevem parturit, liber prolixus est natus, utinam tam perfectus, quam tandem aliquando finitus.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE SPIRITU ET LITTERA,

AD MARCELLINUM

LIBER UNUS [1].

Marcellino scribente se permotum eo, quod in superiori opere legisset, fieri posse ut sit homo in hac vita sine peccato, si velit, adjutus a Deo; nec ullum tamen usquam in hominibus tam perfectæ justitiæ exemplum extare : hanc Augustinus occasionem arripit disputandi contra Pelagianos de adjutorio gratiæ Dei, ostenditque non in eo nos divinitus adjuvari ad operandam justitiam, quod legem Deus dedit plenam bonis sanctisque præceptis, sed quod ipsa voluntas nostra, sine qua operari bonum non possumus, adjuvetur et erigatur impertito spiritu gratiæ, sine quo adjutorio doctrina legis littera est occidens, quia reos potius prævaricationis tenet, quam justificat impios. Inde ad propositam quæstionem, quam solvere incipit in principio libri, rediens iterum in fine, demonstrat multa esse nemine diffitente possibilia cum Dei auxilio, quorum nullum usquam extet exemplum : atque ita sine exemplo esse in hominibus perfectam justitiam, et tamen impossibilem non esse concludit [2].

I. Lectis opusculis [3], quæ ad te nuper elaboravi, fili charissime Marcelline, de baptismo parvulorum, et de

[1] Scriptus sub finem anni 412. — [2] Vide Retract. lib. 2, cap. 37. — [3] Vide D. Guillon, tom. XXII, p. 201-208.

perfectione justitiæ hominis, quod eam nemo in hac vita vel assecutus, vel assecuturus videatur, excepto uno Mediatore, qui humana perpessus est in similitudine carnis peccati, sine ullo omnino peccato : rescripsisti te moveri eo, quod in posteriore duorum libro fieri posse dixi, ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit ope adjuvante divina, et tamen præter unum in quo omnes vivificabuntur[1], neminem fuisse vel fore in quo hic vivente esset ista perfectio. Absurdum enim tibi videtur dici aliquid fieri posse cujus desit exemplum, cum sicut credo non dubites, nunquam esse factum, ut per foramen acus camelus transiret[2], et tamen ille hoc quoque dixit Deo esse possibile : legas etiam duodecim millia legiones angelorum pro Christo, ne pateretur[3], pugnare potuisse, nec tamen factum : legas fieri potuisse, ut semel gentes exterminarentur a terra quæ dabatur filiis Israël[4], Deum tamen paulatim fieri voluisse[5] : et alia sexcenta possunt occurrere, quæ fieri, vel potuisse, vel posse fateamur, et eorum tamen exempla quod facta sint proferre nequeamus. Unde non ideo negare debemus, fieri posse ut homo sine peccato sit, quia nullus est hominum, præter illum qui non tantum homo, sed etiam natura Deus est, in quo id esse perfectum demonstrare possimus.

II. Hic fortasse respondeas, ista quæ commemoravi facta non esse, et fieri potuisse, opera esse divina ; ut autem sit homo sine peccato, ad opus ipsius hominis pertinere, idque opus esse optimum, quo fiat plena et perfecta et ex omni prorsus parte absoluta justitia : et ideo non esse credendum, neminem vel fuisse, vel esse, vel fore in hac vita qui hoc opus impleverit, si ab homine impleri potest. Sed cogitare debes, quamvis ad hominem

[1] 1 Cor. xv, 22. — [2] Matth. xix, 24. — [3] Id. xxvi, 53. — [4] Deut. xxxi, 3. — [5] Judic. ii, 3.

id agere pertineat, hoc quoque munus esse divinum, atque ideo non dubitare opus esse divinum : « Deus est » enim qui operatur in vobis, ait Apostolus, et velle et » operari pro bona voluntate[1]. »

III. Proinde non multum molesti sunt, et instandum est eis, ut si possunt, ostendant ita esse, qui dicunt vivere hic hominem, sive vixisse sine ullo omnino peccato. Nam si testimonia Scripturarum, quibus existimo definitum, nullum hominem hic viventem, quamvis utatur libero arbitrio, inveniri sine peccato, sicuti est : « Ne » intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justifi- » cabitur in conspectu tuo omnis vivens[2], » et cætera talia quisquam docere potuerit aliter accipienda quam sonant, et demonstraverit aliquem vel aliquos sine ullo hic vixisse peccato, qui non ei, non solum minime adversatus, verumetiam plurimum gratulatus fuerit, non mediocribus invidentiæ stimulis agitatur. Quin etiamsi nemo est, aut fuit, aut erit, quod magis credo, tali puritate perfectus, et tamen esse, aut fuisse, aut fore defenditur et putatur; quantum ego judicare possum, non multum erratur[3], nec perniciose, cum quadam quisque benevolentia fallitur : si tamen qui hoc putat, se ipsum talem esse non putet, nisi re vera ac liquido talem se esse perspexerit.

IV. Sed illis acerrime ac vehementissime resistendum est, qui putant sine adjutorio Dei per se ipsam vim voluntatis humanæ vel justitiam posse perficere, vel ad eam tenendo proficere : et cum urgeri cœperint, quomodo id præsumant asserere fieri sine ope divina, reprimunt se, nec hanc vocem audent emittere, quoniam vident quam sit impia, et non ferenda. Sed aiunt, ideo ista sine ope divina non fieri, quia et hominem Deus creavit cum

[1] Philip. II, 13. — [2] Psal. CXLII, 2. — [3] Confer lib. 4. ad Bonif. cap. 10.

libero voluntatis arbitrio, et dando præcepta ipse docet quemadmodum homini sit vivendum; et in eo utique adjuvat, quod docendo aufert ignorantiam, ut sciat homo in operibus suis quid evitare, et quid appetere debeat; quo per liberum arbitrium naturaliter insitum, viam demonstratam ingrediens, continenter et juste et pie vivendo ad beatam eamdemque æternam vitam pervenire mereatur.

V. Nos autem dicimus humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam qua ei præcipitur quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio dilectioque summi illius atque incommutabilis boni quod Deus est, etiam nunc cum adhuc per fidem ambulatur, nondum per speciem[1]: ut hac sibi velut arrha data gratuiti muneris inardescat inhærere Creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis; ut ex illo ei bene sit, a quo habet ut sit. Nam neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: et cum id quod agendum et quo nitendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris[2], non per arbitrium liberum quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

VI. Doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus continenter recteque vivendi, littera est occidens, nisi adsit vivificans spiritus. Neque enim solo illo modo intelligendum est quod legimus: « Littera occidit, spiritus » autem vivificat[3]; » ut aliquid figurate scriptum, cujus

[1] 2 Cor. v, 7. — [2] Rom. v, 5. — [3] 1 Cor. III, 6.

est absurda proprietas, non accipiamus sicut littera sonat, sed aliud quod significat intuentes, interiorem hominem spiritali intelligentia nutriamus : quoniam « Sapere se- » cundum carnem mors est ; sapere autem secundum spi- » ritum vita et pax[1]. » Velut si quisquam multa quæ scripta sunt in Cantico canticorum carnaliter accipiat, non ad luminosæ charitatis fructum, sed ad libidinosæ cupiditatis affectum. Non ergo solo illo modo intelligendum est quod ait Apostolus : « Littera occidit, spiritus » autem vivificat : » sed etiam illo, eoque vel maxime, quo apertissime alio loco dicit : « Concupiscentiam nes- » ciebam, nisi lex diceret : Non concupisces[2]. » Et paulo post ait : « Occasione accepta peccatum per mandatum » fefellit me, et per illud occidit. » Ecce quid est : « Lit- » tera occidit. » Et utique non figurate aliquid dicitur, quod accipiendum non sit secundum litteræ sonum, cum dicitur : « Non concupisces : » sed apertissimum salu- berrimumque præceptum est, quod si quis impleverit, nullum habebit omnino peccatum. Nam hoc ideo elegit Apostolus generale quiddam, quo cuncta complexus est, tanquam hæc esset vox legis ab omni peccato prohiben- tis, quod ait : « Non concupisces : » neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur : proinde quæ hoc præcipit, bona et laudabilis lex est. Sed ubi sanctus non adjuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris[3], profecto illa lex, quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum : sicut aquæ impe- tus si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice opposito, cujus molem cum evicerit, majore cumulo præcipitatus violentius per prona provolvitur. Nescio quo enim modo, hoc ipsum quod concupiscitur,

[1] Rom. VIII, 6. — [2] Id. VII, 7. — [3] Id. V, 5.

fit jucundius dum vetatur. Et hoc est quod fallit peccatum per mandatum, et per illud occidit, cum accedit etiam prævaricatio, quæ nulla est ubi lex non est.

VII. Sed totum ipsum apostolicæ Epistolæ locum, si placet, consideremus, et sicut Dominus adjuverit pertractemus. Volo enim, si potuero, demonstrare illud quod ait Apostolus : « Littera occidit, spiritus autem » vivificat, » non de figuratis locutionibus dictum, quamvis et illinc congruenter accipiatur; sed potius de lege aperte quod malum est prohibente. Quod cum ostendero, profecto manifestius apparebit, bene vivere donum esse divinum : non tantum quia homini Deus dedit liberum arbitrium, sine quo nec male nec bene vivitur; nec tantum quia præceptum dedit, quo doceat quemadmodum sit vivendum : sed quia per Spiritum sanctum diffundit charitatem in cordibus eorum, quos præscivit ut prædestinaret[1], prædestinavit ut vocaret, vocavit ut justificaret, justificavit ut glorificaret. Hoc autem cum apparuerit, videbis, ut existimo, frustra dici illa tantum esse possibilia sine exemplo, quæ Dei opera sunt; sicut de cameli transitu per foramen acus commemoravimus[2], et quæcumque alia sunt apud nos impossibilia, apud Deum autem facilia : et ideo non inter hæc humanam deputandam esse justitiam, quod non ad Dei, sed ad hominis opus pertinere debeat; cujus perfectio si est in hac vita possibilis, nullam esse causam cur sine exemplo esse credatur. Hoc ergo frustra dici, satis elucebit, cum et ipsam humanam justitiam operationi Dei tribuendam esse claruerit, quamvis non fiat sine hominis voluntate : et ideo ejus perfectionem etiam in hac vita esse possibilem, negare non possumus; quia omnia possibilia sunt Deo, sive quæ facit sola sua voluntate, sive quæ cooperantibus

[1] Rom, VIII, 29. — [2] Matth. XIX, 24.

reaturæ suæ voluntatibus a se fieri posse constituit[1]. Ac per hoc quidquid eorum non facit, sine exemplo est quidem in operibus factis, sed apud Deum et in ejus virtute habet causam qua fieri possit, et in ejus sapientia quare non factum sit : quæ causa etiamsi lateat hominem, non se obliviscatur esse hominem, nec propterea Deo det insipientiam, quia non plene capit ejus sapientiam.

VIII. Attende igitur Apostolum ad Romanos explicantem, satisque monstrantem quod scripsit ad Corinthios : « Littera occidit, Spiritus autem vivificat[2], » sic magis accipiendum, quemadmodum supra diximus ; quoniam legis littera quæ docet non esse peccandum, si Spiritus vivificans desit, occidit : sciri enim facit peccatum potius quam caveri, et ideo magis augeri quam minui, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit.

IX. Volens ergo Apostolus commendare gratiam, quæ per Jesum Christum omnibus gentibus venit, ne Judæi adversus cæteras gentes de accepta lege se extollerent, posteaquam dixit peccatum et mortem per unum hominem intrasse in genus humanum, et per unum hominem justitiam et vitam æternam, illum Adam, hunc Christum apertissime insinuans, ait : « Lex autem subintravit » ut abundaret delictum ; ubi autem abundavit delictum, » superabundavit gratia : ut quemadmodum regnavit » peccatum in mortem, sic et gratia regnet per justitiam » in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nos- » trum[3]. » Deinde opponens sibi ipse quæstionem : « Quid ergo dicemus, inquit? Permanebimus in peccato, » ut gratia abundet? Absit[4]. » Vidit enim a perversis perverse posse accipi quod dixerat : « Lex subintravit ut » abundaret delictum ; ubi autem abundavit delictum,

[1] Marc. x, 27. — [2] 2 Cor. III, 6. — [3] Rom. v, 20. — [4] Id. VI, 1.

» superabundavit gratia : » tanquam dixerit, propter abundantiam gratiæ prodesse peccatum. Hoc diluens, respondit : « Absit : » atque subjecit : « Qui mortui su- » mus peccato, quomodo vivemus in eo? » Hoc est, cum id præstiterit gratia, ut moreremur peccato, quid aliud faciemus, si vivemus in eo, nisi ut gratiæ simus ingrati? Neque enim qui laudat beneficium medicinæ, prodesse morbos dicit et vulnera, a quibus illa hominem sanat : sed quanto majoribus medicina laudibus prædicatur, tanto magis vituperantur et horrentur vulnera et morbi, a quibus liberat quæ ita laudatur. Sic laus et prædicatio gratiæ vituperatio et damnatio est delictorum. Demonstranda enim fuerat homini fœditas languoris ejus, cui contra iniquitatem suam nec præceptum sanctum et bonum profuit, quo magis aucta est iniquitas quam minuta; quandoquidem lex subintravit, ut abundaret delictum; ut eo modo convictus atque confusus, videret non tantum doctorem sibi esse necessarium, verumetiam adjutorem Deum, a quo ejus itinera dirigantur[1], ne dominetur ei omnis iniquitas, et confugiendo ad opem divinæ misericordiæ sanetur; atque ita ubi abundavit delictum, superabundet gratia, non peccantis merito, sed subvenientis auxilio.

X. Consequenter eamdem medicinam in passione et resurrectione Christi mystice demonstratam ostendit Apostolus, dicens : « An ignoratis, quoniam quicumque bap- » tizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati » sumus? Consepulti ergo sumus illi per baptismum in » mortem, ut quemadmodum surrexit Christus a mor- » tuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ am- » bulemus. Si enim complantati fuimus similitudini mortis » ejus, sed et resurrectionis erimus : hoc scientes, quia

[1] Psal. cxviii, 133.

» vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur » corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui » enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem » mortui sumus cum Christo, credimus quia simul vive- » mus cum illo; scientes quia Christus surgens a mortuis » jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur. » Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : » quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate vos » mortuos esse peccato, vivere autem Deo in Christo » Jesu[1]. » Nempe satis elucet mysterio Dominicæ mortis et resurrectionis figuratum vitæ nostræ veteris occasum, et exortum novæ, demonstratamque iniquitatis abolitionem renovationemque justitiæ. Unde igitur hoc tantum beneficium homini (per litteram legis) nisi per fidem Jesu Christi?

XI. Hæc cogitatio sancta servat filios hominum, in protectione alarum Dei sperantes, ut inebrientur ab ubertate domus ejus, et torrente voluptatis ejus potentur[2] : quoniam apud ipsum est fons vitæ, et in lumine ejus videbimus lumen : qui prætendit misericordiam suam scientibus eum, et justitiam suam iis qui recto sunt corde. Neque enim quia sciunt, sed etiam ut sciant eum, prætendit misericordiam suam : nec quia recti sunt corde, sed etiam ut recti sint corde, prætendit justitiam suam, qua justificat impium[3]. Hæc cogitatio non effert in superbiam; quod vitium oritur, cum sibi quisque præfidit, seque sibi ad vivendum caput facit. Quo motu receditur ab illo fonte vitæ, cujus solius haustu justitia bibitur, bona scilicet vita; et ab illo incommutabili lumine, cujus participatione anima rationalis quodam modo accenditur ut sit etiam ipsa factum creatumque lumen; sicut erat Joannes » Lucerna ardens et lucens[4]; » qui tamen unde

[1] Rom. VI, 3-10. — [2] Psal. XXXV, 8. — [3] Rom. IV, 5. — [4] Joan. V, 35.

luceret agnoscens, « Nos, inquit, de plenitudine ejus » accepimus[1]; » cujus, nisi illius utique in cujus comparatione Joannes non erat lumen? Illud enim « Erat » verum lumen quod illuminat omnem hominem venien» tem in hunc mundum[2]. » Proinde cum dixisset in eodem Psalmo : « Prætende misericordiam tuam scientibus » te, et justitiam tuam his qui recto sunt corde. Non ve» niat, inquit, mihi pes superbiæ, et manus peccatorum » non moveat me : ibi ceciderunt omnes qui operantur » iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare[3]. » Hac quippe impietate, qua tribuit sibi quisque quod Dei est, pellitur in tenebras suas, quæ sunt opera iniquitatis. Hæc enim plane ipse facit, et ad hæc implenda sibi est idoneus. Opera vero justitiæ non facit, nisi quantum ex illo fonte atque ex illo lumine percipit, ubi nullius indigens vita est, et ubi non est commutatio, nec momenti obumbratio[4].

XII. Ideo Paulus apostolus, qui cum Saulus prius vocaretur, non ob aliud[5], quantum mihi videtur, hoc nomen elegit, nisi ut se ostenderet parvum, tanquam minimum Apostolorum[6], multum contra superbos et arrogantes, et de suis operibus præsumentes, pro commendanda ista Dei gratia, fortiter atque acriter dimicans : quia revera in illo evidentior et clarior apparuit, qui cum talia operaretur vehementer Ecclesiam Dei persequens, pro quibus summo supplicio dignus fuit, misericordiam pro damnatione suscepit, et pro pœna consecutus est gratiam, merito pro ejus defensione clamat atque concertat, nec in re profunda et nimis abdita non intelligentium, et verba sua sana in perversum sensum detorquentium curat invidiam ; dum tamen incunctanter prædicet donum

[1] Joan. I, 16. — [2] Ibid. 9. — [3] Psal. XXXV, 11-23. — [4] Jacob. I, 17. — [5] Act. XIII, 9. Vide lib. 8. Confess. c. 4. — [6] 1 Cor. XV, 9.

Dei, quo uno salvi fiunt filii promissionis, filii beneficii divini, filii gratiæ et misericordiæ, filii Testamenti Novi. Primum quod omnis ejus salutatio sic se habet : » Gratia » vobis et pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo[1]. » Deinde ad Romanos pene ipsa quæstio sola versatur, tam pugnaciter, tam multipliciter, ut fatiget quidem legentis intentionem, sed tamen fatigatione utili ac salubri, ut interioris hominis magis exerceat membra, quam frangat.

XIII. Inde sunt quæ supra commemoravi. Inde est quod Judæum arguit, eumque dicit Judæum cognominari, et nequaquam id quod profitetur implere. « Si » autem tu, inquit, Judæus cognominaris, et requiescis » in lege, et gloriaris in Deo, et nosti voluntatem[2], et pro- » bas distantia ; instructus ex Lege, confidis te ipsum » ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris, » eruditorem insipientium, magistrum infantium, ha- » bentem formam scientiæ et veritatis in Lege. Qui ergo » alium doces, te ipsum non doces? qui prædicas non » furandum, furaris? qui dicis non adulterandum, adul- » teras? qui abominaris idola, sacrilegium facis? qui in » Lege gloriaris, per prævaricationem Legis Deum inho- » noras? Nomen enim Dei per vos blasphematur in gen- » tibus, sicut scriptum est. Circumcisio quidem pro- » dest[3], si Legem custodias : si autem prævaricator Legis » sis, circumcisio tua præputium facta est. Si igitur » præputium justitias Legis custodiat, nonne præputium » ejus in circumcisionem reputabitur, et judicabit quod » ex natura est præputium Legem perficiens, te qui per » litteram et circumcisionem prævaricator Legis es? Non » enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in ma- » nifesto in carne est circumcisio ; sed qui in abscondito

[1] Rom. I, 7 ; I Cor. I, 3, et Galat. I, 3. — [2] Τὰ διαφέροντα. — [3] Isaï. LII, 5.

» Judæus est, et circumcisio cordis in Spiritu, non lit-» tera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est[1]. » Hic manifestavit quemadmodum dixerit : « Gloriaris in » Deo. » Nam utique si vere talis Judæus gloriaretur in Deo, eo modo quo postulat gratia, quæ non operum meritis, sed gratuito datur, ex Deo esset laus ejus, non ex hominibus. Sed ita gloriabantur in Deo, velut qui soli meruissent Legem ejus accipere, secundum illam vocem Psalmi, qua dictum est : « Non fecit sic ulli genti, et ju-» dicia sua non manifestavit eis[2]. » Quam tamen Dei Legem sua justitia se arbitrabantur implere, cum magis ejus prævaricatores essent[3]. Unde illis iram operabatur, abundante peccato, quod ab scientibus perpetrabatur. Quia et quicumque faciebant quod Lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ : ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere : potiusque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset impune, committere. Circumcisionem autem cordis dicit, puram scilicet ab omni illicita concupiscentia voluntatem : quod non fit littera docente et minante, sed Spiritu adjuvante atque sanante. Ideo laus talium non ex hominibus, sed ex Deo est, qui per suam gratiam præstat unde laudentur, de quo dicitur : « In Domino laudabitur anima mea[4] : » et cui dicitur : « Apud te laus mea[5] : » non quales illi sunt qui Deum laudari volunt quod homines sunt, se autem quod justi sunt.

XIV. « Sed laudamus, inquiunt, et Deum nostræ jus-» tificationis auctorem in eo quod legem dedit, cujus in-» tuitu noverimus quemadmodum vivere debeamus. » Nec

[1] Rom. II, 17-25. — [2] Psal. CXLVII, 20. — [3] Rom. IV, 15. — [4] Psal. XXXIII, 3. — [5] Id. XXI, 26.

audiunt quod legunt : « Quia non justificabitur ex lege om-
» nis caro coram Deo [1]. » Potest enim fieri coram hominibus, non autem coram illo qui cordis ipsius et intimæ voluntatis inspector est, ubi videt, etiamsi aliud faciat qui legem timet, quid tamen mallet facere si liceret. Ac ne quisquam putaret hic Apostolum ea lege dixisse neminem justificari, quæ in sacramentis veteribus multa continet figurata præcepta, unde etiam ipsa est circumcisio carnis, quam die octavo accipere parvuli jussi sunt [2]; continuo subjunxit quam legem dixerit, et ait : « Per Legem
» enim cognitio peccati [3]. » Illa igitur lex est, de qua postea dicit : « Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam
» concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non con-
» cupisces [4]. » Nam quid est aliud, « Per legem enim
» cognitio peccati? »

XV. Hic forte dicat illa humana præsumptio, ignorans Dei justitiam, et suam volens constituere, merito dixisse Apostolum : « Quia ex lege nemo justificabitur [5] : » ostendit enim tantummodo lex quid faciendum quidve cavendum sit, ut quod illa ostenderit voluntas impleat, ac sic homo justificetur, non per legis imperium, sed per liberum arbitrium. Sed, o homo, attende quod sequitur : « Nunc au-
» tem, inquit, sine lege justitia Dei manifestata est, testi-
» ficata per legem et prophetas [6]. » Parum-ne insonat surdis? « Justitia, inquit, Dei manifestata est. » Hanc ignorant qui suam volunt constituere : huic nolunt esse subjecti. « Justitia, inquit, Dei manifestata est [7] : » non dixit, justitia hominis, vel justitia propriæ voluntatis; sed, « justitia Dei, » non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium. Hæc testificatur per legem et prophetas : huic quippe testimonium perhibent

[1] Rom. III, 20. — [2] Levit. XII, 3. — [3] Rom. III, 20. — [4] Id. VII, 7. — [5] Id. III, 20. — [6] Ibid. 21. — [7] Id. X, 3.

lex et prophetæ. Lex quidem, hoc ipso, quod jubendo et minando et neminem justificando satis indicat, dono Dei justificari hominem per adjutorium spiritus : prophetæ autem, quia id quod prædixerunt, Christi implevit adventus. Nam hinc sequitur et adjungit, dicens : « Justitia » autem Dei per fidem Jesu Christi[1], » hoc est, per fidem qua creditur in Christum. Sicut autem ista fides Christi dicta est non qua credit Christus : sic et illa justitia Dei non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est ; sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur. Justitia ergo Dei sine lege, non sine lege manifestata est. Quomodo enim per legem testificata, si sine lege manifestata? Sed justitia Dei sine lege est, quam Deus per spiritum gratiæ credenti confert sine adjutorio legis, hoc est, non adjuto a lege. Quandoquidem per legem ostendit homini infirmitatem suam, ut ad ejus misericordiam per fidem confugiens sanaretur. De sapientia quippe ejus dictum est, quod « Legem et misericordiam in lingua portet [2] : legem scilicet qua reos faciat superbos ; misericordiam vero, quia justificet humiliatos. « Justitia ergo » Dei per fidem Jesu Christi in omnes qui credunt. Non » enim est distinctio, omnes enim peccaverunt, et egent » gloria Dei [3], » non gloria sua. Quid enim habent, quod non acceperunt? Si autem acceperunt, quid gloriantur, quasi non acceperint[4]? Egent itaque gloria Dei, et vide quid sequatur : « Justificati gratis per gratiam ipsius [5]. » Non itaque justificati per legem, non justificati per propriam voluntatem : sed, « Justificati gratis per gra- » tiam ipsius ; » non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, ut sanct

[1] Rom. III, 22. — [2] Prov. III, 16, juxta LXX. — [3] Rom. III, 22 et 23. — [4] 1 Cor. IV, 7. — [5] Rom. III, 24.

gratia voluntatem, et sanata voluntas impleat legem, non constituta sub lege, nec indigens lege.

XVI. « Justo enim lex non est posita : » quæ tamen « Bona est, si quis ea legitime utatur. » Hæc duo Apostolus velut inter se contraria connectens, monet movetque lectorem ad perscrutandam quæstionem atque solvendam. Quomodo enim « Bona est lex, si quis ea legitime » utatur ; » sic etiam quod sequitur verum est : « Sciens » hoc, quia justo lex non est posita [1] ? » Nam quis legitime utitur lege nisi justus ? At ei non est posita, sed injusto. An et injustus, ut justificetur, id est, ut justus fiat, legitime lege uti debet, qua tanquam pædagogo perducatur ad gratiam, per quam solam quod lex jubet possit implere [2] ? Per ipsam quippe justificatur gratis, id est, nullis suorum operum præcedentibus meritis : « Alioquin » gratia jam non est gratia [3] : » quandoquidem ideo datur, non quia bona opera facimus, sed ut ea facere valeamus, id est, non quia legem implevimus, sed ut legem implere possimus. Ille enim dixit : « Non veni solvere le- » gem, sed implere [4] : » de quo dictum est : « Vidimus » gloriam ejus, gloriam tanquam Unigeniti a Patre, ple- » num gratia et veritate [5]. » Hæc est gloria de qua dictum est : « Omnes enim peccaverunt, et egent gloria » Dei [6]. » Et hæc est gratia de qua continuo dicit : « Jus- » tificati gratis per gratiam ipsius [7]. » Injustus ergo legitime lege utitur, ut justus fiat ; quod cum factus fuerit, ea jam non utatur tanquam vehiculo cum pervenerit, vel potius ut supra dicta similitudine Apostoli utar, tanquam pædagogo cum eruditus fuerit [8]. Quomodo enim justo lex non est posita, si et justo est necessaria, non qua injus-

[1] 1 Tim. 1, 9 et 8. — [2] Galat. III, 24. — [3] Rom. XI, 6. — [4] Matth. V, 17. — [5] Joan. 1, 14. — [6] Rom. III, 23. — [7] Ibid. 24. — [8] Galat. III, 24.

tus ad justificantem gratiam perducatur, sed qua legitime jam justus utatur? An forte, imo vero non forte, sed certe, sic legitime utitur lege jam justus, cum eam terrendis imponit injustis, ut cum et in ipsis cœperit insolitæ concupiscentiæ morbus incentivo prohibitionis et cumulo prævaricationis augeri confugiant per fidem ad justificantem gratiam, et per donum spiritus suavitate justitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant? Ita non erunt contraria, neque inter se duo ista pugnabunt, ut etiam justus bona lege legitime utatur, et tamen justo lex posita non sit : non enim ex ea justificatus est, sed ex lege fidei, qua credidit nullo modo posse suæ infirmitati ad implenda ea, quæ lex factorum juberet, nisi divina gratia subveniri.

XVII. Ideo dicit : « Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa » est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem » fidei [1]. » Sive gloriationem dixerit laudabilem, quæ in Domino est, eamque exclusam, id est, non ut abscederet pulsam, sed ut emineret expressam. Unde et exclusores dicuntur quidam artifices argentarii. Hinc est et illud in Psalmis : « Ut excludantur ii qui probati sunt argento [2]; » hoc est, ut eminent qui probati sunt eloquio Domini. Nam et alibi dicitur : « Eloquia Domini eloquia casta, » argentum igne examinatum [3]. » Sive gloriationem vitiosam de superbia venientem commemorare voluerit, eorum scilicet, qui cum sibi juste videntur vivere, ita gloriantur, quasi non acceperint : eamque non per legem factorum, sed per legem fidei dicit exclusam, id est, ejectam et abjectam ; quia per legem fidei quisque cognoscit, si quid bene vivit, Dei gratia se habere, et ut perficiatur in dilectione justitiæ, non se aliunde consecuturum.

XVIII. Quæ cogitatio pium facit, quia pietas est vera

[1] Rom. III, 27. — [2] Psal. LXVII, 31. — [3] Id. XI, 7.

sapientia : pietatem dico quam Græci θεοσέβειαν vocant : ipsa quippe commendata est, cum dictum est homini, quod in libro Job legitur : « Ecce pietas est sapientia [1]. » Θεοσέβεια porro si ad verbi originem latine expressam interpretaretur, Dei cultus dici poterat, qui in hoc maxime constitutus est, ut anima ei non sit ingrata. Unde et in ipso verissimo et singulari sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias admonemur. Erit autem ingrata, si quod illi ex Deo est, sibi tribuerit, præcipueque justitiam, cujus operibus velut propriis et velut a semetipsa sibimet partis, non vulgariter tanquam ex divitiis aut membrorum forma aut eloquentia, cæterisque, sive externis sive internis, sive corporis sive animi bonis, quæ habere etiam scelerati solent, sed tanquam de iis quæ proprie sunt bona bonorum quasi sapienter inflatur. Quo vitio repulsi a divinæ stabilitate substantiæ, etiam magni quidam viri ad idololatriæ dedecus defluxerunt. Unde idem Apostolus in eadem Epistola, in qua vehemens defensor est gratiæ, cum se dixisset esse Græcis ac Barbaris, sapientibus et insipientibus debitorem, et ideo quod ad ipsum pertineret, promptum esse et his qui Romæ essent evangelizare : » Non enim confundor, inquit, de Evangelio ; virtus enim » Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et » Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fi- » dem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit [1]. » Hæc est justitia Dei, quæ in Testamento Veteri velata in Novo revelatur ; quæ ideo justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit ; sicut « Domini est salus [2], » qua salvos facit. Et hæc est fides, ex qua et in quam revelatur, « Ex fide » scilicet annuntiantium, « In fidem » obedientium : qua fide Jesu Christi, id est, quam nobis contulit Christus, credimus ex Deo nobis esse, plenius-

[1] Job. xxviii, 28. — [2] Rom. x, 14. — [3] Psal. iii, 9.

que futurum esse quod juste vivimus ; unde illi ea pietate, qua solus colendus est, gratias agimus.

XIX. Nec immerito se Apostolus ex hoc articulo convertit ad eos cum detestatione commemorandos, qui vitio illo, quod superius memoravi, leves et inflati, ac per se ipsos velut per inane sublati, ubi non requiescerent, sed fracti dissilirent, in figmenta idolorum tanquam in lapides deciderunt. Quia enim commendaverat pietatem fidei, qua Deo justificati grati esse debemus, velut contrarium quod detestaremur subinferens : « Revelatur » enim, inquit, ira Dei de cœlo super omnem impieta- » tem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem in » injustitia detinent : quia quod notum est Dei, manifes- » tum est in illis ; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia » enim ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, in- » tellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus ac » divinitas, ut sint inexcusabiles : quia cognoscentes Deum, » non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed » evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est » insipiens cor eorum : dicentes se esse sapientes, stulti » facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei » in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et vo- » lucrum, et quadrupedum, et serpentium. » Vide quemadmodum non eos dixerit veritatis ignaros, sed quod veritatem in iniquitate detinuerint. Quia vero occurrebat animo, ut quæreretur, unde illis esse potuerit cognitio veritatis, quibus Deus legem non dederat ; neque hoc tacuit unde habere potuerint : per visibilia namque creaturæ pervenisse eos dixit ad intelligentiam invisibilium Creatoris. Quoniam revera, sicut magna ingenia quærere perstiterunt, sic invenire potuerunt. Ubi ergo impietas? « Quia videlicet cum cognovissent Deum, non » sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed

» evanuerunt in cogitationibus suis. » Eorum proprie vanitas morbus est, qui se ipsos seducunt, dum videntur sibi aliquid esse, cum nihil sint[1]. Denique hoc tumore superbiæ sese obumbrantes, cujus pedem sibi non venire deprecatur sanctus ille Cantor, qui dixit : « In lumine » tuo videbimus lumen[2] : » ab ipso lumine incommutabilis veritatis aversi sunt, « Et obscuratum est insipiens » cor eorum[3]. » Non enim sapiens cor, quamvis cognovissent Deum ; sed insipiens potius, quia non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. « Dixit enim homini, » Ecce pietas est sapientia[4] : ac per hoc, « Dicentes se » esse sapientes, » quod non aliter intelligendum est, nisi hoc ipsum sibi tribuentes, « stulti facti sunt[5]. »

XX. Jam quæ sequuntur quid opus est dicere? Per hanc quippe impietatem illi homines, illi, inquam, homines qui per creaturam Creatorem cognoscere potuerunt, quo prolapsi, cum Deus superbis resistit[6], atque ubi demersi sint, melius ipsius Epistolæ consequentia docent, quam hic commemoratur a nobis. Neque enim isto opere hanc Epistolam exponendam suscepimus, sed ejus maxime testimonio demonstrare quantum possumus nitimur, non in eo nos divinitus adjuvari ad operandam justitiam, quod legem Deus dedit plenam bonis sanctisque præceptis ; sed quod ipsa voluntas nostra, sine qua operari bonum non possumus, adjuvetur et erigatur impartito spiritu gratiæ, sine quo adjutorio doctrina illa littera est occidens[7], quia reos potius prævaricationis tenet, quam justificat impios. Nam sicut illis per creaturam cognitoribus Creatoris ea ipsa cognitio nihil profuit ad salutem, « Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificave-

[1] Galat. VI, 3. — [2] Psal. XXXV, 12 et 10. — [3] Rom. I, 21. — [4] Job. XXVIII, 28. — [5] Rom. I, 22. — [6] Jacob. IV, 8. — [7] 2 Cor. III, 6.

» runt aut gratias egerunt, dicentes se esse sapientes[1] : » ita eos qui per legem cognoscunt quemadmodum sit homini vivendum, non justificat ipsa cognitio, quia « vo- » lentes suam justitiam constituere, justitiæ Dei non sunt » subjecti[2]. »

XXI. Lex ergo factorum, id est, operum, per quam non excluditur illa gloriatio, et lex fidei, per quam excluditur, quo inter se differant[3], opere pretium est considerare, si tamen valemus advertere atque discernere. Cito enim quisque dixerit legem operum esse in judaismo, legem autem fidei in christianismo, propterea quia circumcisio cæteraque opera talia legis sunt, quæ christiana jam disciplina non servat : sed quantum fallat ista discretio, jam diu quidem est ut molimur ostendere, et acutis ad dignoscendum, tibique potissimum ac talibus fortasse jam ostendimus : verumtamen quoniam res magna est, non incongruenter in ea manifestanda pluribus etiam atque etiam testimoniis immoramur. Ipsam enim dicit legem ex qua nemo justificatur, quam dicit subintrasse ut abundaret delictum[4], quam tamen ne quisquam ob hoc imperitus argueret et sacrilegus accusaret, defendit eam, dicens : « Quid ergo dicemus? Lex peccatum » est? Absit : sed peccatum non cognovi nisi per legem : » nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non » concupisces. Occasione itaque accepta peccatum per » mandatum operatum est in me omnem concupiscen- » tiam[5]. » Dicit etiam, Lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum ; sed peccatum ut » appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mor- » tem[6]. » Ipsa est ergo littera occidens, quæ dicit : « Non » concupisces : » de qua item dicit quod paulo ante com-

[1] Rom. I, 21. — [2] Id. X, 3. — [3] Id. III, 27. — [4] Id. V, 20. — [5] Id. VII, 7. — [6] Ibid. 12.

memoravi, « Per legem enim cognitio peccati. Nunc au-
» tem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata per
» legem et prophetas, justitia autem Dei per fidem Jesu
» Christi in omnes qui credunt. Non enim est distinctio,
» omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei : justifi-
» cati gratias per gratiam ipsius, per redemptionem quæ
» est in Christo Jesu : quem proposuit Deus, propitia-
» torium per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem
» justitiæ ejus, propter propositum præcedentium pec-
» catorum in Dei patientia, ad ostendendam justitiam
» ipsius in hoc tempore, ut sit justus et justificans eum
» qui ex fide est Jesu. » Deinde subinfert unde nunc agi-
mus : « Ubi est ergo gloriatio tua? « Exclusa est. Per
» quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei [1]. »
Lex ergo ista factorum ipsa est quæ dicit : « Non concu-
» pisces : » quia per illam cognitio peccati est. Volo igitur
scire, si quis mihi dicere audeat, utrum lex fidei non di-
cat : « Non concupisces. » Si enim non dicit, quid causæ
est cur non in ea positi securi atque impune peccemus?
Hoc enim et illi putaverunt Apostolum dicere, de quibus
ait : « Et sicut dicunt nos quidam dicere, faciamus mala,
» ut veniant bona, quorum judicium justum est [2]. » Si
autem dicit etiam ipsa : « Non concupisces : » sicut tam
multa præcepta evangelica et apostolica testificari et cla-
mare non cessant; quare lex factorum etiam ipsa non di-
citur? Neque enim quia non habet opera veterum sacra-
mentorum, circumcisionis videlicet atque cæterorum,
ideo non sunt opera quæ habet in sacramentis suis huic
tempori congruis; aut vero de operibus sacramentorum
quæstio fuit, quando mentio legis ob hoc fiebat, quia per
ipsam cognitio peccati est, et ideo ex ea nemo justificatur;
unde non per illam exclusa est gloriatio, sed per legem

[1] Rom. III, 20-27. — [2] Ibid. 8.

fidei, ex qua justus vivit. Sed numquid et per istam non fit cognitio peccati, et cum ipsa dicat : « Non concu- » pisces? »

XXII. Quid igitur interest, breviter dicam. Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit : « Non concupisces ; » ista dicit : « Cum scirem » quia nemo esse potest continens nisi Deus det, et hoc ipsum » erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum; adii Dominum » et deprecatus sum [1]. » Ipsa est illa sapientia quæ pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum [2]. Colitur autem sacrificio laudis actionisque gratiarum, ut cultor ejus non in se ipso, sed in illo glorietur [3]. Ac per hoc lege operum dicit Deus, Fac quod jubeo : lege fidei dicitur Deo, Da quod jubes. Ideo enim jubet lex, ut admoneat quod faciat fides ; id est, ut cui jubetur, si nondum potest, sciat quid petat : si autem continuo potest, et obedienter facit, debet etiam scire quo donante possit, « Non enim spiritum » hujus mundi accepimus [4], » ait idem ipse constantissimus gratiæ prædicator ; « Sed spiritum qui ex Deo est, » ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis [5], » Quis est autem spiritus mundi hujus, nisi superbiæ spiritus? Quo cor insipiens obscuratum est eorum, qui cognitum Deum non ut Deum gratias agendo glorificaverunt : nec alio spiritu decipiuntur etiam illi, qui ignorantes Dei justitiam et suam justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti [6]. Unde mihi videtur magis esse fidei filius, qui novit a quo speret quod nondum habet, quam qui sibi tribuit id quod habet : quamvis utrique horum præferendus sit, qui et habet et novit a quo habet ; si tamen non se credat esse quod nondum est ; ne incidat in vitium

[1] Exod. xx, 17, et Sap. viii, 21. — [2] Jacob. i, 17. — [3] 2 Cor. x, 17. — [4] 1 Cor. ii, 12. — [5] Rom. i, 21. — [6] Id, x, 3.

illius Pharisæi, qui quanquam Deo gratias ageret ex iis quæ habebat, nihil tamen petebat dari sibi, tanquam nihilo indigeret ad augendam perficiendamve justitiam [1]. His igitur consideratis pertractatisque pro viribus quas Dominus donare dignatur, colligimus non justificari hominem præceptis bonæ vitæ nisi per fidem Jesu Christi, hoc est, non lege operum, sed fidei; non littera, sed spiritu; non factorum meritis, sed gratuita gratia.

XXIII. Quamvis itaque, illos quibus circumcisio persuadebatur, ita corripere atque corrigere videatur Apostolus, ut legis nomine eamdem circumcisionem appellet, cæterasque ejusmodi legis observationes, quas tanquam umbras futuri jam nunc respuunt Christiani, id tenentes quod per illas umbras figurate promittebatur: tamen legem ex qua neminem dicit justificari, non tantum in illis sacramentis quæ habuerunt promissivas figuras, verumetiam in illis operibus vult intelligi, quæ quisquis fecerit, juste vivit: ubi est et illud, « Non concupisces. » Atque ut hoc quod dicimus fiat planius, ipsum Decalogum videamus. Certe enim legem Moyses ministrandam populo accepit in monte, scriptam in lapideis tabulis digito Dei [2]: hæc decem præceptis constringitur, ubi nihil de circumcisione mandatum est, nihil de victimis pecorum, quæ nunc a Christianis non immolantur. In illis igitur decem præceptis, excepta sabbati observatione, dicatur mihi quid non sit observandum a Christiano, sive de non faciendis colendisque idolis aliisque ullis diis præter unum verum Deum, sive de non accipiendo nomine Dei in vanum, sive de honore parentibus deferendo, sive de cavendis fornicationibus, homicidiis, furtis, falsis testimoniis, adulteriis, re aliena concupiscenda. Quid horum quisquam dixerit Christianum non debere servare? An forte non

[1] Luc. xviii, 11. — [2] Exod. xxxi, 18; Deut. ix, 10, et Exod. 20.

istam legem quæ in illis duabus tabulis scripta est, litteram occidentem appellat Apostolus [1]. sed illam circumcisionis aliorumque veterum jamque abolitorum sacramentorum? sed quomodo putabimus, cum in ea sit : « Non concupisces : » per quod mandatum, quamvis » sanctum et justum et bonum, fefellit me, inquit, peccatum, et per illud occidit? » Quid enim aliud est : « Littera occidit [2]? »

XXIV. Quamvis evidentius eo ipso loco ad Corinthios, ubi ait : « Littera occidit, Spiritus autem vivificat; » non aliam velit intelligi litteram, quam ipsum Decalogum in illis duabus tabulis scriptum. Sic enim dicit : « Quoniam » estis epistola Christi ministrata per nos, scripta non » atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, » sed in tabulis cordis carnalibus. Confidentiam autem » talem habemus per Christum ad Deum, non quia ido» nei simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobismetip» sis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui idoneos nos » fecit ministros Novi Testamenti, non litteræ, sed Spi» ritus. Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. Si » autem ministratio mortis in litteris figurata in lapidibus » fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israël in » faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus quæ eva» cuatur, quare non magis ministratio spiritus erit in » gloria? Si enim ministratio damnationis gloria est, » multo magis abundabit ministerium justitiæ in gloria [3]. » Dici de his verbis multa possunt, sed postea fortasse opportunius. Nunc autem adverte quam dicat litteram quæ occidit, cui velut e contrario vivificantem Spiritum ingerit. Ea certe est ministratio mortis in litteris figurata lapideis, et ministratio damnationis; quia lex subintravit, ut abundaret delictum [4]. Porro autem præcepta ipsa tam

[1] 1 Cor. III, 6. — [2] Rom. VII, 11. — [3] 2 Cor. III, 2-8. — [4] Rom. V, 20.

sunt utilia facienti atque salubria, ut nisi quis ea fecerit, vitam habere non possit. An vero propter unum præceptum quod ibi de sabbato est positum, dictus est Decalogus littera occidens, quoniam quisquis illum diem nunc usque observat sicut littera sonat, carnaliter sapit; sapere autem secundum carnem mors est; et illa novem præcepta quæ sic recte observantur ut scripta sunt, non ad legem operum ex qua nemo justificatur, sed ad legem fidei ex qua justus vivit, pertinere putanda sunt[1]? Quis tam absurde sentiat, ministrationem mortis in litteris figuratam lapideis, non dici ex omnibus decem præceptis, sed ex uno solo quod ad sabbatum pertinet? Ubi ergo ponimus : « Lex iram operatur; ubi enim non est lex, nec » prævaricatio[2] : » et, « Usque ad legem peccatum in » mundo fuit; peccatum autem non deputabatur, cum » lex non esset[3] : » et illud quod jam toties commemoravimus : « Per legem cognitio peccati[4] : » maximeque illud ubi evidentius expressit unde agitur : « Concupis- » centiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces[5]? »

XXV. Quem totum locum attende, et vide utrum quidquam propter circumcisionem vel sabbatum, vel quid aliud umbratilis sacramenti, ac non totum propter hoc dicat, quod littera prohibens peccatum non vivificat hominem, sed potius occidit, augendo concupiscentiam, et iniquitatem prævaricatione cumulando, nisi liberet gratia per legem fidei quæ est in Christo Jesu, cum diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis[6]. Cum enim dixisset : « Ut ser- » viamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ. » Quid ergo dicemus, inquit? Lex peccatum est? Absit : » sed peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam con-

[1] Rom. VII, 6. — [2] Id. IV, 15. — [3] Id. V, 13. — [4] Id. III, 20. — [5] Id. VII, 7. — [6] Id. V, 5.

» cupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concu-
» pisces. Occasione autem accepta peccatum per manda-
» tum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine
» lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam
» aliquando sine lege ; adveniente autem mandato pecca-
» tum revixit. Ego autem mortuus sum, et inventum est
» mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mor-
» tem. Peccatum enim occasione accepta per mandatum
» fefellit me, et per illud occidit. Itaque lex quidem
» sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum.
» Quod ergo bonum est factum est mihi mors? Absit. Sed
» peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi ope-
» ratum est mortem, ut fiat super modum peccans pec-
» catum per mandatum. Scimus enim quia lex spiritalis
» est, ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.
» Quod enim operor, ignoro : non enim quod volo hoc
» ago, sed quod odi illud facio. Si autem quod nolo hoc
» facio, consentio legi, quoniam bona. Nunc autem non
» jam ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.
» Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne
» mea, bonum. Velle enim adjacet mihi, perficere au-
» trm bonum non. Non enim quod volo facio bonum,
» sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo
» ego hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod ha-
» bitat in me peccatum. Invenio ergo legem volenti mihi
» facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Conde-
» lector enim legi Dei secundum interiorem hominem :
» video autem aliam legem in membris meis repugnantem
» legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati,
» quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me li-
» berabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum
» Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente
» servio legi Dei, carne autem legi peccati[1]. »

[1] Rom. VII, 6, ad finem.

XXVI. Apparet igitur litteræ vetustatem, si desit novitas spiritus, reos facere potius cognitione peccati, quam liberare a peccato. Unde et alibi Scriptum est, « Qui apponit scientiam, apponit et dolorem [1] : » non quia ipsa lex malum est, sed quia mandatum bonum habet in littera demonstrante, non in adjuvante spiritu : quod mandatum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter, et ideo nec fit. Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit. Porro autem si adsit fides quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei secundum interiorem hominem, quæ delectatio non litteræ, sed spiritus donum est [2] ; etiam si alia lex in membris adhuc repugnat legi mentis, donec in novitatem, quæ de die in diem in interiore homine augetur, tota vetustas mutata pertranseat, liberante nos de corpore mortis hujus gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

XXVII. Hæc gratia in Testamento Vetere velata latitabat, quæ in Christi Evangelio revelata est dispensatione temporum ordinatissima, sicut Deus novit cuncta disponere. Et fortasse ad illud ipsum ejus latibulum pertinet, quod in eo Decalogo, qui datus est in monte Sina [3], hoc solum præcepto figurato occultatum est, quod ad sabbatum pertinet. Sabbatum autem dies sanctificationis est. Nec vacat, quod inter omnia opera quæ fecit Deus, illic primo sanctificatio sonuit, ubi ab omnibus operibus requievit [4] : unde nunc non est disserendi locus. Verumtamen, quod rei de qua agitur satis esse arbitror, non frustra illo die populus ab omni opere servili abstinere præceptus est [5], quo significatur peccatum, nisi quia non peccare sanctificationis est, hoc est, muneris Dei per

[1] Eccle. I, 18. — [2] Galat. v, 6, et Rom. VII, 22. — [3] Exod. XX. — [4] Gen. II, 3. — [5] Levit. XXIII, 7.

Spiritum sanctum : quod in lege, quæ duabus lapideis tabulis conscripta est, solum inter cætera in umbra figuræ positum est, in qua Judæi sabbatum observant ; ut hoc ipso significaretur tempus tunc fuisse occultandæ gratiæ, quæ Novo Testamento fuerat per Christi passionem, tanquam scissionem veli, revelanda. « Cum enim » transierit, inquit, ad Christum, auferetur velamen [1]. »

XXVIII. « Dominus autem Spiritus est, ubi autem » Spiritus Domini, ibi libertas [6]. » Hic autem Spiritus Dei, cujus dono justificamur, quo fit in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas est ; sicut præter hunc Spiritum peccare delectat, ubi servitus, a cujus operibus abstinendum est [2] : hic Spiritus sanctus per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, etiam digitus Dei in Evangelio dicitur [3]. Unde quia et illæ tabulæ digito Dei conscriptæ sunt, et digitus Dei est Spiritus Dei per quem sanctificamur, ut ex fide viventes per dilectionem bene operemur, quem non moveat ista congruentia ibidemque distantia ? Dies enim quinquaginta computantur a celebratione Paschæ, quæ occisione figuratæ ovis per Moysen fieri præcepta est [5], in significationem utique futuræ Dominicæ passionis, usque ad diem qua Moyses legem accepit in tabulis digito Dei conscriptis : similiter ab occisione et resurrectione illius qui sicut ovis ad immolandum ductus est [6], quinquaginta diebus completis, congregatos in unum fideles digitus Dei, hoc est, Spiritus sanctus implevit [7].

XXIX. In hac mirabili congruentia illud certe plurimum distat, quod ibi populus accedere ad locum ubi lex dabatur, horrendo terrore prohibetur : hic autem in eos

[1] Matth. xxvii, 51. — [2] 1 Cor. iii, 16. — [3] 2 Cor. iii, 17. — [4] Rom. v, 5 ; xiii, 10 ; Luc. xi, 20, et Exod. xxxi, 18. — [5] Exod. xii, 3. — [6] Isai. liii, 7. — [7] Act. ii, 2.

supervenit Spiritus sanctus, qui cum promissum expectantes in unum fuerant congregati. Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est [1], hic in cordibus hominum. Ibi ergo lex extrinsecus posita est, qua injusti terrerentur : hic intrinsecus data est, qua justificarentur. Nam, « Non » adulterabis, non homicidium facies, non concupisces, » etsi quod est aliud mandatum [2], » quod utique in illis tabulis scriptum est : « In hoc, inquit, sermone recapi- » tulatur, » in eo quod « Diliges proximum tuum tan- » quam te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. » Plenitudo autem legis est charitas. » Hæc non in tabulis conscripta lapideis, sed « Diffusa est in cordibus nostris » per Spiritum sanctum qui datus est nobis [3]. » Lex ergo Dei est charitas. Huic « Prudentia carnis non est subjecta, » neque enim potest [4] : » sed ad hanc prudentiam carnis terrendam cum in tabulis scribuntur opera charitatis, lex est operum, et littera occidens prævaricatorem : cum autem ipsa charitas diffunditur in corde credentium, lex est fidei, et spiritus vivificans dilectorem.

XXX. Vide nunc quemadmodum consonet ista discretio illis apostolicis verbis, quæ paulo ante ob aliud commemorata et diligentius pertractanda distuleram. « Manifestati, inquit, quoniam estis epistola Christi mi- » nistrata per nos, scripta non atramento, sed Spiritu Dei » vivi, non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis car- » nalibus [5]. » Ecce quemadmodum ostendit, quia illud extra hominem scribitur, ut eum forinsecus terrificet; hoc in ipso homine, ut eum intrinsecus justificet. Carnales autem tabulas cordis dixit, non carnalis prudentiæ, sed tanquam viventis sensumque habentis in comparatione lapidis qui sine sensu est. Et quod paulo post dicit, quod

[1] Exod. xix, 12 et 16, et Act. ii, 1. — [2] Rom. xiii, 9. — [3] Id. v, 5. — [4] Id. viii, 7. — [5] 2 Cor. iii, 3.

non poterant intendere filii Israël usque in finem vultus Moysi, et ideo eis per velum loquebatur. hoc significat quia littera legis neminem justificat, sed velamen positum est in lectione Veteris Testamenti, donec ad Christum transeatur, et auferatur velamen, id est, transeatur ad gratiam, et intelligatur ab ipso nobis esse justificationem, qua faciamus quod jubet. Qui propterea jubet, ut in nobis deficientes ad illum confugiamus. Ideo vigilantissime cum dixisset : « Confidentiam talem habemus per Chris- » tum ad Deum [1], » ne nostris hoc viribus tribueretur, continuo commendavit unde agitur, dicens : « Non » quod idonei sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex » nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est qui et » idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non lit- » teræ, sed spiritus. Littera enim occidit, spiritus autem » vivificat. »

XXXI. Proinde quia « Lex, sicut alibi dicit, præ- » varicationis gratia posita est [2], » id est, littera ista extra hominem scripta; propterea eam et ministrationem mortis et ministrationem damnationis appellat ; hanc autem, id est, Novi Testamenti, ministrationem spiritus et ministrationem justitiæ dicit, quia per donum spiritus operamur justitiam, et a prævaricationis damnatione liberamur. Ideo illud evacuatur, hoc manet : quoniam terrens pædagogus auferetur, cum timori successerit charitas. « Ubi enim » spiritus Domini, ibi libertas [3]. » Hanc autem ministrationem non ex meritis nostris, sed ex misericordia esse sic dicit : « Propter quod habentes ministrationem hanc, » sicut misericordiam consecuti non infirmemur, sed abji- » ciamus occulta confusionis, non ambulantes in astutia, » neque dolo adulterantes verbum Dei [4]. » Hanc astutiam

[1] 2 Cor. III, 4. — [2] Gal. III, 19, et 2 Cor. III, 7. — [3] 2 Cor. III, 17. — [4] Id. IV, 1.

et dolum hypocrisim vult intelligi, qua volunt justi superbi videri. Unde et in illo Psalmo, quem ad hujus ipsius gratiæ testificationem commemorat idem Apostolus : « Bea» tus, inquit, cui non imputavit Dominus peccatum, ne» que est in ore ejus dolus [1]. » Hæc est humilium sanctorum confessio, non se jactantium esse quod non sunt. Et paulo post : « Non enim nosmetipsos, inquit, prædicamus, sed » Jesum Christum Dominum, nos autem servos vestros per » Jesum : quia Deus qui dixit de tenebris lumen clarescere, » claruit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ glo» riæ ejus in faciem Christi Jesu [2]. » Hæc est scientia gloriæ ejus, qua scimus ipsum esse lumen, quo tenebræ nostræ illuminantur. Et idipsum attende quemadmodum inculcet : « Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, » ut eminentia virtutis sit Dei, et non ex nobis [3]. » Et paulo post cum eamdem gratiam uberius in Domino Jesu Christo commendans, usque ad illud veniret indumentum justitiæ fidei, quo induti, non nudi inveniamur [4], et propter hoc ingemiscimus mortalitate prægravati, habitaculum nostrum quod de cœlo est superindui cupientes ut absorbeatur mortale a vita, vide quid adjungat : « Qui autem » operatus est nos, inquit, in hoc ipsum Deus qui dedit no» bis pignus spiritus [5]. » Et post pauca intulit : « Ut nos » simus justitia Dei in ipso [6]. » Hæc est illa justitia Dei non qua ipse justus est, sed qua nos ab eo facti.

XXXII. Nemo ergo christianorum aberret ab hac fide, quæ sola Christiana est; neque quisquam, cum verecundatus fuerit dicere, per nos ipsos fieri nos justos, non hoc in nobis operante gratia Dei, quia videt hoc a fidelibus et piis ferri non posse, cum dicitur, ad hoc se convertat ut dicat, ideo sine operatione gratiæ Dei nos justos esse

[1] Rom. IV, 8, et Psal. XXXI, 2. — [2] 2 Cor. IV, 5. — [3] Ibid. 7. — [4] Id. V, 2. — [5] Ibid. 5. — [6] Ibid. 21.

non posse, quia legem dedit, quia doctrinam instituit, quia bona præcepta mandavit. Illa enim sine adjuvante spiritu procul dubio est littera occidens; cum vero adest vivificans spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri.

XXXIII. Inspice hoc paululum et in eo testimonio quod per Prophetam de hac re præclarissimum edictum est. « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super » domum Israël, et super domum Juda Testamentum No- » vum, non secundum testamentum quod feci patribus » eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educe- » rem eos de terra Ægypti : quia ipsi non perseveraverunt » in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. » Quia hoc testamentum est, quod ordinabo domui Israël. » Post illos dies, dicit Dominus, dabo leges meas in cor » illorum, et in mente eorum scribam eas : et ero eis in » Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit » unusquisque civem suum et unusquisque fratrem suum, » dicens : Cognosce Dominum, quia omnes cognoscent » me, a minore usque ad majorem eorum ; quia propitius » ero iniquitati eorum, et peccata eorum non memora- » bor ultra [1]. » Quid ad hæc dicimus? Nempe in veteribus libris aut nusquam aut difficile præter hunc propheticum locum legitur facta commemoratio Testamenti Novi, ut omnino ipso nomine appellaretur : nam multis locis hoc significatur et prænuntiatur futurum, sed non ita ut etiam nomen legatur expressum. Considera igitur diligenter, quam differentiam inter duo testamenta, id est, vetus et novum, Deus esse testatus sit.

XXXIV. Cum dixisset : « Non secundum testamentum » quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum » eorum, ut educerem eos de terra Ægypti : » vide quid

[1] Jerem. xxxi, 31-36.

adjunxit : « Quia ipsi non perseveraverunt in testamento » meo. » Vitio eorum deputat, quod in testamento Dei non permanserunt ; ne lex, quam tunc acceperunt, culpanda videatur. Ipsa est enim, quam non venit Christus solvere, sed implere[1]. Non tamen per eamdem legem justificatis impiis, sed per gratiam : hoc quippe agit vivificans spiritus, sine quo littera occidit : « Si enim data esset lex » quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia : sed » conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex » fide Jesu Christi daretur credentibus[2]. « Ex hac promissione, hoc est, ex Dei beneficio ipsa lex impletur, sine qua promissione prævaricatores facit ; vel usque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transcenderit, vel certe in sola voluntate, si timor pœnæ suavitatem libidinis vicerit. Quod enim ait : « Con» clusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide » Jesu Christi daretur credentibus ; » ipsius conclusionis utilitas dicta est. Nam « Conclusit » ad quos usus, nisi quemadmodum alibi[3] dicit : « priusquam autem veniret » fide, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ » postea revelata est[4] ? » Lex ergo data est, ut gratia quæreretur ; gratia data est, ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis : quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit. « Quod enim impossibile erat legis, in quo » infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum in » similitudine carnis peccati, et de peccato damnavit pec» catum in carne, ut justitia legis impleretur in nobis, qui » non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiri» tum[5]. » Unde et in isto prophetico testimonio : « Con» summabo, inquit, super domum Israël et super domum

[1] Matth. v, 17. — [2] Galat. III, 21. — [3] *Forte* et ibid. — [4] Galat. III, 23. — [5] Rom. VIII, 3.

» Juda Testamentum Novum : » quid est : « Consum-
» mabo, » nisi implebo ? « Non secundum testamentum
» quod feci patribus eorum in die qua apprehendi ma-
» num eorum, ut educerem eos de terra Ægypti [1]. »

XXXV. Ergo illud vetus erat, quia hoc novum est. Unde igitur illud vetus, hoc novum, cum lex eadem impleatur per Testamentum Novum, quæ dixit in Vetere : « Non » concupisces [2] ? Quia ipsi, inquit, non perseveraverunt in » testamento meo, et egò neglexi eos, dicit Dominus [3]. » Ergo propter veteris hominis noxam, quæ per litteram jubentem et minantem minime sanabatur, dicitur illud Testamentum Vetus ; hoc autem Novum, propter novitatem spiritus, quæ hominem novum sanat a vitio vetustatis. Denique attende quod sequitur, et vide quanta luce fiat perspicuum, quod sibi fidentes nolunt homines intueri : « Quia hoc testamentum est, inquit, quod ordinabo domui » Israël. Post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas » in cor illorum, et in mente eorum scribam eas [4]. » Ecce est unde Apostolus ait, quod supra commemoravimus : « Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis ; » quia » Non atramento, sed spiritu Dei vivi [5]. » Nec ob aliud arbitror in eo loco Apostolum voluisse commemorare Testamentum Novum, (ibi quippe ait : « Qui et idoneos nos » fecit ministros Novi Testamenti, non litteræ, sed spiri- » tus [6], ») nisi quia istam intuebatur prophetiam, cum diceret : « Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus [7] : quoniam hic dictum est : « In cordibus eorum scribam eas [8], ubi nominatim promissum est Testamentum Novum.

XXXVI. Quid sunt ergo leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti, qui

[1] Jerem. xxxi, 31. — [2] Exod. xx, 17. — [3] Jerem. xxxi, 32. — [4] Ibid. 33. — [5] 2 Cor. iii, 3. — [6] Ibid. 6. — [7] Ibid. 3. — [8] Jerem. xxxi, 33.

est digitus Dei, quo præsente diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, et præcepti finis. Nam quia Veteris Testamenti promissa terrena sunt, licet (exceptis sacramentis, quæ umbra erant futurorum, sicut est circumcisio, et sabbatum, et aliæ dierum observationes, et quarumdam escarum cæremoniæ [1], et multiplex sacrificiorum sacrorumque ritus, quæ vetustati carnalis legis jugoque servili congruebant,) talia contineat præcepta justitiæ, qualia nunc quoque observare præcipimur, quæ maxime duabus illis tabulis sine figura adumbratæ significationis expressa sunt, sicuti est : « Non » adulterabis, non homicidium facies, non concupisces,» et si quod aliud est mandatum quod in hoc sermone recapitulatur, « Diliges proximum tuum sicut te ipsum [3] : » tamen quia in eo, sicut dixi, promissa terrena et temporalia recitantur, quæ bona sunt hujus corruptibilis carnis, quamvis eis sempiterna atque cœlestia ad Novum scilicet Testamentum pertinentia figurentur ; nunc ipsius bonum cordis promittitur, mentis bonum, spiritus bonum, hoc est, intelligibile bonum, cum dicitur : « Dabo leges meas in mente eorum, et in cordibus eorum scribam » eas [4]. » Unde significavit eos non forinsecus terrentem » legem formidaturos, sed intrinsecus habitantem ipsam legis justitiam dilecturos.

XXXVII. Deinde addidit et mercedem : « Et ero eis » in Deum, et ipsi erunt mihi in populum[4]. » Hoc est illud quod Deo ait ille, « Mihi autem adhærere Deo bonum » est[5]. Ero, inquit, illis in Deum, et ipsi erunt mihi popu» lus. » Quid hoc bono melius, quid hac felicitate felicius, vivere Deo, vivere de Deo, apud quem est fons vitæ, et in cujus lumine videbimus lumen [6] ? De hac vita

[1] 2 Retract. cap. 37. — [2] Exod. xx, 14, et Rom. xiii, 9. — [3] Jerem. xxxi, 33. — [4] Ibid. — [5] Psal. lxxii, 28. — [6] Id. xxxv, 30.

dicit ipse Dominus : « Hæc est autem vita æterna, ut » cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum » Christum[1] : » id est, te et quem misisti Jesum Christum unum verum Deum. Hoc enim et ipse promittit dilectoribus suis, dicens : « Qui diligit me, mandata mea cus» todit ; et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego » diligam eum, et ostendam me ipsum illi[2] : » utique in forma Dei, in qua æqualis est Patri ; non in forma servi, in qua se et impiis ostendet. Tunc enim fiet quod scriptum est, « Tollatur impius, ut non videat gloriam Do» mini[3]. » Quando ibunt sinistri in ignem æternum, justi autem in vitam æternam[4]. Quæ vita æterna, sicut commemoravi, definita est ea esse, ut cognoscant unum verum Deum. Hinc dicit et Joannes, « Dilectissimi filii Dei » sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quia » cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus » eum sicuti est[5]. » Hæc similitudo nunc incipit reformari, quandiu homo interius renovatur de die in diem secundum imaginem ejus qui creavit eum[6].

XXXVIII. Sed ad illius eminentiæ perfectionem quæ tunc futura est, quid hoc, aut quantum est? Si quidem Apostolus ad illa ineffabilia qualecumque adhibens de notis rebus exemplum, parvulam ætatem virili comparavit ætati. « Cum essem, inquit, parvulus, quasi parvulus » loquebar, quasi parvulus sapiebam, quasi parvulus co» gitabam : cum autem factus sum vir, deposui ea quæ » parvuli erant[7]. » Cur autem hoc dixerit, consequenter ostendens, « Videmus, inquit, nunc per speculum in æ» nigmate, tunc autem facie ad faciem : nunc scio ex parte, » tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. »

[1] Joan. xvii, 3. — [2] Id. xiv, 21. — [3] Isaï. xxvi, 10. — [4] Matth. xxv, 49, et Joan. xvii, 3. — [5] 1 Joan. iii, 2. — [6] 1 Cor. iv, 16, et Coloss. iii, 10. [7] 1 Cor. xiii, 11.

XXXIX. Proinde etiam per hunc Prophetam, cujus testimonium pertractamus, hoc additur : ut in eo merces, in eo finis, in eo perfectio felicitatis, in eo beatæ æternæque vitæ summa consistat. Cum enim dixisset, « Et ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi populus : » continuo addidit, « Et non docebit unusquisque civem suum » et unusquisque fratrem suum, dicens : Cognosce Domi» num ; quia omnes cognoscent me, a minore usque ad » majorem eorum[1]. »Nunc certe jam tempus est Testamenti Novi, cujus per Prophetam facta est promissio per hæc verba, quæ ex illa prophetia commemoravimus : cur ergo adhuc dicit unusquisque civi suo et fratri suo: Cognosce Dominum ? An forte non dicitur, cum Evangelium prædicetur, et ejus ipsa sit prædicatio, ut hoc ubique dicatur? Nam unde se Apostolus gentium dicit esse doctorem, nisi quia hoc fit quod ipse ait : « Quomodo » invocabunt in quem non crediderunt ? Aut quomodo cre» dent quem non audierunt? Quomodo autem audient sine » prædicante[3] ? » Cum ergo nunc ista prædicatio usquequaque crebrescat, quomodo tempus est Testamenti Novi, de quo Propheta dixit, « Et non docebit unus» quisque civem suum et unusquisque fratrem suum, di» cens : Cognosce Dominum ; quia omnes cognoscent me, » a minore usque ad majorem eorum [4] : » nisi quia ejusdem Testamenti Novi æternam mercedem, id est, ipsius Dei beatissimam contemplationem promittendo conjunxit ?

XL. Quid ergo est, « Omnes a minore usque ad ma» jorem eorum : » nisi omnes pertinentes spiritaliter ad domum Israël, et ad domum Juda, hoc est, ad filios Isaac, ad semen Abrahæ ? Ipsa est enim promissio, qua ei dictum est : « In Isaac vocabitur tibi semen. Non enim

[1] Jerem. xxxi, 34. — [2] 1 Tim. ii, et Rom. x, 14. — [3] Jerem. iii, 34.

» qui filii carnis, hi filii Dei ; sed filii promissionis depu-
» tantur in semen. Promissionis autem verbum hoc est,
» Ad hoc tempus veniam, et erit Saræ filius. Non solum
» autem, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac
» patris nostri. De nondum enim natis, neque qui aliquid
» operati fuerant boni aut mali, ut secundum electionem
» propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante
» dictum est ei, quia major serviet minori [1]. » Hæc est do-
mus Israël, vel domus Juda propter Christum, qui venit
ex tribu Juda. Domus filiorum promissionis hæc est, non
operum propriorum, sed beneficii Dei. Hoc enim Deus
promittit, quod ipse facit : non enim ipse promittit et
alius facit, quod jam non est promittere, sed prædicere.
Ideo « Non ex operibus, sed ex vocante [2] : » ne ipsorum
sit, non Dei ; ne merces non imputetur secundum gra-
tiam, sed secundum debitum, atque ita gratia jam non
sit gratia, cujus vehemens defensor est atque assertor mi-
nimus Apostolorum [3], qui plus omnibus illis laboravit,
non ipse autem, sed gratia Dei cum illo. « Omnes enim,
» inquit, agnoscent mei [4] : Omnes, » domus Israël et do-
mus Juda. « Neque enim omnes qui ex Israël, hi sunt
» Israël [5] : » sed omnes quibus dicitur in « Psalmo pro
» susceptione matutina, » hoc est, pro luce nova, Testa-
menti scilicet Novi, « Universum semen Jacob magnifi-
» cate eum, timeat eum omne semen Israël [6]. » Universum
omnino semen, prorsus omne semen promissorum atque
vocatorum, sed eorum qui secundum propositum vocati
sunt. « Quos enim prædestinavit, illos et vocavit, quos
» autem vocavit, illos et justificavit ; quos autem justifica-
» vit, illos et glorificavit [7]. Ideo ex fide, ut secundum gra-
tiam firma sit promissio omni semini, non ei tantum

[1] Rom. IX, 7-13. — [2] Id. IV, 4. — [3] 1 Cor. XV, 9. — [4] Jerem. XXXI, 34. — [5] Rom. IX, 6. — [6] Psal. XXI, 24. — [7] Rom. VIII, 28-30.

quod ex lege est[1], id est, quod ex Vetere Testamento venit ad Novum; « Sed et ei quod ex fide est, » non sibi præmissa lege. « Ex fide autem Abraham, id est, imita- » tores fidei Abraham, qui est pater omnium nostrûm, » sicut Scriptum est, Quia patrem multarum gentium » posui te. » Omnes ergo hi prædestinati, vocati, justificati, glorificati cognoscent Deum gratia Testamenti Novi, a minore usque ad majorem eorum.

XLI. Sicut ergo lex factorum scripta in tabulis lapideis, mercesque ejus terra illa promissionis, quam carnalis, domus Israël cum ex Ægypto liberata esset, accepit, pertinet ad Testamentum Vetus : ita lex fidei scripta in cordibus, mercesque ejus species contemplationis, quam spiritalis domus Israël ab hoc mundo liberata percipiet, pertinet ad Testamentum Novum. Tunc fiet quod dicit Apostolus, « Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ » cessabunt, sive scientia evacuabitur[2], » illa scilicet parvulorum scientia in qua hic vivitur, quæ ex parte est per speculum in ænigmate : propter hanc enim necessaria est prophetia, cum adhuc præteritis futura succedunt; propter hanc linguæ id est, multiplicitas significationum, cum ex alio atque alio aliud atque aliud admonetur, qui nondum æternam lucem perspicuæ veritatis mente purgatissima contemplatur. « Cum autem venerit quod per- » fectum est, et totum hoc quod ex parte est fuerit evacua- » tum[3], » tunc quod assumpta carne carni apparuit, ostendet se ipsum dilectoribus suis : tunc erit vita æterna[4], ut cognoscamus unum verum Deum; tunc similes ei erimus, quoniam tunc cognoscemus sicut et cogniti sumus[5]. Tunc « Non docebit unusquisque civem suum, aut fratrem » suum, dicens : Cognosce Dominum. Omnes enim cognos-

[1] Rom. IV, 16. — [2] 1 Cor. XIII, 8. — [3] Ibid. 10. — [4] Joan. XVII, 3. — [5] 1 Joan. III, 2.

» cent eum, a minore usque ad majorem eorum[1].» Quod multis modis intelligi potest. Sive quia et illic quisque sanctorum tanquam stella ab stella differt in gloria[2]. Nec ad rem quidquam interest, utrum « A minore usque ad » majorem, » sicut dictum est, an si a majore usque ad minorem diceretur : quod similiter nihil interest, etiam si minores intellexerimus, qui tantummodo credere, majores autem qui etiam intelligere, quantum in hac vita potest, lumen incorporeum atque incommutabile valuerunt. Sive minores, tempore posteriores ; majores autem tempore priores intelligi voluit. Simul enim promissam Dei contemplationem accepturi sunt omnes ; quia et illi pro nobis meliora providerunt, ne sine nobis perfecti perficerentur[3]. Et ideo velut priores reperiuntur minores, quia minus dilati sunt ; sicut in illo Evangelico denario per similitudinem dicitur, quem prius accipiunt qui posterius venerunt ad vineam[4]. Sive quolibet alio modo, qui me in præsentia forsitan fugit, minores majoresque accipiendi sunt.

XLII. Illud tamen, quantum potes, diligenter attende, quod tanto molimine conor ostendere : cum Testamentum Novum Propheta promitteret, non secundum Testamentum quod prius factum est populo Israël ex Ægypto liberato[5], nihil eum de sacrificiorum vel quorumque sacramentorum commutatione dixisse, quamvis et ipsa sine dubio fuerat secutura, sicut secutam videmus, quod multis aliis locis eadem prophetica Scriptura testatur : sed tantummodo istam commendasse distantiam, quod leges suas daturus esset Deus in mentem eorum, qui pertinerent ad hoc Testamentum, et eorum scripturus in cordibus ; unde Apostolus sumpsit, « Non atra-

[1] 1 Cor. XIII, 12, et Jerem. XXXI, 34. — [2] 1 Cor. XV, 41. — [3] Hebr. XI, 40. — [4] Matth. XX, 8. — [5] Jerem. XXXI, 32.

» mento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, » sed in tabulis cordis carnalibus[1] : » sempiternamque mercedem justificationis hujus, non terram de qua pulsi sunt Amorrhæi et Chettæi[2], et aliæ gentes quæ ibi commemorantur, sed ipsum Deum, cui adhærere bonum est[3], ut bonum Dei quod diligunt, Deus sit ipse quem diligunt; inter quem et homines nisi peccata non separant, quæ nonnisi per eamdem gratiam dimittuntur. Unde cum dixisset : « Omnes enim cognoscent me, a minore usque » ad majorem eorum ; » mox addidit : « Quia propitius » ero iniquitati eorum, et peccata eorum non memorabor » ultra[4]. » Per legem ergo factorum dicit Dominus : « Non concupisces[5] : » per legem fidei dicit Dominus : « Sine me nihil potestis facere[6] : » agebat enim de bonis operibus, hoc est, de palmitum fructibus. Cum igitur hæc appareat distantia Veteris et Novi Testamenti, quod lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribitur, ut quod ibi forinsecus terret, hic delectet intrinsecus, ibique fiat prævaricator per occidentem litteram, hic dilector per vivificantem Spiritum : non ideo dicendum est, quod Deus adjuvet nos ad operandam justitiam atque operetur in nobis et velle et operari pro bona voluntate[7], quia præceptis justitiæ forinsecus insonat sensibus nostris; sed quia intrinsecus incrementum dat[8], diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis[9].

XLIII. Videndum est autem quomodo dicat Apostolus : « Cum enim gentes quæ legem non habent, natura- » liter quæ legis sunt faciunt, hi legem non habentes, » ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in

[1] 2 Cor. III, 3. — [2] Josuë. XII. — [3] Psal. LXXII, 28. — [4] Jerem. XXXI, 34. — [5] Exod. XX, 17. — [6] Joan. XV, 5. — [7] Philip. II, 13. — [8] 1 Cor. III, 7. — [9] Rom. V, 5.

» cordibus suis[1] : » ne videatur non esse certa distantia Novi Testamenti, quod leges suas Dominus in cordibus populi sui se scripturum esse promisit, quandoquidem hoc gentes naturaliter habeant. Pertractanda igitur hæc quæstio, quæ non mediocris exorta est. Dicet enim aliquis : Si Deus hinc discernit a Vetere Testamento Novum, quod in Vetere legem suam scripsit in tabulis, in Novo autem scripsit in cordibus : fideles Novi Testamenti unde discernuntur a gentibus, quæ habent opus legis scriptum in cordibus suis, quo naturaliter quæ legis sunt faciunt ; quasi jam illo populo vetere potiores, qui legem accepit in tabulis, et novo populo priores, cui hoc præstatur per Testamentum Novum, quod his natura jam præstitit ?

XLIV. An forte eas gentes commemoravit Apostolus, scriptam in cordibus habere legem, quæ ad Novum pertinent Testamentum ? Ad hoc enim unde venerit, intuendum est. Primo Evangelium commendans, ait : « Virtus » enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum » et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in » fidem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit[2]. » Deinde loquitur de illis impiis, quibus propter superbiam nec cognitio Dei profuit, quia non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt[3]. Inde transit ad eos qui judicant et agunt talia, qualia condemnant, nimirum propter Judæos, qui de lege Dei gloriabantur[4], quamvis adhuc eos nominatim non exprimat, et ideo dicit : « Ira » et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam » hominis operantis malum, Judæi primum et Græci : » gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, » Judæo primum et Græco. Non est enim personarum » acceptio apud Deum. Quicumque enim sine lege pec-

[1] Rom. II, 14. — [2] Id. I, 16. — [3] Ibid. 21. — [4] Id. II, 3.

» caverunt, sine lege et peribunt; et quicumque in lege » peccaverunt, per legem judicabuntur. Non enim audi- » tores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis jus- » tificabuntur. » His verbis hoc unde agitur subjungit, et dicit : « Cum gentes quæ legem non habent, naturali- » ter quæ legis sunt faciunt [1] : » et cætera quæ jam supra commemoravi. Proinde non videtur alios hic significasse sub nomine gentium, quam eos quos nomine Græci supra significabat, cum diceret : « Judæo primum et » Græco. » Porro si Evangelium « Virtus Dei est in sa- » lutem omni credenti, Judæo primum et Græco [2] ; et ira » et indignatio, et tribulatio et angustia in omnem ani- » mam hominis operantis malum, Judæi primum et » Græci, gloria autem et honor et pax omni operanti bo- » num, Judæo primum et Græco [3] ; » iste autem Græcus nomine gentium significatus est naturaliter quæ legis sunt facientium, et quæ scriptum habent opus legis in cordibus suis : profecto ad Evangelium pertinent gentes, quibus lex in cordibus scripta est; eis quippe credentibus virtus Dei est in salutem. Quibus autem gentibus bene operantibus gloriam et honorem pacemque promitteret, extra Evangelii gratiam constitutis [4]? Quia enim personarum acceptio non est apud Deum, et non auditores legis, sed factores justificantur; ideo sive Judæus sive Græcus, hoc est, quilibet ex gentibus crediderit, salutem in Evangelio pariter habebit. « Non enim est distinctio, » sicut postea dicit, Omnes enim peccaverunt, et egent » gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius [5]. » Unde autem factorem legis Græcum justificari diceret, sine gratia Salvatoris?

XLV. Neque enim contra se ipsum diceret, quod ait :

[1] Rom. III, 8-14. — [2] Ibid. 16. — [3] Id. II, 8. — [4] Ibid. 11 et 13. — [5] Id. III, 23.

« Factores legis justificabuntur[1] ; » tanquam per opera, non per gratiam justificentur : cum dicat gratis justificari hominem per fidem sine operibus legis, nihil aliud volens intelligi in eo quod dicit : « Gratis, » nisi quia justificationem opera non præcedunt. Aperte quippe alibi dicit : « Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia » jam non est gratia[2]. » Sed sic intelligendum est : « Fac- » tores legis justificabuntur, » ut sciamus eos aliter non esse factores legis, nisi justificentur : ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores justificatio præcedat. Quid est enim aliud, justificati, quam justi facti, ab illo scilicet qui justificat impium[3], ut ex impio fiat justus? Si enim ita loqueremur, ut diceremus : Homines liberabuntur; hoc utique intelligeretur, eis qui jam homines essent accedere liberationem : si autem diceremus : Homines creabuntur; non utique intelligeretur eos creari qui erant, sed ipsa creatione homines fieri. Ita si dictum esset : Factores legis honorabuntur ; non recte acciperemus nisi honorem illis qui jam essent factores legis accedere : cum vero dictum est : « Factores legis justificabuntur ; » quid aliud dictum est quam, justi justificabuntur? factores enim legis utique justi sunt. Ac per hoc tantumdem est ac si diceretur : Factores legis creabuntur, non qui erant, sed ut sint : ut sic intelligerent etiam Judæi legis auditores, indigere se gratia Justificatoris, ut possint esse factores. Aut certe ita dictum est : « Justificabuntur, » ac si diceretur : Justi habebuntur, justi deputabuntur : sicut dictum est de quodam : « Ille autem volens se justifi- » care[4], » id est, ut justus haberetur et deputaretur. Unde aliter dicimus : Deus sanctificat Sanctos suos : aliter autem, « Sanctificetur nomen tuum[5]. » Nam illud ideo,

[1] Rom. II, 13. — [2] Id. III, 24-28, et XI, 6. — [3] Id. IV, 5. — [4] Luc. X, 29 — [5] Matth. VI, 9.

quia ipse illos facit esse Sanctos, qui non erant Sancti : hoc autem ideo, ut quod semper apud se sanctum est, sanctum etiam ab hominibus habeatur, id est, sancte timeatur.

XLVI. Si ergo gentes commemorans, naturaliter quæ legis sunt facientes, et scriptum habentes opus legis in cordibus [1], illos intelligi voluit qui credunt in Christum ; quia non sicut Judæi præmissa sibi lege veniunt ad fidem : non est cur eos conemur discernere ab iis quibus Dominus per Prophetam promittens Testamentum Novum [2], dixit leges suas se scripturum in cordibus eorum [3] ; quia et ipsi per insertionem, quam oleastro præstitam dicit ad eamdem oleam, hoc est, ad eumdem Dei populum pertinent : potiusque concordat prophetico etiam hoc apostolicum testimonium : ut hoc sit pertinere ad Testamentum Novum, legem Dei habere non in tabulis, sed in cordibus scriptam, hoc est, in intimo affectu justitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur. « Quia ex fide justificat gentes Deus [4] : » Quod « Scrip- » tura prævidens, prænuntiavit Abrahæ, dicens : In » semine tuo benedicentur omnes gentes [5] : » ut per hanc promissionis gratiam olivæ insereretur oleaster [6], et fierent fideles gentes filii Abrahæ « In semine Abrahæ, quod est » Christus [7], » sectantes ejus fidem, qui non accepta in tabulis lege, nondumque habens ipsam circumcisionem, « Credidit Deo, et deputatum est illi ad justitiam [8]. » Ac sic tale erit hoc quod de ejusmodi gentibus dixit Apostolus : quod « Opus legis scriptum habeant in cordibus » suis [9] : » quale est illud ad Corinthios : « Non in tabulis » lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus [10]. « Ita enim

[1] Rom. II, 14. — [2] Jerem. XXXI, 33. — [3] Rom. XI, 24. — [4] Galat. V, 6. — [5] Id. III, 8. — [6] Gen. XXII, 18. — [7] Galat. III, 16. — [8] Gen. XV, 6. — [9] Rom. IV, 3, et II, 15. — [10] I Cor. III, 3.

fiunt de domo Israël, cum præputium eorum in circumcisionem deputatur, eo quod justitiam legis non præcisione carnis ostendunt, sed cordis charitate custodiunt : quoniam « Si præputium justitias legis custodiat, nonne » præputium ejus, inquit, in circumcisionem deputabi» tur[1] ? » Et propterea in domo veri Israël, in quo dolus non est[2], participes sunt Testamenti Novi, quia dat Deus leges in mentem ipsorum, et in cordibus eorum scribit eas digito suo, Spiritu sancto, quo ibi diffunditur charitas[3], quæ legis est plenitudo[4].

XLVII. Nec moveat, quod « Naturaliter eos dixit quæ legis sunt facere[5], » non Spiritu Dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia : propter quam Deo dicitur : « Miserere meî, sana » animam meam, quoniam peccavi tibi[6]. » Proinde naturaliter homines quæ legis sunt faciunt : qui enim hoc non faciunt, vitio suo non faciunt. Quo vitio lex Dei est deleta de cordibus : ac per hoc, vitio sanato, cum illic scribitur, fiunt quæ legis sunt naturaliter : non quod per naturam negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura. « Per unum quippe hominem peccatum in» travit in mundum, et per peccatum mors, et ita in » omnes homines pertransivit, in quo omnes peccave» runt[7] : » et ideo quia « Non est distinctio, egent gloria » Dei, justificati gratis per gratiam ipsius[8]. » Qua gratia in interiore homine renovato justitia scribitur, quam culpa deleverat : et hæc misericordia super genus humanum per Christum Jesum Dominum nostrum. « Unus

[1] Rom. II, 26. — [2] Joan. I, 47. — [3] Rom. V, 5. — [4] Id. XIII, 10. — [5] Id. II, 14. — [6] Psal. L, 5. — [7] Rom. V, 12. — [8] Id. III, 22.

» enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo » Christus Jesus[1]. »

LVIII. Si autem hi qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia; sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justeque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verumetiam merito recteque laudamus: quanquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur[2]: verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere; si hoc est quod dictum est: « Quia » gentes quæ legem non habent, hoc est, legem Dei, na» turaliter quæ legis sunt faciunt, » et quia hujusmodi homines « Ipsi sibi sunt lex, et scriptum opus legis habent » in cordibus suis [3], » id est, non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei cum crearentur impressum est: etiam sic illa differentia non perturbabitur, qua distat a Vetere Testamentum Novum, eo quod per Novum scribitur lex Dei in corde fidelium, quæ per Vetus in tabulis scripta est. Hoc enim illic scribitur per renovationem, quod non omni modo deletum est per vetustatem. Nam sicut ipsa imago Dei renovatur in mente credentium per Testamentum Novum, quam non penitus impietas aboleverat; nam remanserat utique id quod anima hominis nisi rationalis esse non potest: ita etiam ibi lex Dei non ex omni parte deleta per injustitiam, profecto scribitur renovata per gratiam. Nec istam inscriptionem, quæ

[1] 1 Tim. II, 5. — [2] Vide lib. 4. cont. Julian. cap. 4. — [3] Rom. II, 14.

justificatio est, poterat efficere in Judæis lex in tabulis scripta, sed solum prævaricationem. Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit : sed pietas quæ in aliam vitam transfert beatam et æternam, legem habet immaculatam, convertentem animas [1], ut ex illo lumine renoventur, fiatque in eis : « Signatum est super nos lu» men vultus tui, Domine [2]. » Unde aversi obsolescere meruerunt: renovari autem nisi gratia christiana, hoc est, nisi Mediatoris intercessione non possunt. « Unus enim et » Deus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui » dedit semetipsum redemptionem pro omnibus [3]. » A cujus gratia si alieni sunt illi, de quibus agimus, qui secundum illum modum, de quo superius satis diximus : « Na» turaliter quæ legis sunt faciunt; » quid eis proderunt « Excusantes cogitationes, in die qua judicabit Deus oc» culta hominum [4], » nisi forte ut mitius puniantur? Sicut enim non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur : sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. Verumtamen sicut in regno Dei velut stella ab stella in gloria differunt sancti [5], sic et in damnatione pœnæ sempiternæ tolerabilius erit Sodomæ quam alteri civitati [6], et erunt quidam duplo amplius quibusdam gehennæ filii : ita nec illud in judicio Dei vacabit, quod in ipsa impietate damnabili magis alius alio minusve peccaverit.

XLIX. Quid ergo hinc Apostolus efficere voluit, quod jactantiam cohibens Judæorum, cum dixisset : « Non au» ditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis jus-

[1] Psal. xviii, 8. — [2] Psal. iv, 7. — [3] 1 Tim. ii, 5. — [4] Rom. ii, 14. — [5] 1 Cor. xv, 41. — [6] Luc. x, 12.

» tificabuntur ; » continuo subjecit de his, qui « Legem non » habentes, naturaliter quæ legis sunt faciunt[1] : » si non illi sunt intelligendi, qui pertinent ad gratiam Mediatoris, sed illi potius, qui cum Deum verum vera pietate non colant, habent tamen quædam opera bona in vita impia? An forte hoc ipso probandum credidit, quod supra dixerat, quia « Non est personarum acceptio apud Deum[2] ; » et quod postea dixit, quia « Non Judæorum est Deus tan- » tum, sed et gentium[3] : » quod quantulacumque legis opera naturaliter insita non invenirentur in eis, qui legem non acceperunt, nisi ex reliquiis imaginis Dei ; quam non contemnit, cum in eum credunt, apud quem non est acceptio personarum? Sed quodlibet horum accipiatur, constat gratiam De promissam esse Testamento Novo etiam per Prophetam [4] : eamdemque gratiam in eo definitam, ut scribantur leges Dei in cordibus hominum, perveniantque ad eam cognitionem Dei, ubi non docebit unusquisque civem suum vel fratrem suum, dicens : « Cognosce » Deum, quia omnes cognoscent eum a minore usque ad » majorem eorum. » Hoc donum spiritus sancti est quo diffunditur charitas in cordibus nostris[5] : charitas non quælibet, sed charitas Dei de corde puro et conscientia bona et fide non ficta[6], ex qua justus in hac peregrinatione vivens, ad speciem quoque perducitur post speculum et ænigma[7], et quidquid erat ex parte, ut facie ad faciem cognoscat, sicut et cognitus est. Unam enim petiit a Domino, et hanc requirit, ut inhabitet in domo Domini per omnes dies vitæ suæ, ad hoc ut contempletur delectationem Domini[8].

L. Nemo itaque glorietur ex eo quod videtur habere[9],

[1] Rom. II, 13. — [2] Ibid. II. — [3] Id. III, 29. — [4] Jerem XXXI, 33. — [5] Rom. V, 5. — [6] 1 Tim. I, 5. — [7] 1 Cor. XIII, 12. — [8] Psal. XXVI, 4. — [9] 1 Cor. IV, 7.

tanquam non acceperit, aut ideo se putet accepisse, quia littera extrinsecus, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur insonuit. Nam « Si per legem justitia, ergo Christus » gratis mortuus est [1]. » Porro autem si non gratis mortuus est, ascendit in altum, captivam duxit captivitatem [2], et dedit dona hominibus : inde habet, quicumque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut non habet, aut id quod habet auferetur ab eo [3]. « Unus enim Deus qui justificat » circumcisionem ex fide, et præputium per fidem [4] : » quod non ad aliquam differentiam dictum est, tanquam aliud sit « Ex fide, » et aliud « Per fidem ; » sed ad varietatem locutionis. Alio quippe loco cum de gentibus diceret, hoc est, de præputio : « Prævidens, inquit, Scriptura, quia ex fide » justificat gentes Deus [5]. » Itemque cum de circumcisione loqueretur, unde erat ipse : « Nos, inquit, natura Judæi, et » non ex gentibus peccatores, scientes quia non justificatur » homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos » in Christum Jesum credimus [6]. » Ecce et præputium dixit justificari ex fide, et circumcisionem per fidem, si tamen circumcisio justitiam fidei teneat. « Sic enim Gentes quæ non » sectabantur justitiam apprehenderunt justitiam, justi- » tiam autem quæ ex fide est [7] : » impetrando eam ex Deo, non ex semetipsis præsumendo. « Israël vero persequens legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. « Quare? quia » non ex fide, sed tanquam ex operibus [8] : » id est, tanquam eum per semetipsos operantes, non in se credentes operari Deum. « Deus est enim qui operatur in nobis et velle et » operari pro bona voluntate [9]. Ac per hoc offenderunt » in lapidem offensionis [10]. » Nam quid dixerit : « Quia non » ex fide, sed tanquam ex operibus : » apertissime exposuit,

[1] Galat. II, 21. — [2] Psal. LXVII, 19, et Ephes IV, 8. — [3] Luc. VIII, 18, et XIX, 26. — [4] Rom. III, 30. — [5] Galat. III, 8. — [6] Id. II, 15. — [7] Rom. IX, 30. — [8] Ibid. 31, 32. — [9] Philip. II, 13. — [10] Rom. IX, 32.

dicens : « Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes » constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim » legis Christus ad justitiam omni credenti[1]. » Et adhuc dubitamus quæ sint opera legis, quibus homo non justificatur, si ea tanquam sua crediderit sine adjutorio et dono Dei, quod est « Ex fide Jesu Christi? » et circumcisionem cæteraque talia suspicamur, quia etiam de his sacramentis aliis in locis talia quædam leguntur? Sed hic utique non circumcisionem tanquam suam justitiam volebant constituere, quia et ipsam Deus præcipiendo constituit. Nec de illis operibus hoc intelligi potest, de quibus Dominus eis dicit : « Rejicitis mandatum Dei ut traditiones » vestras statuatis[2] : Quia persequens, inquit, legem jus- » titiæ, in legem justitiæ non pervenit Israël[3]. » Non dixit, persequens traditiones suas, id est, consectans. Hæc ergo sola distantia est, quia ipsum, « Non concupisces[4], » et cætera mandata ejus sancta et bona sibi tribuebant; quæ, ut possit homo facere, Deus operatur in homine per fidem Jesu Christi, qui finis est ad justitiam omni credenti; id est, cui per spiritum incorporatus factusque membrum ejus, potest quisque illo incrementum intrinsecus dante operari justitiam : de cujus operibus etiam ipse dixit, quia « Sine me nihil potestis facere[5]. »

LI. Ideo quippe proponitur justitia legis, quod qui fecerit eam, vivet in illa, ut cum quisque infirmitatem suam cognoverit, non per suas vires, neque per litteram ipsius legis, quod fieri non potest, sed per fidem concilians justificatorem perveniat, et faciat, et vivat in ea. Opus enim quod qui fecerit, vivet in eo, non fit nisi a justificato. Justificatio autem ex fide impetratur : de qua scriptum est : « Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cœlum?

[1] Rom. x, 3. — [2] Matth. xv, et Marc. vii, 9. — [3] Rom. ix, 31. — [4] Exod. xx, 17. — [5] Joan. xv, 5; Levit. xviii; Rom. x, 5.

» hoc est, Christum deducere : aut quis descendit in abys-
» sum ? hoc est, Christum a mortuis reducere. Sed quid di-
» cit ? Prope te est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc
» est, inquit, verbum fidei quod prædicamus : quia si con-
» fitearis in ore tuo quia Dominus est Jesus, et credideris in
» corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus
» eris[1]. » In tantum justus, in quantum salvus. Per hanc enim fidem credimus, quod etiam nos Deus a mortuis excitet : interim spiritu, ut in novitate ejus gratiæ temperanter et juste et pie vivamus in hoc sæculo [2], post etiam carne nostra ad immortalitatem resurrectura, quod est meritum spiritus, qui eam in resurrectione sibi congrua, hoc est, in justificatione præcedit. « Consepulti enim sumus
» Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum
» Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, sic et nos
» in novitate vitæ ambulemus [3]. » Fide igitur Jesu Christi impetramus salutem, et quantum nobis inchoatur in re, et quantum perficienda expectatur in spe. « Omnis enim
» qui invocaverit nomen Domini, salvus erit [4]. Quam multa
» multitudo, ait Psalmista, dulcedinis tuæ, Domine, quam
» abscondisti timentibus te ; perfecisti autem sperantibus
» in te[5] ? » Ex lege timemus Deum, ex fide speramus in Deum : sed timentibus pœnam absconditur gratia. Sub quo more anima laborans, quando concupiscentiam malam non vicerit, nec timor ille quasi custos severus abscesserit ; per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit. Ita multa multitudo dulcedinis ejus, hoc est, lex fidei, charitas ejus conscripta in cordibus atque diffusa, perficitur sperantibus in eum, ut anima

[1] Rom. x, 6-9. — [2] Tit. II, 12. — [3] Rom. VI, 4. — [4] Joël. , 32 , et Rom. x, 13. — [5] Psal. XXX, 20.

sanata non timore pœnæ, sed amore justitiæ operetur bonum.

LII. Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit : sed magis liberum arbitrium statuimus[1]. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur nisi libero arbitrio : sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ a vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc, sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur : ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur. Omnia hæc quæ velut catenatim connexi, habent voces suas in Scripturis sanctis. Lex dicit: « Non concupisces[2]. Fides dicit: « Sana animam meam, quoniam peccavi tibi[3]. » Gratia dicit: « Ecce sanus factus es, jam noli peccare, » ne quid tibi deterius contingat[4]. » Sanitas dicit: « Do- » mine Deus meus, exclamavi ad te, et sanasti me[5]. » Liberum arbitrium dicit : « Voluntarie sacrificabo tibi[6]. » Dilectio justitiæ dicit: « Narraverunt mihi injusti delec- » tationes, sed non sicut lex tua, Domine[7]. » Ut quid ergo miseri homines aut de libero arbitrio audent superbire antequam liberentur, aut de suis viribus, si jam liberati sunt? Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrii utique libertatem sonare. « Ubi autem spiritus Domini, ibi li- » bertas[8]. » Si ergo servi sunt peccati, quid se jactant de libero arbitrio? « A quo enim quis devictus est, huic et

[1] Rom. III, 31. — [2] Exod. XX, 17. — [3] Psal. XL, 5. — [4] Joan. V, 14. — [5] Psal. XXIX, 3. — [6] Id. LIII, 8. — [7] Id. CXVIII, 85. — [8] 2 Cor. III, 17.

» servus addictus est[1]. » Si autem liberati sunt, quid se jactant velut de opere proprio, et gloriantur quasi non acceperint? An ita sunt liberi, ut nec illum velint habere Dominum, qui eis dicit: « Sine me nihil potestis » facere[2] : » et, « Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi » eritis[3]. »

LIII. Quæret aliquis, utrum fides ipsa, in qua salutis vel ad salutem connexionis hujus, quam commemoravi, esse videtur exordium, in nostra constituta sit potestate : quod facilius videbimus, si prius quid sit potestas aliquanto diligentius perspexerimus. Cum enim duo quædam sint, velle et posse. unde nec qui vult continuo potest, nec qui potest continuo vult; quia sicut volumus aliquando quod non possumus, sic etiam possumus aliquando quod nolumus : satis evolutis ipsis etiam vocabulis resonat, quod ab eo quod est velle, voluntas; ab eo autem quod est posse, potestas nomen accepit. Quapropter sicut qui vult habet voluntatem. ita potestatem qui potest. Sed ut potestate aliquid fiat, voluntas aderit. Neque enim dici solet quispiam potestate fecisse, si quid fecit invitus. Quanquam, si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitus facere cogitur, si facit, voluntate facit : sed quia mallet aliud, ideo invitus, hoc est, nolens facere dicitur. Malo quippe aliquo facere compellitur, quod volens evitare vel a se removere, facit quod cogitur. Nam si tanta voluntas sit, ut malit hoc non facere quam illud non pati; cogenti procul dubio resistit, nec facit. Ac per hoc, si facit, non quidem plena et libera voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate : quam voluntatem, quia effectus consequitur, non possumus dicere potestatem defuisse facienti. Si enim cogenti cedens vellet facere, nec posset, ei voluntatem adfuisse licet extortam,

[1] 2 Petr. II, 19. — [2] Joan. XV, 5. — [3] Id. VIII, 36.

sed potestatem defuisse diceremus. Cum vero ideo non faciebat, quia nolebat; erat utique potestas, sed voluntas deerat, quandiu cogenti reluctando non fecit. Hinc est quod etiam illi qui cogunt, vel qui suadent, solent dicere : Quod habes in potestate, quare non facis, ut hoc malo careas? Et qui omnino facere non possunt, quod ideo coguntur ut faciant, quia posse creduntur, solent excusando respondere et dicere : Facerem, si esset in potestate. Quid igitur ultra quærimus; quandoquidem hanc dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi? Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit.

LIV. Attende jam illud quod excutiendum posuimus, utrum fides in potestate sit? De hac enim fide nunc loquimur, quam adhibemus cum aliquid credimus, non quam damus cum aliquid pollicemur; nam et ipsa dicitur fides. Sed aliter dicimus : Non mihi habuit fidem; aliter, Non mihi servavit fidem. Nam illud est, Non credidit quod dixi : illud, Non fecit quod dixit. Secundum hanc fidem qua credimus, fideles sumus Deo : secundum illam vero qua fit quod promittitur, etiam Deus ipse fidelis est nobis. Hoc enim dicit Apostolus, « Fidelis »Deus, qui non vos permittat tentari supra id quod po»testis[1].» De illa itaque fide quærimus, utrum in potestate sit, qua credimus Deo, vel credimus in Deum. Hinc enim scriptum est, « Credidit Abraham Deo, et deputatum est »illi ad justitiam [2] : et, « Credenti in eum qui justificat im»pium, deputatur fides ejus ad justitiam[3]. » Vide nunc utrum quisque credat, si noluerit; aut non credat, si voluerit. Quod si absurdum est : quid est enim credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? consensio autem utique volentis est : profecto fides in potestate est. Sed,

[1] 1 Cor. x, 13. — [2] Gen. xv, 6. — [3] Rom. iv, 3 et 5.

sicut Apostolus dicit, « Non est potestas nisi a Deo [1]. » Quid igitur causæ est, cur non et de ista nobis dicatur, « Quid enim habes, quod non accepisti [2] ? » Nam et ut credamus, Deus dedit. Nusquam autem legimus in Scripturis sanctis, Non est voluntas nisi a Deo. Et recte non Scriptum est, quia verum non est : alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo : quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiam si desit effectus, id est, si non habeat potestatem. Porro cum voluntas mala potestatem accipit implere quod intendit, ex judicio Dei venit, apud quem non est iniquitas [3]. Punit enim etiam isto modo ; nec ideo injuste, quia occulte. Cæterum iniquus puniri se ignorat, nisi cum manifesto supplicio senserit nolens, quantum mali sit quod perpetravit volens. Hoc est quod de quibusdam Apostolus ait, « Tradidit illos Deus in concupiscentias » cordis illorum, ut faciant quæ non conveniunt [4]. » Hinc et Dominus Pilato, « Non haberes in me, inquit, potes- » tatem, nisi data esset tibi desuper [5]. » Sed cum potestas datur, non necessitas utique imponitur. Unde cum David Saülis occidendi potestatem accepisset, maluit parcere, quam ferire [6]. Unde intelligimus malos accipere potestatem ad damnationem malæ voluntatis suæ, bonos autem ad probationem bonæ voluntatis suæ.

LV. Cum ergo fides in potestate sit, quoniam cum vult quisque credit : et cum credit, volens credit ; deinde quærendum est, imo recolendum, quam fidem tanta conflictatione commendet Apostolus. Non enim quodlibet credere bonum est : nam unde est illud, « Fratres, nolite » omni spiritui credere, sed probate spiritum qui ex Deo » est [7] ? » Nec in laudibus charitatis quod dictum est, « Om-

[1] Rom. XIII, 1. — [2] 2 Cor. IV, 7. — [3] Rom. IX, 14. — [4] Id. I, 24. — [5] Joan. XIX, 11. — [6] 1 Reg. XIV, 7, et XXVI, 9. — [7] 1 Joan. IV, 1.

» nia credit[1],» sic accipiendum est, ut charitati cujuspiam derogemus, si non quod audierit, statim crediderit. Quid quod eadem charitas admonet, non facile de fratre mali aliquid esse credendum, et cum tale aliquid dicitur, hoc ad se magis judicat pertinere ne credat. Postremo ipsa charitas quæ omnia credit, non omni spiritui credit : ac per hoc, omnia quidem credit, sed Deo; quia non dictum est, Omnibus credit. Nulli itaque dubium est, eam fidem ab Apostolo commendari, qua creditur Deo[2].

LVI. Sed adhuc aliquid discernendum est : quoniam et illi qui sub lege sunt, et timore pœnæ justitiam suam facere conantur, et ideo non faciunt Dei justitiam, quia charitas eam facit quam non libet nisi quod licet, non timor, qui cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate, qua mallet, si fieri posset, licere quod non licet : et illi ergo credunt Deo; nam si omnino non crederent, nec pœnam legis utique formidarent. Sed non hanc fidem commendat Apostolus, qui dicit : « Non » enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem, sed » accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, » Abba pater[3]. » Timor ergo ille servilis est : et ideo quamvis in illo Domino credatur, non tamen justitia diligitur, sed damnatio timetur. Filii vero clamant : « Abba, pater,» quarum duarum vocum una est ex circumcisione, altera ex præputio. Judæi primum et Græci : « Quoniam unus » est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præ» putium per fidem[4]. » Cum autem clamant, aliquid petunt; et quid petunt, nisi quod esuriunt et sitiunt? Et hoc quid est, nisi quod de illis dictum est : « Beati qui » esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur[5]? » Huc ergo transeant qui sub lege sunt, ut ex servis filii

[1] 1 Cor. XIII, 7. — [2] Rom. IV, 3. — [3] Id. VIII, 15. — [4] Id. II, 9, et III, 30. — [5] Matth. V, 6.

fiant : nec sic tamen, ut servi esse desistant ; sed ut tanquam filii Domino et patri liberaliter serviant, quia et hoc acceperunt : « Dedit enim potestatem ille Unicus, » filios Dei fieri credentibus in nomine ejus [1] : » eosque admonuit petere, quærere, pulsare, ut accipiant, et inveniant, et aperiatur eis : addens increpationem, et dicens : « Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis » vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit » bona petentibus se [2] ? » Cum ergo virtus peccati lex inflammaverit aculeum mortis [3], ut occasione accepta peccatum per mandatum operetur omnem concupiscentiam [4], a quo petenda est continentia, nisi ab illo qui novit bona data dare filiis suis ? An forte nescit insipiens, quod nemo esse possit continens, nisi Deus det [5] ? Hoc ergo ut sciat, ipsa indiget sapientia. Cur itaque non audit Patris sui spiritum dicentem per Apostolum Christi, vel ipsum Christum qui dicit in Evangelio suo, « Petite, » et accipietis [6] ? » loquentem etiam in Apostolo suo, et dicentem, « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet » a Deo qui dat omnibus affluenter, et non improperat, » et dabitur illi; postulet autem in fide, nihil hæsitans [7] ? » Hæc est fides, ex qua justus vivit [8], hæc est fides, qua creditur in eum qui justificat impium [9] : hæc est fides, per quam excluditur gloriatio [10] ; sive ut abscedat qua in nobis inflamur, sive ut emineat qua in Domino gloriamur : hæc est fides, qua impetratur largitas spiritus, de quo dicitur, « Nos enim spiritu ex fide » spem justitiæ expectamus [11]. » Ubi quidem quæri adhuc potest, utrum spem justitiæ dixerit, qua sperat justitia, an qua speratur ipsa justitia : quoniam justus

[1] Joan. I, 12. — [2] Matth. VII, 11. — [3] 1 Cor. XV, 56. — [4] Rom. VII, 8. — [5] Sap. VIII, 21. — [6] Matth. VII, 7. — [7] Jacob. I, 5. — [8] Rom. I, 17. — [9] Id. IV, 5. — [10] Id. III, 27. — [11] Galat. V, 5.

ex fide vivens, sperat utique vitam æternam; itemque fides esuriens sitiensque justitiam renovatione de die in diem interioris hominis proficit in ea [1], et sperat in ea satiari in vita æterna, ubi fiet id quod in Psalmo de Deo dicitur, « Qui satiat in bonis desiderium tuum [2], » Hæc est fides, qua salvi fiunt, quibus dicitur, « Gratia salvi » factis estis per fidem; et hoc non ex vobis, sed Dei do- » num est : non ex operibus, ne forte quis extollatur [3]. » Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in » operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambu- » lemus [4]. » Postremo hæc est fides, quæ per dilectionem operatur, non per timorem; non formidando pœnam, sed amando justitiam. Unde ergo ista dilectio, id est, charitas per quam fides operatur, nisi unde illam fides ipsa impetravit? Neque enim esset in nobis, quantacumque sit in nobis, nisi diffunderetur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis [5]. Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos : sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur [6]; et Domini salus [7], qua nos salvos facit; et fides Jesu Christi, qua nos fideles facit [8]. Hæc est justitia Dei, quam non solum docet per legis præceptum, verum etiam dat per spiritus donum.

LVII. Sed consequens est paululum quærere, utrum voluntas illa qua credimus, etiam ipsa Dei donum sit, an ex illo naturaliter insito libero adhibeatur arbitrio. Si enim dixerimus eam non esse donum Dei, metuendum est ne existimemus invenisse nos aliquid, quod Apostolo increpanti et dicenti : « Quid enim habes, quod non acce-

[1] 2 Cor. IV, 16. — [2] Psal. CII, 5. — [3] Ephes. II, 8. — [4] Galat. V, 6. — [5] Rom. V, 5. — [6] Id. III, 21. — [7] Psal. III, 9. — [8] Galat. II, 16.

» pisti? Si autem et accepisti, quid gloriaris quasi non » acceperis[1]?» respondere possimus : Ecce habemus voluntatem credendi, quam non accepimus : ecce ubi gloriamur, quod non acceperimus. Si autem dixerimus, etiam hujusmodi voluntatem non esse nisi donum Dei, rursus metuendum est, ne infideles atque impii non immerito se veluti juste excusare videantur, ideo non credidisse : quod dare illis Deus istam noluit voluntatem. Nam illud quod dictum est : « Deus est enim qui operatur in » nobis et velle et operari pro bona voluntate[2] : » jam gratiæ est, quam fides impetrat, ut possint esse hominis opera bona, quæ operatur fides per dilectionem, quæ diffunditur in corde per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Si credimus ut impetremus hanc gratiam, et utique voluntate credimus, de hac quæritur unde sit nobis. Si natura[3], quare non omnibus, cum sit idem Deus omnium creator[4]? Si dono Dei, etiam hoc quare non omnibus, cum omnes homines velit salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire?

LVIII. Prius igitur illud dicamus, et videamus utrum huic satisfaciat quæstioni, quod liberum arbitrium naturaliter attributum a Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest : et ideo nec istam voluntatem qua credit Deo, dici potest homo habere quam non acceperit; quandoquidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cum crearetur accepit. Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt,

[1] 1 Cor. IV, 7. — [2] Philip. II, 13. — [3] Confer lib. 2. de peccator. mer. c. 18. — [4] 1 Tim. II, 4.

cum ejus Evangelio non credunt : nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est : vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, verbi gratia : Volo ut hi omnes servi mei operentur in vinea, et post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat : videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem domini sui facere ; sed tunc eam vincet, si et pistrinum contemnens effugerit : quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate. Unde scriptum est : « Semel locutus est Deus[1], » hoc est, incommutabiliter, quanquam et de unico Verbo possit intelligi. Deinde subjungens quid incommutabiliter sit locutus : « Duo hæc, inquit, audivi, quoniam potestas » Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes » unicuique secundum opera sua. » Ille igitur reus erit ad damnationem sub potestate ejus, qui contempserit ad credendum misericordiam ejus. Quisquis autem crediderit, eique se a peccatis omnibus absolvendum, et ab omnibus vitiis sanandum, et calore ac lumine ejus accendendum illuminandumque commiserit, habebit ex ejus gratia opera bona, ex quibus etiam secundum corpus a mortis corruptione redimatur, coronetur, bonisque satietur, non temporalibus, sed æternis, supra quam petimus et intelligimus[2].

LIX. Hunc ordinem tenuit Psalmus, ubi dicitur : « Benedic, anima mea, Dominum, et noli oblivisci om- » nes retributiones ejus : qui propitius fit omnibus iniqui-

[1] Psal. LXI, 12, 13. — [2] Ephes. III, 20.

» tatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos, qui redi-» mit de corruptione vitam tuam, qui coronat te in » miseratione et misericordia, qui satiat in bonis deside-» rium tuum[1]. » Et ne forte hæc tanta bona hujus vetus-» tatis, hoc est, mortalitatis deformitas desperaret : « Renovabitur, inquit, sicut aquilæ juventus tua[2]. » Tanquam diceret : Hæc quæ audisti, ad novum hominem et ad Novum pertinent Testamentum. Recole mecum eadem ipsa paululum, obsecro te, et inspice delectabiliter laudem misericordiæ, hoc est, gratiæ Dei. « Benedic, inquit, » anima mea, Dominum, et noli oblivisci omnes retribu-» tiones ejus : » non ait, tributiones, sed « Retributiones » ejus ; » quia retribuit bona pro malis, « Qui propitius » fit omnibus iniquitatibus tuis : » hoc agitur in baptismatis sacramento. « Qui sanat omnes languores tuos : » hoc agitur in hac vita fidelis hominis, « Dum caro concupiscit » adversus spiritum, et spiritus adversus carnem[3], » ut non quæ volumus faciamus, dum alia lex in membris repugnat legi mentis ; dum velle adjacet[4], perficere autem bonum non : qui languores vetustatis, si perseverante intentione proficimus, de die in diem crescente novitate sanantur, ex fide quæ per dilectionem operatur[5]. « Qui » redimit de corruptione vitam tuam[6] : » hoc fit in ultima resurrectione mortuorum. « Qui coronat te in misere-» ratione et misericordia[7] : hoc fit in judicio, ubi cum rex justus sederit in throno redditurus unicuique secundum opera ejus[8], quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? Ideo illic necessarium fuit commemorare miserationem et misericordiam Domini, ubi jam exigi debita et reddi merita sic

[1] Psal. CII, 1-5. — [2] Ibid. 5. — [3] Galat. V, 17. — [4] Rom. VII, 23 et 18. — [5] Galat. V, 6. — [6] Psal. CII, 4. — [7] Prov. XX, 8 et 9. — [8] Matth. XVI, 27.

possent videri, ut nullus esset misericordiæ locus. Coronat ergo in miseratione et misericordia, sed etiam sic secundum opera. Segregabitur enim ad dexteram, cui dicatur : « Esurivi, et dedisti mihi manducare[1] : » quoniam « Judicium sine misericordia[2], sed, illi qui non » fecit misericordiam. Beati autem misericordes, quo- » niam ipsorum miserebitur Deus[3]. » Jam vero cum sinistri ierint in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam[4], quia « Hæc est, inquit, vita æterna, ut » cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Je- » sum Christum[5] : » illa cognitione, illa visione, illa contemplatione satiabitur in bonis animæ desiderium[6]. Hoc enim solum ei sat est, ultra non habet quod appetat, quo inhiet, quod requirat. Nam desiderio hujus satietatis ardebat, qui Domino Christo ait : « Ostende nobis » Patrem, et sufficit nobis[7]. » Cui responsum est : « Qui » me vidit, vidit et Patrem[8]. » Quia ipse est vita æterna, ut cognoscant unum verum Deum te, et quem misisti Jesum Christum. Sed si ille qui vidit Filium, vidit et Patrem : profecto qui videt Patrem et Filium, videt et Spiritum sanctum Patris et Filii[9]. Ita nec arbitrium liberum tollimus, et benedicit anima nostra Dominum, non obliviscens omnes retributiones ejus[10] : nec ignorans Dei justitiam, suam vult constituere[11] ; sed credit in eum qui justificat impium[12], et vivit ex fide, donec ad speciem perducatur ; fide scilicet quæ per dilectionem operatur[13]. Quæ dilectio diffunditur in cordibus nostris, nec per sufficientiam propriæ voluntatis, nec per litteram legis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis[14].

[1] Matth. xxv, 35. — [2] Jacob. II, 13. — [3] Matth. v, 7. — [4] Id. xxv, 46. — [5] Joan. III. — [6] Psal. CII, 5. — [7] Joan. XIV, 8. — [8] Id. XVII, 3. — [9] *Hic et infra forte* vidit. — [10] Psal. CII, 2. — [11] Rom. X, 3. — [12] Id. IV, 5. — [13] Galat V, 6. — [14] Rom. V, 5.

LX. Hæc disputatio, si quæstioni illi solvendæ sufficit, sufficiat. Si autem respondetur, cavendum esse ne quisquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, si in eo quod dicitur : « Quid » habes, quod non accepisti[1], » propterea etiam voluntas qua credimus, dono Dei tribuitur, quia de libero existit arbitrio, quod cum crearemur accepimus. Attendat, et videat, non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est quod nobis naturaliter concreatum est ; verumetiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat, sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali[2], ut ei credat, neque enim credere potest quodlibet libero arbitro, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat ; profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos : consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solum non infirmat quod dictum est : « Quid enim habes quod non » accepisti[3] : verumetiam confirmat, Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo : ac per hoc quid habeat, et quid accipiat, Dei est : accipere autem et habere utique accipientis et habentis est. Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illa ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita ; duo sola occurrunt interim

[1] 1 Cor. IV, 7. — [2] Vide lib. I. ad Simplicianum, c. 2. — [3] 1 Cor. IV, 7.

quæ respondere mihi placeat : « O altitudo divitiarum [1] ! » et, « Numquid iniquitas apud Deum [2] ? » Cui responsio ista displicet quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptores.

LXI. Concludamus igitur librum aliquando, cujus tanta prolixitate utrum aliquid egerimus, nescio : non apud te, cujus fidem scio ; sed apud animos eorum propter quos me scribere voluisti : qui non contra nostram, sed (ut mitius loquar, et non dicam illius qui in suis Apostolis est locutus), certe contra tanti Apostoli Pauli, non unam sententiam, sed tam vehementem, tam intentam vigilemque conflictationem malunt suam defensitare sententiam, quam eum audire « Obsecrantem per mise-» rationem Dei, » et dicentem : « Per gratiam Dei quæ » data est illi, non plus sapere, præter quam oportet sa-» pere, sed sapere ad temperantiam, unicuique sicut Deus » partitus est mensuram fidei [3]. »

LXII. Tu autem quid mihi proposueris, et quid tam longo disputationis hujus opere effecerimus adverte. Movit te certe quemadmodum dictum fuerit, fieri posse, ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit, ope adjuvante divina ; quamvis nemo tam perfectæ justitiæ in hac vita fuerit, vel sit, vel futurus sit. Sic enim hoc ipsum in illis prius ad te conscriptis libris [4] proposui : Si a me quæratur, inquam, utrum homo sine peccato possit esse in hac vita : confitebor posse per Dei gratiam, et liberum ejus arbitrium : ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigens ; nec tantum ut sit, verumetiam ut bonum sit, id est, ad facienda mandata Domini convertatur ; atque ita Dei gratia, non solum ostendat quid faciendum sit, sed adjuvet

[1] Rom. XI, 33. — [2] Id. IX, 14. — [3] Id. XII, 3. — [4] Lib. 2. de peccat. merit. cap. 6.

etiam, ut fieri possit quod ostenderit. » Tibi autem absurdum visum est, sine exemplo esse rem quæ fieri potest. Hinc exorta est hujus libri quæstio, ac per hoc ad nos pertinebat ostendere, fieri posse aliquid quamvis desit exemplum. Hinc ex Evangelio et ex Lege quædam posuimus in sermonis hujus exordio, sicut de cameli transitu per foramen acus [1], et de duodecim millibus legionum Angelorum [2], qui potuerunt si vellet pugnare pro Christo [3], et de illis gentibus quas Deus dicit potuisse se a facie populi sui semel exterminare [4] : quæ omnia facta non sunt. His addi possunt etiam illa quæ leguntur in libro Sapientiæ [5], quam multa posset nova tormenta Deus exercere in impios ad nutum sibi serviente creatura, quæ tamen non exercuit. Potest et de monte illo, quem fides in mare transferret [6] : quod tamen nusquam factum, vel legimus, vel audivimus (15). Quisquis enim horum aliquid Deo dixerit esse impossibile, vides quam desipiat, quamque adversus fidem Scripturæ ejus loquatur. Multa alia hujusmodi possunt occurrere vel legenti vel cogitanti, quæ possibilia Deo negare non possumus, quamvis eorum desit exemplum.

LXIII. Sed quia dici potest, illa opera esse divina, juste autem vivere ad nostra opera pertinere : suscepi ostendere etiam hoc opus esse divinum ; et hoc egi libro isto loquacius fortasse quam sat est : sed contra inimicos gratiæ Dei etiam parum mihi dixisse videor ; nihilque me tam multum dicere delectat, quam ubi mihi et Scriptura ejus plurimum suffragatur, et id agitur, ut qui gloriatur in Domino glorietur [7], et in omnibus gratias agamus Domino Deo nostro sursum cor habentes, unde a Patre luminum omne datum optimum et omne donum perfectum est [8]. Nam si propterea non est opus Dei, quia per nos agi-

[1] Matth. xix, 24. — [2] Id. xxvi, 53. — [3] Deut. xxxi, 3. — [4] Judic. ii, 3. — [5] Sap. xvi, 24. — [6] Marc. xi, 23. — [7] 2 Cor. x, 17. — [8] Jacob. i, 17.

tur, vel quia illo donante nos agimus, nec illud est opus Dei, ut mons transferatur in mare; quia per fidem hominum fieri posse Dominus dixit, et hoc ipsorum operi attribuit, dicens : « Si habueritis in vobis fidem tanquam » granum sinapis, dicetis monti huic : Tollere et mittere in » mare, et fiet, et nihil impossibile erit vobis [1]. » Certe « Vobis » dixit, non, mihi aut Patri : et tamen hoc nullo modo facit homo, nisi illo donante et operante. Ecce quemadmodum sine exemplo est in hominibus perfecta justitia, et tamen impossibilis non est. Fieret enim, si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei. Esset autem tanta, si et nihil eorum quæ pertinent ad justitiam nos lateret, et ea sic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis dolorisve impedit, delectatio illa superaret : quod ut non sit, non ad impossibilitatem, sed ad judicium Dei pertinet. Quis enim nesciat, non esse in hominis potestate quid sciat, nec esse consequens, ut quod appetendum cognitum fuerit appetatur, nisi tantum delectet, quantum diligendum est? Hoc autem sanitatis est animæ.

LXIV. Sed fortasse quispiam putaverit, nihil nobis deesse ad cognitionem justitiæ, quod Dominus verbum consummans et brevians super terram [2] dixit in duobus præceptis totam legem prophetasque pendere; nec ea tacuit, sed verbis apertissimis prompsit : « Diliges, inquit, » Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima » tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum tan» quam te ipsum [3]. » Quid verius, his impletis impleri omnino justitiam? Verumtamen qui hoc attendit, etiam illud attendat, quam in multis offendamus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere

[1] Marc. xi, 23; Luc. xvii, 6; Matth. xvii, 20. — [2] Isaï. x, 23, et Rom. ix, 28. — [3] Matth. xxii, 40.

quod facimus [1]; et postea per Scripturam ejus, sive certa et perspicua ratione commoniti, cum didicerimus quod ei non placeat, pœnitendo precamur ut ignoscat. Plena humana vita est documentis talibus. Unde autem minus novimus quid ei placeat, nisi quia et ipse minus notus est nobis? « Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem [2]. Quis vero existimare audeat, cum eo ventum fuerit, quod ait : « Ut cognoscam sicut » et cognitus sum [3],» tantam Dei dilectionem fore contemplatoribus ejus, quanta fidelibus nunc est : aut ullo modo hanc illi tanquam de proximo comparandam? Porro si quanto major notitia, tanto erit major dilectio : profecto nunc quantum deest dilectioni, tantum perficiendæ justitiæ deesse credendum est. Sciri enim aliquid vel credi, et tamen non diligi potest : diligi autem quod neque scitur neque creditur, non potest. At si credendo ad tantam dilectionem sancti pervenire potuerunt, qua certe majorem in hac vita esse non posse Dominus ipse testatus est, ut animam suam pro fide vel pro fratribus ponerent [4] : cum ab hac peregrinatione, in qua per fidem nunc ambulatur [5], perventum erit ad speciem, quam nondum visam speramus, et per patientiam expectamus [6], procul dubio et ipsa dilectio non solum supra quam hic habemus, sed longe supra quam petimus et intelligimus erit [7] : nec ideo tamen plus esse poterit, quam ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Neque enim restat in nobis aliquid quod addi possit ad totum; quia si restabit aliquid, illud non erit totum. Proinde hoc primum præceptum justitiæ, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente [8], cui est de proximo diligendo alterum consequens, in illa vita imple-

[1] Jacob. III, 2. — [2] 1 Cor. XIII, 12. — [3] Ibid. — [4] Joan. XV, 13. — [5] 2 Cor. V, 7. — [6] Rom. VIII, 23. — [7] Ephes. III, 20. — [8] Matth. XXII, 37.

bimus, cum videbimus facie ad faciem [1]. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est [2], ut admoneremur quid fide exposcere, quo spem præmittere, et obliviscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus [3]. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea quæ perficienda est justitia multum in hac vita ille profecit, qui quam longe sit a perfectione justitiæ, proficiendo cognovit.

LXV. Sed si dici potest quædam justitia minor huic vitæ competens, qua justus ex fide vivit [4], quamvis peregrinus a Domino, et ideo per fidem ambulans, nondum per speciem [5] : non absurde dicitur etiam ad istam pertinere ne peccet. Neque enim, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, jam culpæ deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamvis longe minus amet Deum, quam eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum : sicut etiam in his quæ adjacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quamvis non possit in fulgentissima luce defigi. Verum ecce jam talem constituamus animam humanam in hoc corruptibili corpore, quæ etsi nondum illa supereminentissima perfectione charitatis Dei omnes motus terrenæ libidinis absorbuerit atque consumpserit, attamen in ista minore justitia ad illicitum aliquid operandum eidem libidini nulla inclinatione consentiat : ut ad illam vitam jam immortalem pertineat : « Diliges Dominum » Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et » ex tota virtute tua [6] ; » ad hanc autem : « Non regnet » peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum de» sideriis ejus [7] : » ad illam : « Non concupisces [8] ; » ad is-

[1] 1 Cor. XIII, 12. — [2] Vide lib. de perfectione just. c. 8. — [3] Philip. III, 13. — [4] Rom. I, 17. — [5] 2 Cor. V, 7. — [6] Deut. VI, 5. — [7] Rom. VI, 12. — [8] Exod. XX, 17.

tam : « Post concupiscentias tuas non eas [1] : » ad illam nihil amplius quærere, quam in ea perfectione persistere ; ad istam, hoc quod agit in opere habere, et illius perfectionem pro mercede sperare : ut per illam justus sine fine vivat in specie, quam in ista desideravit ; per hanc autem justus vivat ex fide, in qua illam certo fine desiderat. (His (16) constitutis peccatum erit hominis ex fide viventis, aliquando alicui delectationi illicitæ consentire : non tantum in illis horrendis facinoribus et flagitiis perpetrandis, verumetiam in levioribus ; ut vel aurem alicui voci quæ audienda non esset, vel linguam alicui quæ dicenda non esset, accommodet ; vel in ipso corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum quod male delectat, et per præceptum scitur illicitum : etiam ista quippe consensio est ad peccatum, quæ utique fieret, nisi pœna terreret). Tales justi ex fide viventes, non opus habent dicere : « Dimitte » nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus » nostris [2] ? » falsumque esse convincunt, quod scriptum est : « Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens [3] ? » et illud : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, » nosmetipsos decipimus, et veritas in nobis non est [4] ? et illud : « Quia non est homo qui non peccabit [5] ? » et illud : « Non est justus in terra qui faciet bonum et non pecca- » bit [6] ? » (utrumque enim hoc testimonium non de præterito dicit, id est, peccavit, sed de futuro, id est : « Pecca- » bit :) » et si qua alia in hanc sententiam sancta Scriptura commemorat. Sed quoniam hæc falsa esse non possunt, illud esse consequens video, ut qualemlibet vel quantamlibet in hac vita potuerimus definire justitiam, nullus in ea sit hominum qui nullum habeat omnino peccatum ; omnique homini sit necessarium dare ut detur illi, dimittere

[1] Eccli. xviii, 30. — [2] Matth. vi, 12. — [3] Psal. cxlii, 2. — [4] 1 Joan. i 8. — [5] 3 Reg. viii, 46. — [6] Eccle. vii, 21.

ut dimittatur illi [1] ; et si quid habet justitiæ, non de suo sibi esse præsumere, sed de gratia justificantis Dei, et adhuc tamen ab illo esurire et sitire justitiam [2], qui est panis vivus, et apud quem est fons vitæ [3] : qui sic operatur justificationem in sanctis suis in hujus vitæ tentatione laborantibus [4], ut tamen sit et quod petentibus largiter adjiciat, et quod confitentibus clementer ignoscat.

LXVI. Sed inveniant isti, si possunt, aliquem sub onere corruptionis hujus viventem, cui jam non habeat Deus quod ignoscat : nisi tamen eum fateantur non doctrina legis datæ, sed etiam infuso spiritu gratiæ, ut talis esset, adjutum ; non cujuscemodi peccati crimen, sed ipsius impietatis incurrent. Sane quanquam talem, si testimonia illa divina competenter accipiant, prorsus invenire non possunt : nullo modo tamen dicendum, Deo deesse possibilitatem, qua voluntas sic adjuvetur humana, ut non solum justitia ista quæ ex fide est [5], omni ex parte modo perficiatur in homine, verum etiam illa secundum quam postea in æternum in ipsa ejus contemplatione vivendum est. Quandoquidem si nunc velit in quoquam etiam hoc corruptibile induere incorruptionem [6], atque hic inter homines morituros eum jubere vivere minime moriturum, ut tota penitus vetustate consumpta nulla lex in membris ejus repugnet legi mentis [7], Deumque ubique præsentem ita cognoscat, sicut sancti postea cognituri sunt, quis demens audeat affirmare, non posse ? Sed quare non faciat, quærunt homines : nec qui quærunt, se attendunt esse homines. Scio quod sicut impossibilitas, ita et iniquitas non est apud Deum [8]. Et scio quod superbis resistit, humilibus autem dat gratiam [9].

[1] Luc. VI, 38. — [2] Matth. V, 6. — [3] Joan. VI, 51. — [4] Psal. XXXV, 10. — [5] Rom. X, 6. — [6] 1 Cor. XV, 53. — [7] Rom. VII, 23. — [8] Id. IX, 14. — [9] Jacob. IV, 6.

Et scio quod illi, cui ne extolleretur datus erat stimulus carnis angelus Satanæ qui eum colaphizaret, semel et iterum et tertio deprecanti dictum est: « Sufficit tibi gra-» tia mea, nam virtus in infirmitate perficitur [1]. » Aliquid ergo est in abdito et profundo judiciorum Dei, ut etiam justorum omne os obstruatur in laude sua, et non aperiatur nisi in laudem Dei. Hoc autem aliquid quis possit scrutari, quis investigare, quis nosse? tam sunt « Inscru-» tabilia judicia ejus, et investigabiles viæ ejus. Quis enim » cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius illi fuit? » Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex » ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in » sæcula sæculorum. Amen [2]. »

[1] 2 Cor. XII, 9. — [2] Rom. XI, 33.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE NATURA ET GRATIA AD TIMASIUM ET JACOBUM

CONTRA PELAGIUM,

LIBER UNUS [1].

Principio ponitur quid de natura et gratia exploratum sit : Naturam scilicet ex Adæ prævaricatoris carne propagatam, quia jam non qualem Deus primitus condiderat, inculpabilem et sanam, gratiæ auxilio, quod et ab ira Dei redimatur, et ad justitiam perficiendam regatur, indigere. Naturæ pœnale vitium ad vindictam justissimam pertinere: ipsam autem gratiam non meritis reddi, sed gratis dari; et qui non per eam liberantur, juste damnari. Mox Pelagii eidem naturæ contra gratiam patrocinantis liber, responsis ad singulos apices redditis, confutatur; inter alia præcipue quod posse esse hominem sine peccato, suadere cupiens, naturam per peccatum debilitatam et mutatam non esse contendat; alioquin materiam peccati (quod absurdum putat) vindictam fore, si ad hoc peccator infirmatus est, ut plura peccaret. Præterea quod commemoratis justis cum Veteris tum Novi Testamenti, quos peccato caruisse sentit, dicat possibilitatem non pec-

[1] Scriptus anno Christi 415.

candi homini a natura inesse; eamque ideo gratiæ Dei tribuendam, quia illius naturæ Deus auctor est, cui ea non peccandi possibilitas inseparabiliter insita sit. Veterum denique, quas pro se Pelagius adducit, ac nominatim Hilarii, Ambrosii, ipsius quoque Augustini sententiæ expenduntur[1].

I. LIBRUM quem misistis[2], charissimi filii Timasi et Jacobe, intermissis paululum quæ in manibus erant, cursim quidem, sed non mediocri intentione perlegi: et vidi hominem zelo ardentissimo accensum adversus eos, qui cum in suis peccatis humanam voluntatem debeant accusare, naturam potius accusantes hominum, per illam se excusare conantur. Nimis exarsit adversus hanc pestilentiam, quam etiam litterarum sæcularium auctores graviter arguerunt, exclamantes: « Falso quæritur de natura sua genus humanum[3]. » Hanc prorsus etiam iste sententiam quantis potuit ingenii viribus aggeravit. Verumtamen timeo ne illis potius suffragetur, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, « Ignorantes enim Dei jus- » titiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non » sunt subjecti[4]. » Quæ sit autem justitia Dei de qua hic loquitur, consequenter aperit adjungens, « Finis enim legis » Christus ad justitiam omni credenti. » Hanc itaque justitiam Dei, non in præcepto legis, quo timor incutitur, sed in adjutorio gratiæ Christi, ad quam solam utiliter legis velut pædagogi timor ducit[5], constitutam esse qui intelligit, ipse intelligit quare sit Christianus. « Nam si » per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est[6]. » Si autem non gratis mortuus est, in illo solo justificatur im-

[1] Vide Retract. lib. 2, c. 42. — [2] Vide D. Guillon, tom. XXII, p. 145-147. — [3] Salust. in prologo belli Jugurt. — [4] Rom. X, 2, 3. — [5] Galat. III, 24. — [6] Id. II, 21.

pius, cui credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ad justitiam [1]. « Omnes enim peccaverunt, et » egent gloria Dei, justificati gratis per sanguinem ip- » sius [2]. » Quicumque autem non putantur pertinere ad hos omnes, qui peccaverunt et egent gloria Dei, profecto nullam necessitatem habent ut Christiani fiant ; quia non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus [3] : unde non venit ille vocare justos, sed peccatores.

II. Ac per hoc natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secura, hoc est, de vita æterna, etiamsi in aliqua gente aut aliquo superiore tempore fides eam latuit sanguinis Christi. Non enim injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ, si eis non est annuntiatum sacramentum divinitatis et humanitatis Christi, quod manifestatum est in carne. « Quomodo enim crederent quod » non audierunt, aut quomodo audirent sine prædi- » cante [4]? Fides enim ex auditu, sicut scriptum est, » auditus autem per verbum Christi [5]. » Sed dico, inquit; Numquid non audierunt? « In omnem terram exivit so- » nus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum [6]. » Sed antequam hoc inciperet fieri, antequam denique usque ad fines totius orbis terræ prædicatio ipsa perveniat, quoniam non desunt adhuc ultimæ gentes, licet ut perhibetur paucissimæ, quibus hoc nondum fuerit prædicatum; quid faciet humana natura, vel quid fecit, quæ vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in Deum, qui fecit cœlum et terram, a quo et se factam naturaliter sentit, et recte vivendo ejus impleat voluntatem, nulla fide passionis Christi et resur-

[1] Rom. IV, 5. — [2] Id. III, 23. — [3] Matth. IX, 12. — [4] 1 Tim. III, 16. — [5] Rom. X, 14. — [6] Psal. XVIII, 5.

rectionis imbuta? Quod si fieri potuit aut potest, hoc et ego dico, quod de lege dixit Apostolus: « Ergo Christus » gratis mortuus est [1]. » Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens una Judæorum, quanto justius dicitur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum, « Si per naturam justitia ergo Christus gratis mor- » tuus est? » Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari et redimi ab ira Dei justissima, hoc est, a vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem et sacramentum sanguinis Christi.

III. Natura quippe hominis primitus inculpata et sine ullo vitio creata est : natura vero ista hominis, qua unusquisque ex Adam nascitur, jam medico indiget, quia sana non est. Omnia quidem bona, quæ habet in formatione, vita, sensibus, mente, a summo Deo habet creatore et artifice suo. Vitium vero, quod ista naturalia bona contenebrat et infirmat, ut illuminatione et curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est; sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio. Ac per hoc natura pœnalis ad vindictam justissimam pertinet. « Si [2] enim jam sumus in Christo nova creatura, » tamen eramus natura filii iræ, sicut et cæteri [3] : Deus » autem qui dives est in misericordia, propter multam » dilectionem qua dilexit nos, et cum essemus mortui de- » lictis, convivificavit nos Christo, cujus gratia sumus » salvi facti [4]. »

IV. Hæc autem Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod et gratia nominatur. « Jus- » tificati, inquit, gratis per sanguinem ipsius [5]. » Unde ii qui non per illam liberantur, sive quia audire nondum po-

[1] Galat. II, 21. — [2] *Forte* Etsi. — [3] 2 Cor. V, 17. — [4] Ephes. II, 3. — [5] Rom. III, 24.

tuerunt, sive quia obedire noluerunt, sive etiam cum per ætatem audire non possent, lavacrum regenerationis quod accipere possent, per quod salvi fierent, non acceperunt, juste utique damnantur: quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. « Omnes enim peccaverunt, sive in Adam, » sive in se ipsis, et egent gloria Dei [1]. »

V. Universa igitur massa pœnas debet : et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur [2], non injuste procul cubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur. Cujus misericordiæ, nisi illius qui Christum Jesum misit in hunc mundum peccatores salvos facere [3], quos præscrivit et prædestinavit et vocavit et justificavit et glorificavit [4]? Quis igitur usque adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiæ quos voluit liberantis, qui recte nullo modo posset culpare justitiam universos omnino damnantis?

VI. Hoc si secundum Scripturas sapiamus, non cogimur contra christianam gratiam disputare, et ea dicere quibus demonstrare conemur, naturam humanam neque in parvulis medico indigere quia sana est, et in majoribus sibi ipsam ad justitiam si velit posse sufficere. Acute quippe videntur hæc dici, sed in sapientia verbi, qua evacuatur crux Christi [5]. Non est ista desursum sapientia descendens [6]. Nolo quod sequitur dicere, ne amicis nostris, quorum fortissima et celerrima ingenia non in perversum, sed in directum currere volumus, facere existimemur injuriam.

VII. Quanto igitur zelo accensus est libri hujus, quem misistis, conditor, adversus eos qui peccatis suis patroci-

[1] Rom. III, 23. — [2] Id. IX, 23. — [3] 1 Tim. I, 15. — [4] Rom. VIII, 29. — [5] 1 Cor. I, 17. — [6] Jacob. III, 15.

nium de naturæ humanæ infirmitate perquirunt; tanto et multo ardentiore zelo nos oportet accendi, ne evacuetur crux Christi. Evacuatur autem, si aliquo modo præter illius sacramentum ad justitiam vitamque æternam perveniri posse dicatur : quod in libro isto agitur, nolo dicere ab sciente, ne illum qui eum scripsit, ne Christianum quidem habendum judicem; sed quod magis credo, a nesciente : magnis sane viribus; sed eas sanas volo, non quales phrenetici habere consuerunt.

VIII. Nam prius distinguit, « Aliud esse quærere, an possit aliquid esse, quod ad solam possibilitatem pertinet; aliud, utrum-ne sit. » Hanc distinctionem veram esse nemo ambigit : consequens enim est, ut quod est, esse potuerit; non est autem consequens, ut quod esse potest, etiam sit. Quia enim Dominus Lazarum suscitavit, sine dubio potuit[1] : quia vero Judam non suscitavit, numquid dicendum est, non potuit? Potuit ergo, sed noluit (17). Nam si voluisset, eadem etiam hoc potestate fecisset; quia et Filius quos vult vivificat[2]. Sed hac distinctione vera atque manifesta quo tendat, et quid efficere conetur, advertite : « Nos, inquit, de sola possibilitate tractamus; de qua nisi quid certum constiterit, transgredi ad aliud, gravissimum esse atque extra ordinem ducimus. » Hoc versat multis modis et sermone diuturno, ne quis eum aliud, quam de non peccandi possibilitate quærere existimet. Unde inter multa quibus id agit, etiam hoc dicit : « Idem iterum repeto : Ego dico posse esse hominem sine peccato. Tu quid dicis? Non posse esse hominem sine peccato? Neque ego dico, inquit, hominem esse sine peccato, neque tu dicis non esse hominem sine peccato : de posse et non posse, non deesse et non esse contendimus. » Deinde nonnulla eorum, quæ adver-

[1] Joan. xi, 44. — [2] Id. v, 21.

sus eos de Scripturis proferri solent, ad istam quæstionem non pertinere, in qua quæritur, possit-ne an non possit homo esse sine peccato, ita commemorat : « Nam « Nullus, inquit, mundus est a sorde[1]; » et, « Non est homo » qui non peccet[2]; » et, « Non est justus in terra[3]; » et, « Non » est qui faciat bonum[4]; » et cætera his similia, inquit, ad non esse, non ad non posse proficiunt. Hujusmodi enim exemplis ostenditur, quales homines quidam tempore aliquo fuerint; non quod aliud esse non potuerint : unde et jure inveniuntur esse culpabiles. Nam si idcirco tales fuerunt, quia aliud esse non potuerunt, culpa carent. »

IX. Videte quid dixerit. Ego autem dico, parvulum natum in eo loco ubi ei non potuit per Christi baptismum subveniri, morte præventum, idcirco talem fuisse, id est, sine lavacro regenerationis exisse[5], quia esse aliud non potuit. Absolvat ergo eum, et aperiat ei contra sententiam Domini regnum cœlorum. Sed non eum absolvit Apostolus, qui ait : « Per unum hominem peccatum in- » travit in mundum, et per peccatum mors, et ita in om- » nes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt[6]. » Recte ergo ea damnatione, quæ per universam massam currit, non admittitur in regnum cœlorum, quamvis Christianus non solum non fuerit, sed nec esse potuerit.

X. Sed, non damnatur, inquiunt, quia in Adam peccasse omnes, non propter peccatum nascendi origine attractum, sed propter imitationem, dictum est. » Si ergo ideo dicitur Adam auctor omnium, qui subsecuti sunt, peccatorum, quia primus peccator in hominibus fuit : cur non potius Abel, quam Christus, ponitur caput omnium justorum, quia primus in hominibus justus fuit? Sed de infante non loquor : juvenis vel senex in ea

[1] Job. XIV, 4, juxta LXX. — [2] 3 Reg. VIII, 46. — [3] Eccle. VII, 21. — [4] Psal. XIII, 1. — [5] Joan. III, 5. — [6] Rom. V, 12.

regione defunctus est, ubi non potuit Christi nomen audire; potuit fieri justus per naturam et liberum arbitrium, an non potuit? Si potuisse dicunt; ecce quod est, crucem Christi evacuare[1], sine illa quemquam per naturalem legem et voluntatis arbitrium justificari posse contendere. Dicamus et hic : « Ergo Christus gratis mortuus » est[2] : » hoc enim omnes possent, etiamsi mortuus ille non esset; et si injusti essent, quia vellent, essent, non quia justi esse non possent. Si autem sine Christi gratia justificari omnino non potuit, etiam istum si audet absolvat secundum verba sua : « Quia si idcirco talis fuit, quod aliud esse omnino non potuit, culpa caruit. »

XI. Sed objicit sibi quasi ab alio dictum, et ait : « Potest quidem esse, sed per gratiam Dei, inquies. » Deinde velut respondendo subjungit : « Ago humanitati tuæ gratias, quod assertionem meam, quam dudum oppugnabas, non modo oppugnare, aut confiteri solum contentus non es, verumetiam non refugis comprobare. Nam dicere : Potest quidem, sed per illud aut illud : quid aliud est, quam non solum consentire quod possit esse, verumetiam quomodo vel qualiter possit, ostendere? Nullus itaque magis alicujus rei possibilitatem probat, quam qui ejus etiam qualitatem fatetur; quia neque absque re esse qualitas potest. » His dictis iterum sibi objicit : « Sed tu, inquies, hoc in loco Dei gratiam, quando quidem eam non commemoras, videris abnuere. » Deinde respondet : « Ego-ne abnuo, qui rem confitendo, confitear necesse est et per quod res effici potest; an tu, qui rem negando, et quidquid illud est per quod res efficitur procul dubio negas? » Oblitus est, jam se illi respondere, qui rem non negat, cujus objectionem paulo ante proposuerat dicentis : « Potest quidem esse, sed per gra-

[1] 1 Cor. 1, 17. — [2] Galat. II, 21.

tiam Dei. » Quomodo ergo illam, pro qua iste multum laborat, possibilitatem negat, qui ei jam dicit : « Potest esse, sed per Dei gratiam? » Verumtamen quia isto dimisso, qui rem jam confitetur, agit adhuc adversus eos, qui negant esse possibile hominem esse sine peccato, quid ad nos? Contra quos vult agat, dum tamen hoc confiteatur, quod impietate sceleratissima negatur, sine gratia Dei hominem sine peccato esse non posse. Dicit ergo : « Sive per gratiam, sive per adjutorium, sive per misericordiam, et quidquid illud est per quod esse homo absque peccato potest, confitetur, quisquis rem ipsam fatetur. »

XII. Fateor dilectioni vestræ, cum ista legerem, lætitia repente perfusus sum, quod Dei gratiam non negaret, per quam solam homo justificari potest : hoc enim in disputationibus talium maxime detestor, et horreo. Sed pergens legere cætera, primo ex datis similitudinibus cœpi habere suspectum. Ait enim : « Nam si dixero : Homo disputare potest, avis volare, lepus currere; et non etiam per quæ hæc effici possunt commemoravero, id est, linguam, alas, pedes, num ego officiorum qualitates negavi, qui officia ipsa confessus sum? » Videtur certe, hæc eum commemorasse, quæ natura valent : creata sunt enim hæc membra hujusmodi naturis, lingua, alæ, pedes : non tale aliquid posuit, quale de gratia intelligi volumus, sine qua homo non justificatur ; ubi de sanandis, non de instituendis naturis agitur. Hinc jam ergo sollicitus cœpi legere cætera, et me non falso comperi suspicatum.

XIII. Quo prius quam veniam, videte quid dixerit. Cum tractaret quæstionem de differentia peccatorum, et objiceret sibi, quod quidam dicunt : « Levia quædam peccata ipsa multitudine, quod sæpe irruant, non posse

cuncta vitari : negavit debere argui ne levi quidem correptione, si vitari omnino non possunt : » Scripturas utique non advertens Novi Testamenti, ubi dicimus[1] hanc esse intentionem legis arguentis, ut propter illa quæ perperam fiunt, confugiatur ad gratiam Domini miserantis[2]; velut pædagogo concludente in eadem fide, quæ postea revelata est; ubi et remittantur quæ male fiunt, et eadem gratia juvante non fiant. Proficientium est enim via : quamvis bene proficientes dicantur perfecti viatores. Illa est autem summa perfectio cui nihil addatur, cum id quo tenditur, cœperit possideri.

XIV. Jam vero illud quod ei dicitur : « Ipse tu sine peccato es? » revera non pertinet ad eam rem de qua vertitur quæstio. Sed quod dicit : « Negligentiæ suæ potius imputari, quod non est sine peccato : » bene quidem dicit; sed dignetur inde et orare Deum, ne illi hæc iniqua negligentia dominetur : quem rogabat quidam, quando dicebat : « Itinera mea dirige secundum verbum » tuum, et non dominetur mihi omnis iniquitas[3] : » ne dum suæ diligentiæ quasi propriis viribus fidit, neque hic ad veram justitiam, neque illic, ubi sine dubio perfecta desideranda est et speranda, perveniat.

XV. Et illud quod ei a quibusdam dicitur : « Nusquam esse scriptum his omnino verbis, posse esse hominem sine peccato, » facile refellit, « Quia non est ibi quæstio, quibus verbis dicatur quæcumque sententia. » Non tamen fortasse sine causa, cum aliquoties in Scripturis inveniatur homines dictos esse sine querela, non invenitur qui sit dictus sine peccato, nisi unus solus de quo aperte dictum est : « Eum qui non noverat pecca» tum[4]. » Et eo loco ubi de sacerdotibus agebatur : « Ete-

[1] *Forte* discimus. — [2] Galat. III, 23. — [3] Psal. CXVIII, 133. — [4] 2 Cor. V, 21.

» nim expertus est omnia, secundum similitudinem abs-» que peccato[1] : » in illa scilicet carne, quæ habebat similitudinem carnis peccati, quamvis non esset caro peccati : quam tamen similitudinem non haberet, nisi cætera omnis esset caro peccati. Jam illud quomodo accipiendum sit : « Omnis qui natus est ex Deo, non pec-» cat, et non potest peccare, quia semen ejus in ipso ma-» net[2] ; » cum ipse apostolus Joannes, quasi non sit natus ex Deo, aut eis loqueretur qui nondum nati essent ex Deo, aperte posuerit : « Si dixerimus quia peccatum non ha-» bemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non » est[3] ; » in libris quos de hac re ad Marcellinum scripsi, sicut potui, explicare curavi[4]. Et illud quod dictum est : « Non potest peccare, » pro eo dictum esse, ac si diceretur, non debet peccare ; non improbanda mihi videtur hujus assertio. Quis enim insanus dicat debere peccari ; cum ideo sit peccatum, quia non debet fieri?

XVI. Sane quod apostolus Jacobus ait : « Linguam » autem nullus hominum domare potest[5] : » non mihi videtur ita intelligendum, ut exponere voluit : « Quasi per exprobrationem dictum, tanquam diceretur : Ergo-ne linguam nullus hominum domare potest? tanquam objurgans et dicens : Domare feras potestis, linguam non potestis? quasi facilius sit linguam domare, quam feras. » Non puto quod iste sit sensus hoc loco. Si enim hoc sentiri vellet de facilitate domandæ linguæ, cætera sequerentur in bestiarum comparatione : nunc vero sequitur : « Inquietum malum, plena veneno mortifero, » utique nocentiore, quam bestiarum est atque serpentum : nam illud carnem interficit, hoc vero animam. « Os » enim quod mentitur, occidit animam[6]. » Non ergo

[1] Hebr. IV, 15. — [2] 1 Joan. III, 9. — [3] Id. I, 8. — [4] Lib. 2 de pecc. merit. et remiss. cap. 8. — [5] Jacob. III, 8. — [6] Sap. I, 11.

quasi id esset facilius, quam mansuefactio bestiarum, sanctus Jacobus illam sententiam pronuntiavit, aut ea voce voluit pronuntiari : sed potius ostendens quantum sit in homine linguæ malum, ut a nullo homine domari possit, cum ab hominibus domentur et bestiæ. Neque hoc ideo dixit, ut hujus in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur : sed ut ad domandam linguam divinæ gratiæ poscamus auxilium. Non enim ait : Linguam nullus domare potest : sed, « Nullus hominum : » ut cum domatur, Dei misericordia, Dei adjutorio, Dei gratia fieri fateamur. Conetur ego anima domare linguam, et dum conatur, poscat auxilium : et oret lingua, ut dometur lingua, domante illo qui dixit ad suos : « Non » enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri » qui loquitur in vobis[1]. » Itaque præcepto facere commonemur, quod conantes et nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.

XVII. Proinde et ipse cum exaggerasset linguæ malum, inter hæc dicens : « Non oportet, fratres mei, hæc » ita fieri : » continuo monuit, consummatis his quæ hinc dicebat, quo adjutorio ista non fierent, quæ dixit fieri non oportere. « Quis enim sapiens et disciplinatus » inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem » suam in mansuetudine sapientiæ. Quod si zelum ama- » rum habetis et contentiones in cordibus vestris, nolite » gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est » ista sapientia desursum descendens, sed terrena, anima- » lis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi incon- » stantia, et omne opus pravum. Quæ autem desursum » est sapientia, primum quidem pudica est, deinde paci- » fica, modesta, suadibilis, plena misericordia et fructibus » bonis, inæstimabilis, sine simulatione[2]. » Hæc est sa-

[1] Matth. x, 20. — [2] Jacob. III, 10-13.

pientia quæ linguam domat, desursum descendens, non ab humano corde prosiliens. An et istam quisquam abrogare audet gratiæ Dei, et eam superbissima vanitate ponit in hominis potestate? Cur ergo oratur ut accipiatur, si ab homine est ut habeatur? An et huic orationi contradicitur, ne fiat injuria libero arbitrio, quod sibi sufficit possibilitate naturæ ad implenda omnia præcepta justitiæ? Contradicatur ergo eidem ipsi apostolo Jacobo admonenti et dicenti : « Si quis autem vestrum indiget sa-» pientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et » non improperat, et dabitur ei[1] : » postulet autem in fide nihil hæsitans. Hæc est fides, ad quam præcepta compellunt, ut lex imperet, et fides impetret. Per linguam enim, quam nullus hominum domare potest, sed sapientia desursum descendens, in multis offendimus omnes. Non enim et hoc iste Apostolus alio modo pronuntiavit, sicut illud quod ait : « Linguam nullus homi-» num domare potest[2]. »

XVIII. Nec illud quisquam istis pro impossibilitate non peccandi similiter objecerit, quod dictum est : « Sa-» pientia carnis inimica est in Deum : legi enim Dei non » est subjecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, » Deo placere non possunt[3]. » Sapientiam quippe carnis dixit, non sapientiam desursum descendentem : et in carne esse, non eos qui nondum de corpore exierunt, sed eos qui secundum carnem vivunt, significatos esse manifestum est. Non autem ibi est quæstio quæ versatur. Illud est quod expecto ab isto audire, si possim, eos qui secundum spiritum vivunt, et ob hoc etiam hic adhuc viventes jam quodam modo in carne non sunt, utrum gratia Dei vivant secundum spiritum; an sibi sufficiant, jam data cum creantur possibilitate naturæ, et sua propria

[1] Jacob. I, 5. — [2] Id. III, 2. — [3] Rom. VIII, 7.

voluntate : cum plenitudo legis non sit nisi charitas[1], et charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris[2], non per nos ipsos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

XIX. Tractat etiam iste de peccatis ignorantiæ, et dicit : « Hominem prævigilare debere ne ignoret ; ideoque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisset : » dum tamen omnia potius disputet, quam ut oret et dicat : « Da mihi intellectum ut discam mandata tua[3]. » Aliud est enim, non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam Legis videbantur expiari : aliud, intelligere velle, nec posse, et facere contra Legem, non intelligendo quid fieri velit. Unde admonemur a Deo petere sapientiam, « Qui dat omnibus affluenter[4], » utique his omnibus qui sic petunt, et tamen petunt, quomodo et quantum res tanta petenda est.

XX. « Divinitus tamen esse expianda peccata commissa, et pro eis Dominum exorandum fatetur, » propter veniam scilicet promerandam : « Quia id quod factum est, facere infectum, » multum ab isto laudata « Potentia illa naturæ et voluntas hominis, etiam ipso fatente, « Non potest : » quare hac necessitate restat, ut oret ignosci. Ut autem adjuvetur ne peccet, nusquam dixit, non hîc legi, mirum de hac re omnino silentium : cum Oratio Dominica utrumque petendum esse commoneat, et ut dimittantur nobis debita nostra, et ut non inferamur in tentationem ; illud ut præterita expientur, hoc ut futura vitentur. Quod licet non fiat, nisi voluntas adsit, tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit ; ideo pro hac re nec superflua nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius, quam orare ut facias quod in potestate habeas?

[1] Rom. XIII, 10. — [2] Jd. V, 5. — [3] Psal. CXVIII, 73. — [4] Jacob. I, 5.

XXI. Jam nunc videte, quod ad rem maxime pertinet, quomodo humanam naturam tanquam omnino sine ullo vitio sit, conetur ostendere, et contra apertissimas Scripturas Dei luctetur sapientia verbi, qua evacuetur crux Christi[1]. Sed plane illa non evacuabitur, ista potius sapientia subvertetur. Nam cum hoc ostenderimus, aderit fortasse misericordia Dei, ut et ipsum hæc dixisse pœniteat. « Primo, inquit, de eo disputandum est, quod per peccatum debilitata dicitur et immutata natura. Unde ante omnia quærendum puto, inquit, quid sit peccatum : substantia aliqua, an omnino substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur. » Deinde adjungit : « Credo ita est. Et si ita est, inquit, quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod substantia caret? » Videte, quæso, quomodo nesciens nitatur evertere medicinalium eloquiorum voces saluberrimas. « Ego dixi : Domine, miserere meî, sana animam meam, » quia peccavi tibi[2]. » Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum? Porro si est quod sanetur, unde vitiatum est? Audis confitentem : quid desideras disputantem? « Sana, » inquit, animam meam. » Ab illo quære, unde vitiatum sit, quod sanari rogat : et audi quod sequitur, « Quo- » niam peccavi tibi. » Hunc iste interroget, ab isto quærat quod quærendum putat, et dicat : O tu qui clamas, « Sana animam meam, quoniam peccavi tibi, » quid est peccatum? Substantia aliqua, an omnino substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed tantum perperam facti actus exprimitur? Respondet ille : Ita est ut dicis : non est peccatum aliqua substantia, sed tantum hoc nomine perperam facti actus

[1] 1 Cor. 1, 17. — [2] Psal. XL, 5.

exprimitur. Et contra iste : Quid ergo clamas, « Sana » animam meam, quoniam peccavi tibi? » Quomodo potuit vitiare animam tuam quod substantia caret? Nonne ille mœrore confectus vulneris sui, ne disputatione ab oratione averteretur, breviter responderet et diceret : Recede a me, obsecro : cum illo potius disputa, si potes, qui dixit : « Non est opus sanis medicus, sed ægrotan- » tibus. Non veni vocare justos, sed peccatores[1] : » ubi justos utique sanos, peccatores autem appellavit ægrotos.

XXII. Cernitis-ne quo tendat, et quo manus porrigat hæc disputatio? ut omnino frustra dictum putetur, « Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet » populum suum a peccatis eorum[2]. » Quomodo enim salvum faciet, ubi nulla est ægritudo? Peccata quippe, a quibus dicit Evangelium salvum faciendum populum Christi, substantiæ non sunt, et secundum istum vitiare non possunt. O frater, bonum est ut memineris te esse Christianum. Credere ista fortasse sufficeret : sed tamen quia disputare vis, nec obest, imo etiam prodest, si firmissima præcedat fides; nec existimemus peccato naturam humanam non posse vitiari, sed divinis credentes Scripturis peccato eam esse vitiatam, quomodo id fieri potuerit inquiramus. Quoniam peccatum jam didicimus non esse substantiam : nonne attenditur, ut alia omittam, etiam non manducare, non esse substantiam? A substantia quippe receditur; quoniam cibus substantia est. Sed abstinere a cibo non est substantia, et tamen substantia corporis, si omnino abstinetur a cibo, ita languescit, ita valetudinis inæqualitate corrumpitur, ita exhauritur viribus, ita lassitudine debilitatur et frangitur, ut si aliquo modo perduret in vita, vix possit ad eum cibum revocari,

[1] Matth. IX, 12. — [2] Id. I, 22.

unde abstinendo vitiata est. Sic non est substantia peccatum : sed substantia est Deus, summaque substantia, et solus verus rationalis creaturæ cibus ; a quo per inobedientiam recedendo, et per infirmitatem non valendo capere quo debuit et gaudere, audis quemadmodum dicat : « Percussum est sicut fœnum, et aruit cor meum, » quoniam oblitus sum manducare panem meum[1] ? »

XXIII. Attendite autem quomodo adhuc se urgeat veri similibus rationibus contra Scripturæ sanctæ veritatem. Dominus Jesus dicit, qui propterea Jesus vocatur, quia ipse salvum facit populum suum a peccatis eorum[2] : dicit ergo Dominus Jesus : « Non est opus sanis medicus, » sed ægrotantibus. Non veni vocare justos, sed peccatores[3]. » Unde dicit et Apostolus : « Fidelis sermo et » omni acceptione dignus, quia Jesus Christus venit in » hunc mundum peccatores salvos facere[4]. » Et iste contra fidelem sermonem et omni acceptione dignum, dicit, « Non debuisse hanc ægritudinem contrahi peccatis, ne ad hoc esset ista pœna peccati, ut committerentur plura peccata. » Quæritur etiam parvulis tantus medicus opitulator : et iste dicit : « Quid quæritis? Sani sunt propter quos medicum quæritis. Nec ipse primus homo ideo morte damnatus est : nam postea non peccavit. » Quasi aliquid postea de perfectione justitiæ ejus audierit, nisi quod commendat Ecclesia et ipsum Domini Christi misericordia liberatum. « Ejus quoque posteros, iste dicit, non solum illo non esse infirmiores, sed etiam plura implevisse præcepta, cum ille unum implere neglexerit : » quos posteros videt ita nasci, quomodo certe ille factus non est, non solum præcepti incapaces, quod omnino non sentiunt, sed vix capaces papillæ cum esuriunt : eos tamen in matris Ecclesiæ gremio cum salvos gratia sua

[1] Psal. ci, 5. — [2] Matth. i, 21. — [3] Id. ix, 12. — [4] 1 Tim. i, 15.

facere velit, qui salvum facit populum suum a peccatis eorum, contradicunt homines, et quasi creaturam, quæ per illum condita est, melius illo inspicere noverint, voce non sana sanos esse pronuntiant.

XXIV. « Materiam peccati dicit esse vindictam, si ad hoc peccator infirmatus est, ut plura peccaret. » Nec cogitat prævaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis; qua desertus utique fit cæcus, et plus necesse est offendat, et cadendo vexetur, vexatusque non surgat, ut ideo tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris. An nulla pœna est eorum, de quibus dicit Apostolus : « Quia cum cognovissent Deum, » non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed » evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est in- » sipiens cor eorum [1] ? » Utique ista obscuratio vindicta et pœna jam fuit : et tamen per hanc pœnam, id est, per cordis cæcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ, in plura et gravia peccata collapsi sunt. « Dicentes enim se » esse sapientes, stulti facti sunt. » Gravis hæc pœna est, si quis intelligat, et ex hac pœna vide quo ierunt : « Et » immutaverunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei in » similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volu- » crum, et quadrupedum, et serpentium. » Ista fecerunt ex peccati pœna, qua obscuratum est insipiens cor eorum. Et propter hæc tamen, quia licet pœnalia, etiam ipsa peccata sunt adjungit, et dicit : « Propterea tradidit illos » Deus in desideria cordis illorum in immunditiam. » Ecce quemadmodum Deus gravius condemnavit, tradens illos in desideria cordis illorum in immunditiam. Videte etiam ex hac pœna quæ faciant. « Ut contumeliis, inquit, » afficiant corpora sua in semetipsis. » Et quia pœna est ista iniquitatis, cum sit et iniquitas, evidentius commen-

[1] Rom. I, 21.

dat dicens; « Qui transmutaverunt veritatem Dei in » mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius » quam Creatori, qui est benedictus in sæcula, amen. » Propter hoc, inquit, tradidit Deus illos in passiones » ignominiæ. Ecce quoties vindicat Deus, et ex eadem » vindicta plura et graviora peccata consurgunt. Nam » fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum » usum qui est contra naturam : similiter autem et mas- » culi relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in appe- » titum suum in invicem, masculi in masculos deformi- » tatem operantes. » Atque ut ostenderet sic esse ista peccata, ut etiam pœnæ sint peccatorum, etiam his adjunxit : « Et mercedem mutuam, quam oportuit, erroris » sui in semetipsis recipientes. » Videte quoties vindicet, eademque vindicta quæ pariat pulluletque peccata. Adhuc attendite : Et sicut non probaverunt, inquit, Deum » habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobam men- » tem, ut faciant quæ non conveniunt, repletos omni ini- » quitate, cum circumventione, malitia, avaritia, plenos » invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, » susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, » superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non » obedientes, insipientes, incompositos, sine affectu, sine » misericordia. » Hic nunc iste dicat : « Non debuit sic » vindicari peccatum, ut peccator per vindictam plura » committeret. »

XXV. Fortasse respondeat, Deum ad ista non cogere, sed dignos deseri tantum deserere. Si hoc dicit, verissime dicit : deserti quippe, ut dixi, luce justitiæ et per hoc contenebrati quid pariant aliud, quam hæc omnia, quæ commemoravi opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant : « Surge qui dormis, et exurge a mor-

» tuis, et illuminabit te Christus[1] ? » Mortuos veritas dicit, unde est et illud : « Sine mortuos sepelire mortuos » suos[2] : » mortuos ergo veritas dicit, quos iste dicit lædi et vitiari non potuisse peccato, quia videlicet didicit peccatum non esse substantiam. Nemo ei dicit : « Sic hominem factum, ut de justitia quidem posset in peccatum ire, et de peccato ad justitiam redire non posset : » sed ut in peccatum iret, suffecit ei liberum arbitrium, quo se ipse vitiavit; ut autem redeat ad justitiam, opus habet medico, quoniam sanus non est; opus habet vivificatore, quia mortuus est. De qua gratia omnino nihil iste dicit, quasi sola sua voluntate se possit sanare, quia eum potuit sola vitiare. Non ei dicimus, « mortem corporis ad peccatum valere, ubi sola vindicta est; nemo enim peccat corpore moriendo : sed ad peccatum valet mors animæ, quam deseruit vita sua, hoc est, Deus ejus, quæ necesse est mortua opera faciat, donec Christi gratia reviviscat. « Famem et sitim et cæteras molestias corporales, absit ut dicamus necessitatem habere peccandi, quibus molestiis exercitata vita justorum splendidius enituit, et eas per patientiam superando majorem gloriam comparavit; sed adjuta gratia Dei, adjuta Spiritu Dei, adjuta misericordia Dei; non superba voluntate se extollens, sed humili confessione fortitudinem promerens. Noverat enim Deo dicere, quoniam tu es patientia mea[3]. De qua gratia et adjutorio et misericordia, sine qua bene non possumus vivere, nescio quare iste omnino nihil dicit : imo etiam velut sibi ad justitiam sufficientem, si sola voluntas adsit, defendendo naturam, gratiæ Christi, qua justificamur, apertissime contradicit. Cur autem soluto per gratiam peccati reatu ad exercitationem fidei mors corporis maneat, quamvis venerit de peccato, jam et hoc

[1] Ephes. v, 14. — [2] Matth. viii, 22. — [3] Psal. lxx, 5.

in illis ad sanctæ memoriæ Marcellinum libris[1], ut valui, disserui (18).

XXVI. Quod vero « Dominum dicit sine peccato mori potuisse : » illi etiam nasci, potestas misericordiæ, non conditio naturæ fuit ; sic etiam mortuus est potestate ; et hoc est pretium nostrum, quo nos a morte redimeret. Et hoc istorum disputatio evacuare contendit, cum ab eis ita natura humana defenditur, ut possit liberum arbitrium isto pretio non egere, ut a potestate tenebrarum et præpositi mortis in regnum Christi Domini transferantur. Et tamen quando Dominus ad passionem perrexit : « Ecce, » inquit, veniet princeps hujus mundi, et in me nihil » inveniet[2] : » et utique nihil peccati, unde præpositus mortis jure suo ageret, ut perimeret. « Sed ut sciant om- » nes, inquit, quia voluntatem Patris mei facio, surgite, » eamus hinc : » id est, quia non morior necessitate peccati, sed obedientiæ voluntate.

XXVII. Dicit « Nullum malum boni alicujus esse causam. » Quasi pœna bonum sit, qua tamen multi emendati sunt. Sunt ergo mala quæ prosunt mirabili misericordia Dei. Numquid ille boni aliquid passus est, qui dixit : « Avertisti faciem tuam a me, et factus sum con- » turbatus[3] ? » Non utique : et tamen hæc ei conturbatio contra superbiam fuit medicinalis quodam modo. Dixerat enim in abundantia sua : « Non movebor in æternum : » et sibi tribuebat quod a Domino habebat. Quid enim habebat, quod non acceperat[4] ? Quare ostendendum ei fuerat unde haberet, ut reciperet humilis, quod superbus amiserat. « Ideo, Domine, inquit, in voluntate tua » præstitisti decori meo virtutem. » In qua ego abundantia mea dicebam : « Non movebor, cum hoc mihi esset

[1] Lib. 2. de peccat. merit. cap. 30. — [2] Joan. XIV, 30. — [3] Psal. XXIX, 8. — [4] 1 Cor. IV. 7.

» abs te, non a me. Denique avertisti faciem tuam a me, » et factus sum conturbatus. »

XXVIII. Hoc superbus animus omnino non sapit : sed magnus est Dominus, qui id persuadeat quomodo ipse novit. Nam procliviores sumus quærere potius quid contra ea respondeamus, quæ nostro objiciuntur errori, quam intendere quam sint salubria, ut careamus errore. Unde cum istis non tam disputationibus, quam pro eis, sicut pro nobis, orationibus est agendum. Non enim hoc eis dicimus, quod sibi iste opposuit, « Ut esset causa misericordiæ Dei, necessarium fuisse peccatum. » Utinam non fuisset miseria, ne ista esset misericordia necessaria. Sed iniquitatem peccati tanto graviorem, quanto facilius homo non peccaret, quem nulla adhuc tenebat infirmitas, pœna justissima subsecuta est : ut mercedem mutuam peccati sui in semetipso reciperet, amittens sub se positam sui corporis quodam modo obedientiam, quam præcipuam sub Domino suo ipse contempserat. Et quod nunc cum eadem lege peccati nascimur, quæ in membris nostris repugnat legi mentis[1] ; neque adversus Deum murmurare, neque contra rem manifestissimam disputare ; sed pro pœna nostra illius misericordiam quærere et orare debemus.

XXIX. Attendite sane vigilanter quomodo dixerit : « Adhibet quidem huic etiam parti, si quando necessarium fuerit, misericordiam suam Deus ; quia homini post peccatum ita subveniri necessum est, non quia Deus causam hujusce necessitatis optaverit. » Videtis-ne quemadmodum non dicat necessariam misericordiam Dei ut non peccemus, sed quia peccavimus? Deinde subjungit : « Sed et medicus ad curandum jam vulneratum paratus esse debet ; non debet autem ut sanus vulneretur optare. »

[1] Rom. VII, 23.

Si ista similitudo rebus de quibus agimus congruit, certe vulnerari non potest natura humana peccato, quoniam peccatum nulla substantia est. Sicut ergo vulnere, verbi gratia, claudicans ideo curatur, ut sanato malo præterito, futurus dirigatur incessus : sic mala nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cætero recte ambulare possimus ; quod quidem etiam sani non nisi illo adjuvante poterimus. Nam medicus homo cum sanaverit hominem, jam de cætero sustentandum elementis et alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat atque persistat, Deo dimittit; qui præbet ista in carne viventibus, cujus erant etiam illa, quæ dum curaret, adhibebat. Non enim quemquam medicus ex his rebus, quas ipse creaverit sanat; sed ex illius opibus, qui creat omnia necessaria sanis atque vitiosis. Ipse autem Deus, cum per Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum[1], spiritualiter sanat ægrum vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur[2]. Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere : sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.

XXX. Acute sane tractat et versat, et quantum sibi videtur redarguit atque convincit quod eis dicitur, «Etiam necessarium fuisse homini ad auferendam superbiæ vel gloriæ occasionem, ut absque peccato esse non posset. Absurdissimum quippe et stultissimum putat, peccatum

[1] Tim. II, 5. — [2] Vide lib. 2. de peccat. merit. c. 15.

fuisse ne peccatum esset, quoniam et ipsa superbia utique peccatum est ; » quasi non et ulcus in dolore est, et sectio dolorem operatur, ut dolor dolore tollatur. Hoc si experti non essemus, et in aliquibus terris ubi ista nunquam contigerant, audiremus, sine dubio utique deridentes, fortassis etiam verbis hujus uteremur et diceremus, Absurdissimum est dolorem necessarium fuisse, ne ulceris dolor esset.

XXXI. « Sed Deus, inquiunt, potest omnia sanare. » Hoc utique agit, ut sanet omnia : sed agit judicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto. Procul dubio quippe firmissimum Apostolum volebat efficere, cui tamen dixit : « Virtus in infirmitate perficitur[1] : » et non ei toties auranti aufert nescio quem stimulum carnis, quem sibi dicit datum, ne magnitudine revelationum extolleretur. Cætera enim vitia tantum in malefactis valent, sola autem superbia etiam in recte factis cavenda est. Unde admonentur illi, ne dona Dei suæ potestati tribuendo seseque extollendo gravius pereant, quam si nil operarentur boni, quibus dicitur : « Cum timore et tre» more vestram ipsorum salutem operamini : Deus enim » est qui operatur in vobis et velle et operari pro bona » voluntate[2]. » Quare ergo cum timore et tremore, et non potius cum securitate, si Deus operatur ; nisi quia propter voluntatem nostram, sine qua bene non possumus operari, cito potest subrepere animo humano, ut quod bene operatur, suum tantummodo existimet, et dicat in abundantia sua, « Non movebor in æternum[3]. » Ideo qui in voluntate sua præstiterat decori ejus virtutem, avertit paululum faciem suam, ut qui hoc dixerat fieret conturbatus : quoniam ipsis est ille tumor sanandus doloribus.

[1] 2 Cor. xi, 9. — [2] Philip. ii, 13. — [3] Psal. xxix, 7.

XXXII. Non itaque dicitur homini, « Necesse est peccare, ne pecces: » sed dicitur homini, Deserit aliquantum Deus unde superbis, ut scias non tuum, sed ejus esse, et discas superbus non esse. Nam illud etiam Apostoli quale est, nonne ita mirabile, ut nisi quia ipse dicit, cui vera dicenti contradicere nefas est, non sit credibile? Quis enim nesciat fidelium, a Satana venisse primam peccati suasionem, et quod ille primus auctor sit omnium peccatorum [1]? Et tamen quidam traduntur Satanæ, ut discant non blasphemare [2]? Quomodo igitur opus Satanæ excluditur opere Satanæ? Hæc atque hujusmodi intueatur, ne videantur ei nimis acuta, quæ acutule sonant, et discussa inveniuntur obtusa. Quid quod etiam similitudines adhibet, quibus magis admoneat quid ei debeat responderi? « Quid amplius dicam, inquit, nisi quia potest credi quod ignes ignibus extinguuntur, si credi potest quod peccatis peccata curentur? » Quid si ignes extinguere quisquam non potest ignibus, sed tamen possunt, ut docui, dolores curari doloribus? Possunt etiam, si quærat et discat, venenis venena depelli. Nam si et advertit aliquando calores febrium quibusdam caloribus medicinalibus frangi, etiam ignes ignibus fortasse concedet extingui.

XXXIII. « Quonam modo, inquit, superbiam ipsam a peccato separabimus? » Quid enim hoc urget, cum manifestum sit etiam ipsam esse peccatum? « Tam peccare, inquit, superbire est, quam superbire peccare. Nam quære quid sit quodcumque peccatum, et vide si invenies aliquod sine superbiæ appellatione peccatum. » Hanc autem sententiam sic exsequitur, et sic probare conatur: « Omne, inquit, peccatum, nisi fallor, Dei contemptus est: et omnis Dei contemptus superbia est. Quid enim tam su-

[1] Gen. III, 1. — [2] 1 Tim. I, 20.

perbum, quam Deum contemnere? Omne ergo peccatum et superbia est, etiam Scriptura dicente : « Initium om- » nis peccati superbia est[1]. » Quærat diligenter, et inveniet in lege multum discretum esse a cæteris peccatis peccatum superbiæ. Multa enim peccata per superbiam committuntur, sed neque omnia superbe fiunt, quæ perperam fiunt; certe a nescientibus, certe ab infirmis, certe plerumque a flentibus et gementibus. Et quidem superbia, cum magnum sit ipsa peccatum, ita sine aliis per se ipsa est, ut etiam plerumque, ut dixi, non in peccatis, sed in ipsis recte factis pede celeriore superveniat et obrepat. Sed ideo verissime dictum est, quod iste aliter intellexit, « Initium omnis peccati superbia : » quoniam diabolum, a quo extitit origo peccati, ipsa dejecit, et subsequente invidentia hominem stantem, unde ipse cecidit, inde subvertit. Nam utique jactantiæ januam, qua intraret, serpens ille quæsivit, quando ait : « Eritis sicut » dii[2]. » Ideo dictum est : « Initium omnis peccati su- » perbia, et initium superbiæ hominis apostatare a » Deo[3]. »

XXXIV. Quid autem sibi vult quod dicit; « Deinde quomodo Deo pro illius peccati reatu subditus esse poterit, quod suum non esse cognoverit? Suum enim non est, inquit, si necessarium est. Aut si suum est, voluntarium est : et si voluntarium est, vitari potest. » Nos respondemus : Suum est omnino; sed vitium quo committitur, nondum omni ex parte sanatum est : quod quidem ut inolesceret, de non recte usa sanitate descendit : ex quo vitio jam male valens, vel infirmitate, vel cæcitate plura committit : pro quo supplicandum est, ut sanetur, et deinceps in perpetua sanitate vivatur, non su-

[1] Eccli. x, 15. — [2] Gen. III, 5. — [3] Eccli. XV, 15 et 14.

perbiendum, quasi homo eadem potestate sanetur, qua potestate vitiatus est.

XXXV. Et hæc quidem ita dixerim, ut altius Dei consilium me fatear ignorare, cur etiam ipsam superbiam, quæ et in recte factis animo insidiatur humano, non cito Deus sanet; pro qua sananda illi piæ animæ cum lacrymis et magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam et quodam modo calcandam et obterendam, dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit in aliquo bono opere se etiam superasse superbiam, ex ipsa lætitia caput erigit, et dicit: Ecce ego vivo, quid triumphas? et ideo vivo, quia triumphas. Ante tempus enim fortasse de illa quasi victa triumphare delectat, cum extrema ejus umbra illo meridie, quantum arbitror, absorbebitur: qui meridies Scriptura dicente promittitur: « Et educet sicut lumen justitiam tuam, et judicium » tuum sicut meridiem: » si fiat quod supra scriptum est: « Revela ad Dominum viam tuam, et spera in eum, » et ipse faciet[1]: » non sicut quidam putant, quod ipsi faciant. Nullos enim videtur attendisse, cum dixit: Et ipse faciet, nisi eos qui dicunt: Nos facimus, id est, nos ipsi nos ipsos justificamus. Ubi quidem operamur et nos: sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus prævenit nos[2]. Prævenit autem ut sanemur, quia et subsequemur ut etiam sanati vegetemur: prævenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur: prævenit ut pie vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus: quia sine illo nihil possumus facere[3]. Utrumque enim Scriptum est, et, « Deus meus misericordia ejus præveniet » me[4], » et, « Misericordia tua subsequetur me per om- » nes dies vitæ meæ[5]. » Revelemus ergo ad eum viam

[1] Psal. xxxvi, 6, 7. — [2] Psal. lviii, 11. — [3] Joan. xv, 5. — [4] Psal. lviii, 11. — [5] Id. xxii, 6.

nostram confessionc, non defensione laudemus. Si enim non est ipsius via, sed nostra, procul dubio non est recta. Revelemus eam confitendo; quia non cum latet, etiam si operire conemur. « Bonum est autem confiteri Do-» mino [1]. »

XXXVI. Ita enim quod ei placet dabit nobis, si quod ei displicet in nobis, displiceat et nobis. « Avertet, sicut » scriptum est, semitas nostras a via sua, et nostram fa-» ciet esse quæ sua est [2]; » quoniam ab ipso præbetur credentibus in eum, et sperantibus in eum ut ipse faciat. Ipsa est enim via justa, quam ignorantes qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, et suam volentes constituere justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti [3]. Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti, qui dixit : « Ego sum via [4]. » In qua jam ambulantes tamen terruit vox divina, ne quasi de propriis in ea viribus ex-tollantur. Nam quibus propter hoc ait Apostolus, « Cum » timore et tremore vestram ipsorum operamini salutem, » Deus enim est qui operatur in vobis et velle et operari » pro bona voluntate [5] : » eis propter hoc ipsum dicit etiam Psalmus, « Servite Domino in timore, et exultate » ei cum tremore; apprehendite disciplinam, ne quando » irascatur Dominus, et pereatis de via justa cum exar-» serit in brevi ira ejus super vos [6]. » Non ait, nequando irascatur Dominus, et non vobis ostendat viam justam, aut, non vos introducat in viam justam : sed jam illic ambulantes sic terrere potuit ut diceret, ne pereatis de via justa. Unde, nisi quia superbia, quod toties dixi, et sæpe dicendum est, etiam in ipsis recte factis cavenda est, id est, in ipsa via justa, ne homo dum quod Dei est de-putat suum, amittat quod Dei est, et redeat ad suum?

[1] Psal. xci, 2. — [2] Id. xliii, 19. — [3] Rom. x, 2. — [4] Joan. xiv, 6. — [5] Philip. ii, 12. — [6] Psal. ii, 11.

Ideo, quo Psalmus iste concluditur, faciamus : « Beati » omnes qui confidunt in eo : » utique ut ipse faciat, ipse ostendat viam suam, cui dicitur : « Ostende nobis, Domine, » misericordiam tuam [1] : » et ipse det salutem, ut ambulare possimus, cui dicitur : « Et salutare tuum da nobis : » ipse in eadem via deducat, cui dicitur : « Deduc me, Do- » mine, in via tua. et ambulabo in veritate tua [2] : » ipse ad illa, quo via ducit, promissa perducat, cui dicitur : « Etenim illuc manus tua deducet me, et perducet me » dextera tua [3] : » ipse ibi pascat recumbentes cum Abraham, Isaac, et Jacob [4], de quo dictum est, « Faciet eos » recumbere, et transibit, et ministrabit eis. » Non enim, cum ista commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus. Cui enim prosunt ista nisi volenti, sed humiliter volenti, non se de voluntatis viribus, tanquam ad perfectionem justitiæ sola sufficiat, extollenti.

XXXVII. Absit autem ut ei dicamus, quod a quibusdam contra se dici ait (19) : « Comparari hominem Deo, si absque peccato esse asseratur : » quasi vero angelus, quia absque peccato est, comparetur Deo. Ego quidem hoc sentio, quia etiam cum fuerit in nobis tanta justitia, ut ei addi omnino nihil possit, non æquabitur creatura Creatori. Si autem aliqui putant tantum nostrum futurum esse provectum, ut in Dei substantiam convertamur, et hoc efficiamur prorsus quod ille est : viderint quemadmodum astruant sententiam suam ; mihi hoc fateor non esse persuasum.

XXXVIII. Jam sane hoc multum faveo libri hujus auctori, quod adversus eos qui dicunt : « Rationabile quidem videtur esse quod asseris, sed superbum est dici

[1] Psal. LXXXIV, 8. — [2] Id. LXXXV, 11. — [3] Id. CXXXVIII, 10. — [4] Luc. XII, 37.

hominem absque peccato esse posse; » ita respondet, ut omnino si verum est, nullo modo superbum esse dicendum sit. Ait enim acutissime atque verissime : « In qua magis parte humilitas collocanda est? sine dubio falsitatis, si in ea quæ veritatis probatur esse superbia est. » Ac per hoc placet illi, et recte placet, ut in parte veritatis, non in parte falsitatis magis humilitas collocetur. Ex quo est consequens, ut ille qui dixit : « Si dixerimus quia » peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas » in nobis non est[1] : » verum dixisse minime dubitetur, ne causa humilitatis hoc falsum dixisse videatur. Propterea enim addidit : « Et veritas in nobis non est : » cum forte sufficeret dicere : « Nos ipsos decipimus ; » nisi attenderet quosdam putare posse, ideo dictum, nos ipsos decipimus, quia etiam de vero bono qui se laudat extollitur. Addendo itaque : « Et veritas in nobis non est, » manifeste ostendit, sicut etiam huic rectissime placet, hoc omnino verum non esse, si dixerimus quia peccatum non habemus : ne humilitas constituta in parte falsitatis, perdat præmium veritatis.

XXXIX. Porro autem quod Dei causam sibi agere videtur, defendendo naturam; non attendit quod eamdem naturam sanam esse dicendo, medici repellit misericordiam. Ipse est autem creator ejus, qui salvator ejus. Non ergo debemus sic laudare creatorem, ut cogamur, imo vere convincamur dicere superfluum salvatorem. Naturam itaque hominis dignis laudibus honoremus, easque laudes ad Creatoris gloriam referamus : sed quia nos creavit, ita simus grati, ut non simus, quia sanat, ingrati. Vitia sane nostra quæ sanat, non divino operi, sed humanæ voluntati justæque illius vindictæ tribuamus : sed ut in nostra potestate fuisse ne acciderent confitemur,

[1] 1 Joan. 1, 8.

ita ut sanentur in illius magis esse misericordia quam in nostra potestate fateamur. Hanc iste misericordiam et medicinale Salvatoris auxilium tantum in hoc ponit, ut ignoscat commissa præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda. Hic perniciosissime fallitur : hic, etsi nesciens, prohibet nos vigilare et orare ne intremus in tentationem, cum hoc ne nobis accidat, in nostra tantum potestate esse contendit.

XL. « Quorumdam sane exempla, quos peccasse legimus, non ideo scripta dicit, qui sanum sapit, ut ad desperationem non peccandi valeant, et securitatem peccandi nobis quodam modo præbere videantur : » sed ut disceremus, vel pœnitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapsibus non desperandam salutem. Quidam enim in peccata prolapsi desperatione plus pereunt, nec solum pœnitendi negligunt medicinam, sed ad explenda inhonesta et nefaria desideria servi libidinum et sceleratarum cupiditatum fiunt; quasi perdant, si non fecerint, quod instigat libido, cum eos jam maneat certa damnatio. Adversus hunc morbum nimium periculosum et exitiabilem, valet commemoratio peccatorum etiam in quæ justi sanctique prolapsi sunt.

XLI. Sed acute videtur interrogare : « Quomodo istos sanctos de hac vita abiisse credendum sit, cum peccato, an sine peccato ? » Ut si responsum fuerit, cum peccato, putetur eos secuta damnatio, quod nefas est credere : si autem sine peccato dictum fuerit eos exisse de hac vita, probet hominem saltem propinquante morte fuisse sine peccato in hac vita. Ubi parum attendit, cum sit acutissimus, non frustra etiam justos in oratione dicere : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus » debitoribus nostris [1]. » Dominumque Christum, cum

[1] Matth. VI, 12.

eamdem orationem docendo explicuisset, veracissime subdidisse : « Si enim dimiseritis peccata hominibus, di-» mittet vobis Pater vester peccata vestra. » Per hoc enim quotidianum spiritale quodam modo incensum, quod ante Deum in altare cordis, quod sursum habere admonemur, infertur, etiamsi non hic vivatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde venia deletur, quod subinde ignorantia vel infirmitate committitur.

XLII. Deinde commemorat eos, « Qui non modo non peccasse, verumetiam juste vixisse referuntur, Abel, Enoch, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, Jesu Nave, Phinees, Samuel, Nathan, Elias, Joseph, Eliseus, Micheas, Daniel, Ananias, Azarias, Misaël, Ezechiel, Mardochæus, Simeon, Joseph cui desponsata erat virgo Maria, Joannes. » Adjungit etiam fœminas : « Debboram, Annam Samuelis matrem, Judith, Esther, alteram Annam filiam Phanuel, Elizabeth, ipsam etiam Domini ac Salvatoris nostri matrem, quam dicit sine peccato confiteri necesse esse pietati. » Excepta itaque sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem : unde enim scimus, quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc quod iste dicit, an quod Joannes apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent : « Si dixerimus quia » peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veri-» tas in nobis non est[1]? » An illud humilius responderent

[1] 1 Joan. I, 8.

fortasse, quam verius? Sed huic jam placet, et recte placet : « Laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis. » Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum ; quod humiliter quia faterentur, veritas in eis esset : si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset.

XLIII. « Dicent forsitan, inquit : Numquid omnium potuit Scriptura commemorare peccata? » Et verum ei dicent, quicumque dicent : nec eum contra hoc aliquid validum video respondisse ; quamvis videam tacere noluisse. Quid enim dixerit, quæso attendite[1]. « Hoc, inquit, recte potest dici de his, quorum neque bonorum, neque malorum Scriptura sit memor : de illis vero quorum justitiæ meminit, et peccatorum sine dubio meminisset, si qua eos peccasse sensisset. » Dicat ergo non pertinuisse ad justitiam tantam illorum fidem, qui magna multitudine præcedentes et consequentes cum laudibus Domini asellum, etiam inter frementes quare hoc facerent inimicos, clamabant dicentes : « Hosanna fili [2] David, » benedictus qui venit in nomine Domini[3]. » Audeat ergo dicere iste, si potest, neminem fuisse in tanta illa multitudine, qui ullum haberet omnino peccatum. Quod si absurdissimum est dicere, cur nulla peccata eorum Scriptura commemoravit, quæ tantum bonum fidei ipsorum commemorare curavit?

XLIV. Sed hoc etiam forsitan ipse vidit, et ideo subjecit atque ait : « Sed esto, aliis temporibus turbæ numerositate omnium dissimulaverit peccata contexere : in ipso statim mundi primordio, ubi non nisi quatuor homines erant, quid, inquit, dicimus, cur non omnium voluerit delicta memorare? Utrum-ne ingentis multitudinis causa, quæ nondum erat; an quia illorum tantum

[1] Vide epist. 179, ad Joan, VIII. — [2] *Forte* filio. — [3] Matth. XXI, 9.

qui commiserant meminit, illius vero qui nulla commiserat meminisse non potuit? » Adhuc adjungit verba, quibus ista sententia uberius et planius astruatur : « Certe, inquit, primo in tempore Adam et Eva, ex quibus Caïn et Abel nati sunt, quatuor tantum homines fuisse referuntur : peccavit Eva, Scriptura hoc prodidit; Adam quoque deliquit[1], eadem Scriptura non tacuit : sed et Caïn peccasse, ipsa æque Scriptura testata est[2] : quorum non modo peccata, verumetiam peccatorum indicat qualitatem. Quod si et Abel peccasset, et hoc sine dubio Scriptura dixisset : sed non dixit, ergo nec ille peccavit; quin etiam justum ostendit. Credamus igitur quod legimus, et quod non legimus, nefas credamus astruere.

XLV. Hæc dicens, parum attendit quod paulo ante ipse dixerat : « Jam exorta multitudine generis humani, turbæ numerositate potuisse Scripturam dissimulare omnium peccata contexere. » Hoc enim si satis attendisset, videret etiam in uno homine turbam et multitudinem peccatorum levium, vel non potuisse, vel si etiam potuit, non debuisse conscribi. Ea quippe scripta sunt, quibus et modus adhibendus fuit, et paucis exemplis ad multa necessaria lector instruendus. Nam cum ipsos tunc homines, licet adhuc paucos, quot vel qui fuerint, id est, Adam et Eva quot filios et filias procreaverint, et quæ illis nomina imposuerint, Scriptura commemorare noluerit : (unde nonnulli parum considerantes quam multa Scriptura tacite prætereat, ipsum Caïn cum matre concubuisse putaverunt, unde prolem quæ commemorata est procrearet, putantes illis filiis Adam sorores non fuisse, quia eas Scriptura tunc tacuit[3], postea recapitulando inferens quod prætermiserat, Adam filios et filias procreasse, nec tempus quo nati sunt, nec numerum, nec

[1] Gen. III, 6. — [2] Id. IV, 8. — [3] Gen. V, 4.

vocabula ostendens): ita nec commemorandum fuit, si Abel, quamvis merito justus appellatus est, paulo immoderatius aliquando risit, vel animi remissione jocatus est vel vidit aliquid ad concupiscendum, vel aliquanto immoderatius poma decerpsit, vel plusculo cibo crudior fuit, vel cum oraret cogitavit aliquid, unde ejus in aliud avocaretur intentio, et quoties illi ista ac similia multa subrepserint. An forte peccata non sunt, de quibus generaliter cavendis atque cohibendis admonemur præcepto Apostolico, ubi dicit: « Non ergo regnet peccatum in » vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus[1]? » His quippe ne obediamus ad ea quæ non licent, vel minus decent quotidiana et perpetua conflictatione certandum est. Nam utique ex hoc vitio mittitur, vel dimittitur oculus, quo non oportet: quod vitium si convaluerit et prævaluerit, etiam adulterium perpetratur in corpore, quod in corde tanto fit citius, quanto est cogitatio celerior, et nullum impedimentum morarum. Hoc peccatum, id est, hunc vitiosæ affectionis appetitum qui magna ex parte frenarunt, ut non obedirent desideriis ejus, nec exhiberent ei membra sua arma iniquitatis, etiam justi appellari meruerunt; et hoc, adjutorio gratiæ Dei. Verum quia sæpe in levissimis et aliquando incautis obrepit peccatum; et justi fuerunt, et sine peccato non fuerunt. Postremo si in Abel justo charitas Dei, qua una vere justus est quicumque justus est, adhuc erat quo posset et deberet augeri, quidquid minus erat, ex vitio erat. Et cui non minus sit donec ad illam ejus fortitudinem veniatur, ubi tota hominis absorbeatur infirmitas?

XLVI. Magna plane sententia conclusit hunc locum cum ait: « Credamus igitur quod legimus, et quod non legimus, nefas credamus astruere, quod de cunctis etiam

[1] Rom. VI, 12.

dixisse sufficiat. » Contra ego dico, nec omne quod legimus credere nos debere, propter illud quod Apostolus ait : « Omnia legite, quæ bona sunt tenete[1] : » et astruere aliquid etiam quod non legimus, nefas non esse. Possumus enim aliquid bona fide testes astruere quod experti sumus, etiam si forte non legimus. Hic fortasse respondet : « Ego cum hoc dicerem, de Scripturis sanctis agebam. » O utinam, non dico aliud quam in illis litteris legit, verum contra id quod legit, nihil vellet astruere ; fideliter et obedienter audiret quod scriptum est, « Per » unum hominem peccatum intravit in mundum, et per » peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in » quo omnes peccaverunt[2] : » et non infirmaret tanti medici gratiam, dum fateri non vult naturam humanam esse vitiatam. O utinam sicut Christianus legeret, præter Jesum Christum nullum esse nomen sub cœlo[3], in quo oportet salvos fieri nos : et non possibilitatem naturæ humanæ ita defenderet, ut homo per liberum arbitrium etiam sine isto nomine salvus esse posse credatur.

XLVII. Sed putat fortasse ideo necessarium esse Christi nomen, ut per ejus Evangelium discamus quemadmodum vivere debeamus, non etiam ut ejus adjuvemur gratia, quo bene vivamus. Vel hinc saltem confiteatur esse miserabiles tenebras in animo humano, qui scit quemadmodum debeat leonem domare, et nescit quemadmodum vivere. An et hoc ut sciat sufficit ei liberum arbitrium lexque naturalis ? Hæc est sapientia verbi, qua evacuatur crux Christi[4]. Sed qui dixit : « Perdam sapientiam sa- » pientum[5] ; » quia ista crux non potest evacuari, profecto istam sapientiam per stultitiam prædicationis, qua credentes sanantur, evertit. Si enim possibilitas naturalis

[1] 1 Thess. v, 21. — [2] Rom. v, 12. — [3] Act. iv, 12. — [4] 1 Cor. i, 17. — [5] Ibid. 19.

per liberum arbitrium, et ad cognoscendum quomodo vivere debeat, et ad bene vivendum sufficit sibi; ergo Christus gratis mortuus est[1], ergo evacuatum est scandalum crucis[2]. Cur non etiam ego hic exclamem? imo exclamabo, et istis increpitabo dolore christiano : « Evacuati estis a Christo, qui in natura justificamini, a gratia excidistis[3] : ignorantes enim Dei justitiam, et vestram volentes constituere, justitiæ Dei non estis subjecti[4]. » Sicut enim finis legis, ita etiam naturæ humanæ vitiosæ salvator Christus est, ad justitiam omni credenti.

XLVIII. Quod autem sibi opposuit ab eis dici, contra quos loquitur, « Omnes enim peccaverunt[5] : » manifestum est quod « De his dicebat Apostolus qui tunc erant, hoc est, de Judæis et gentibus. » Sed plane illud quod commemoravi : « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt[6] : » et antiquos et recentiores, et nos et posteros nostros sententia ista complectitur. Ponit etiam illud testimonium, unde probet cum dicuntur « Omnes, » non semper omnes omnino nullo prætermisso intelligi oportere. « Sicut per unius, inquit, delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ[7]. » Cum per Christi, inquit, justitiam non omnes, sed eos tantum qui illi obedire voluerunt, et baptismi ejus ablutione purgati sunt, sanctificatos esse non dubium sit. » Non plane isto testimonio probat quod vult. Nam sicut dictum est : « Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, » ut nullus prætermitteretur : sic et in eo quod dictum est, « Per unius

[1] Galat. II, 21. — [2] Id. V, 11. — [3] Ibid. 4. — [4] Rom. X, 3. — [5] Id. III, 23. — [6] Id. V, 12. — [7] Ibid. 18.

» justitiam in omnes homines in justificationem vitæ, » nullus prætermissus est[1] : non quia omnes in eum credunt et baptismo ejus abluuntur, sed quia nemo justificatur nisi in eum credat et baptismo ejus abluatur. Itaque « Omnes » dictum est, ne aliquo modo alio præter ipsum quisquam salvus fieri posse credatur. Sicut enim uno litterarum magistro in civitate constituto, rectissime dicimus, Omnes iste hic litteras docet; non quia omnes cives litteras discunt, sed quia nemo discit, nisi quem ille docuerit : sic nemo justificatur, nisi quem justificaverit Christus.

XLIX. « Sed esto, inquit: consentiam, quia omnes peccatores fuisse testatur. Dicit enim quid fuerint, non quod aliud esse non potuerint. Quamobrem et si omnes homines peccatores, inquit, possent probari, definitioni tamen nostræ nequaquam id obesset, qui non tam quid homines sint, quam quid possent esse defendimus. » Hic recte facit, aliquando consentire, quia non justificabitur in conspectu Dei « omnis vivens[2]. » Non tamen ibi esse quæstionem, sed in ipsa non peccandi possibilitate contendit, in qua nec nos adversus eum certare opus est. Nam neque illud nimis curo, utrum fuerint hic aliqui, vel sint, vel esse possint, qui perfectam, cui nihil addendum esset, habuerint, vel habeant, vel habituri sint charitatem Dei; (ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimaque justitia :) quoniam id, quod voluntate hominis adjuta per Dei gratiam fieri posse confiteor et defendo, quando vel ubi vel in quo fiat, nimium certare non debeo. Neque de ipsa possibilitate contendo, cum sanata et adjuta hominis voluntate possibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis proveniat, dum charitas Dei, quantum plenissime natura nostra sana atque purgata capere

[1] Vide supra lib. I. de Peccatorum meritis, c. 28. — [2] Psal. CXLII, 2.

potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis[1]. Melius itaque Dei causa agitur, (quam se iste agendo dicit defensare naturam,) cum et creator et salvator agnoscitur, quam cum defensa velut sana viribusque integris creatura opitulatio Salvatoris inanitur.

L. Verbum est autem quod ait, « Quod Deus tam bonus quam justus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset : » Quis enim eum nescit sanum et inculpabilem factum, et libero arbitrio atque ad juste vivendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones in via reliquerunt[2], qui gravibus saucius confossusque vulneribus non ita potest ad justitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere : qui etiam si jam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia jubet : sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis. Jam nunc videamus unde possit, unde non possit. Iste dicit : « Voluntate non est, quod natura potest. » Ego dico, Voluntate quidem non est homo justus, si natura potest : sed medicina poterit, quod vitio non potest.

LI. Quid ergo jam opus est in pluribus immorari? Veniamus interius ad causam, quam in hac duntaxat quæstione vel solam, vel pene solam cum istis habemus. Sicut enim ipse dicit : « Ad quod nunc agit non pertinere ut quæratur, utrum fuerint, vel sint aliqui homines in hac vita sine peccato, sed utrum esse potuerint, sive possint : » ita ergo etiamsi fuisse vel esse consentiam, nullo modo tamen potuisse vel posse confirmo, nisi justificatos gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum et hunc crucifixum. Ea quippe fides justos sanavit antiquos,

[1] Rom. v, 5. — [2] Luc. x, 30.

quæ sanat et nos, id est, mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis et resurrectionis ejus. Habentes ergo eumdem spiritum fidei, et nos credimus, propter quod et loquimur[1].

LII. Iste vero objecta sibi quæstione, in qua revera intolerabilis videtur cordibus christianis, quid respondeat attendamus. Ait enim : « Sed hoc est quod multos movet, inquies, quod non per Dei gratiam hominem sine peccato esse posse defendis. » Prorsus hoc est quod movet, hoc est quod objicimus. Rem ipsam dicit ; hoc omnino ægerrime sustinemus : hinc a Christianis talia disputari, ea quam in alios et in ipsos habemus, dilectione non ferimus. Audiamus igitur quomodo se ab objectione quæstionis hujus expediat. « O ignorantiæ cæcitas, inquit, o imperitæ mentis ignavia, quæ id sine Dei gratia defensari existimat, quod Deo tantum audiat debere reputari. » Si nesciremus quæ sequantur, his tantummodo auditis, falsa nos de illis, jactante fama et quibusdam fratribus idoneis testibus asseverantibus, credidisse putaremus. Quid enim dici brevius potuit et verius, quam possibilitatem non peccandi, quantacumque est vel erit in homine, nonnisi Deo debere reputari? Hoc et nos dicimus, jungamus dexteras.

LIII. An audienda sunt cætera? Audienda plane, et corrigenda utique vel cavenda. « Nam cum dicitur, inquit, ipsum posse, arbitrii humani omnino non esse, sed auctoris naturæ, Dei scilicet ; ecqui fieri potest, ut absque Dei gratia intelligatur, quod ad Deum proprie pertinere censetur? » Jam cœpit apparere quid dicat : sed ne forte fallamur, latius id explanat et clarius[2]. « Sed ut hoc manifestius, inquit, fiat, paulo latius disputandum

[1] 1 Cor. II, 2. — [2] Confer lib. de gratia Christi c. 4.

est. Dicimus enim cujusque rei possibilitatem, non tam in arbitrii humani potestate, quam in naturæ necessitate consistere. » Exemplis etiam vel similitudinibus quid dicat illustrat : « Ut puta, inquit, loqui possum : Quod loqui possum, meum non est; quod loquor, meum est, id est, propriæ voluntatis : et quia quod loquor, meum est, utrumque facere possum, id est, et loqui et non loqui : quia vero quod loqui possum, meum non est, id est, arbitrii mei atque voluntatis, necesse est me semper loqui posse; et si voluero non posse loqui, non possum tamen non posse loqui, nisi forte membrum illud adimam, quo loquendi impleri officium potest. » Multa quidem dici possent, quibus, si velit, homo adimat sibi possibilitatem loquendi, non adempto illo membro quo loquimur. Velut si aliquid fiat unde vox ipsa tollatur, loqui nemo poterit manentibus membris : non enim vox hominis membrum est : vexato sane aliquo interiore membro fieri potest, non adempto. Sed ne verbo premere videar, mihique contentiose dicatur, Etiam vexare adimere est : possumus quidem id efficere et ore aliquibus vinculis sic clauso atque obserato, ut id aperire minime valeamus, neque ut aperiatur in nostra sit potestate, cum in potestate fuerit, ut clauderetur manente integritate et sanitate membrorum.

LIV. Sed quid ad nos? Videamus quid exinde contexat : « Voluntatis enim arbitrio, inquit, ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur. » Et hic nonnulla quæstio est. Per enim absurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio qua et bona constrictione naturæ : nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare.

LV. Attendite etiam quæ sequuntur : « Hoc, inquit, et de auditu, odoratu, vel visu sentiri possibile est, quod audire, odorari, videre potestatis nostræ sit ; posse vero audire, vel odorari, vel videre potestatis nostræ non sit, sed in naturali necessitate consistat. » Aut ego non intelligo quid dicat, aut ipse. Quomodo enim in potestate nostra non est videndi possibilitas, si in potestate nostra est non videndi necessitas, quia in potestate est cæcitas, qua id ipsum videre posse nobis, si volumus, adimamus? Quomodo autem in potestate nostra est videre, si velimus, cum etiam salva integritate naturæ corporis oculorumque nostrorum, nec volentes videre possimus, sive per noctem luminibus quæ forinsecus adhibentur ademptis, sive nos quisquam in tenebroso loco aliquo includat? Item si quod audire possumus, vel non possumus in nostra potestate non est, sed in naturæ constrictione; quod vero audimus, vel non audimus, hoc est propriæ voluntatis; cur non attendit, quanta audiamus inviti, quæ penetrant in sensum nostrum etiam auribus obturatis, sicuti est de proximo serræ stridor, vel grunnitus suis? Quanquam obturatio aurium ostendit, non in potestate nostra esse, apertis auribus non audire : facit etiam fortasse talis obturatio quæ ipsum sensum nostrum adimat, ut in nostra potestate sit etiam audire non posse. De odoratu autem quod dicit, nonne parum attendit, « Non esse in nostra potestate posse odorari vel non posse, sed in nostra potestate esse, hoc est, in libera voluntate, odorari vel non odorari : » cum inter odores graves et molestos quando constituti fuerimus, si quis nos illic manibus ligatis constituat, servata prorsus integritate ac salute membrorum velimus non odorari, nec omnino possimus ; quia cum spiritum ducere cogimur, simul et odorem quem nolumus, trahimus?

LVI. Sicut ergo istæ similitudines falsæ sunt, ita et illud propter quod eas voluit adhibere. Sequitur enim et dicit: « Simili ergo modo de non peccandi possibilitate intelligendum est, quod non peccare nostrum sit, posse vero non peccare non nostrum, » Si de integra et sana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus; (« Spe » enim salvi facti sumus; spes autem quæ videtur non est » spes; si autem quod non videmus speramus, per patien- » tiam expectamus [1]: ») nec sic recte diceret, quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset : nam et tunc esset adjutorium Dei, et tanquam lumen sanis oculis quo adjuti videant, se præberet volentibus. Quia vero de hac vita disputat, ubi corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem [2]; miror quo corde, etiam sine adjutorio medicinæ Salvatoris nostri, nostrum putet esse non peccare, posse vero non peccare naturæ esse contendat, quam sic apparet esse vitiatam, ut hoc majoris vitii sit non videre.

LVII. « Quia non peccare, inquit, nostrum est, possumus peccare et non peccare. » Quid si alius dicat, Quia nolle infelicitatem, nostrum est, possumus eam et nolle et velle? Et tamen eam velle omnino non possumus. Quis enim ullo modo velle esse possit infelix, etiamsi aliud vult ubi eum et nolentem infelicitas consequatur? Deinde, quia Dei multo magis est non peccare, num audebimus eum dicere et peccare posse et non peccare? Absit a nobis, ut Deum peccare posse dicamus. Non enim, ut stulti putant, ideo non erit omnipotens, quia nec mori potest, et necare se ipsum non potest [3]. Quid est ergo quod loquitur, et quibus locutionum regulis conatur persuadere, quod non vult considerare? adhuc addit et dicit:

[1] Rom. VIII, 24. — [2] Sap. IX, 15. — [3] 2 Tim. II, 13.

« Quia vero posse non peccare, nostrum non est; et si voluerimus non posse non peccare, non possumus non posse non peccare. » Intorte hoc dixit, et ideo subobscure. Sed ita posset dici planius: Quia posse non peccare, nostrum non est; seu velimus, seu nolimus, possumus non peccare. Non enim ait, seu velimus, seu nolimus, non peccamus; sine dubio enim peccamus, si volumus : sed tamen velimus nolimus, habere nos asserit non peccandi possibilitatem, quam naturæ insitam dicit. Sed de homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit nolit habet ambulandi possibilitatem : confractis vero, et si velit, non habet, Vitiata est natura de qua loquitur : « Quid superbit terra et cinis[1]? » Vitiata est, medicum implorat: « Salvum me fac, Domine, clamat: Sana animam » meam [2], » clamat. Quid intercludit has voces, ut defendendo quasi præsentem possibilitatem, futuram impediat sanitatem?

LVIII. Et videte quid adjungat, unde illud confirmari existimat. « Quia nulla, inquit, adimere voluntas potest, quod inseparabiliter insitum probatur esse naturæ. » Unde ergo illa vox : « Ut non quæ vultis illa faciatis [3]? » Unde etiam illa: « Non enim quod volo facio bonum, sed » quod odi malum hoc ago [4] ? » Ubi est possibilitas, quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ? Ecce homines non ea quæ volunt faciunt : et de non peccando utique agebat, non de volando, quia homines, non alites erant. Ecce homo quod vult bonum non agit, sed quod non vult malum hoc agit : velle illi adjacet, perficere autem bonum non adjacet. Ubi est possibilitas, quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ? Quemlibet enim in se transfiguret, si de se ipso ista non dicit Apostolus, hominem certe

[1] Eccli. x, 9. — [2] Psal. xl, 2, et xli, 5. — [3] Galat. v, 17. — [4] Rom vii, 15.

in se transfigurat. Ab isto autem ipsa humana natura inseparabilem nihil peccandi possibilitatem habere defenditur. Sed his verbis id agitur, etiam a nesciente qui loquitur, non autem nesciente illo qui hæc loquenda incautis etiam Deum timentibus suggerit, ut evacuetur Christi gratia, humana sibi ad justitiam suam quasi sufficiente natura.

LIX. Ut autem declinetur invidia, qua Christiani pro salute sua clamant et dicunt, quare sine adjutorio gratiæ Dei dicis hominem posse non peccare? « Ipsa, inquit, non peccandi possibilitas non tam in arbitrii potestate, quam in naturæ necessitate est. Quidquid in naturæ necessitate positum est, ad naturæ pertinere non dubitatur auctorem, utique Deum. Quomodo ergo, inquit, absque Dei gratia dici existimatur, quod ad Deum proprie pertinere monstratur? » Expressa est sententia quæ latebat, non est quemadmodum possit abscondi. Ideo Dei gratiæ tribuit non peccandi possibilitatem, quia ejus naturæ Deus auctor est, cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit. Cum vult ergo facit, quia non vult non facit. Ubi enim est inseparabilis possibilitas, ei accidere non potest voluntatis infirmitas, vel potius voluntatis adjacentia et perfectionis indigentia. Si ergo ita est, unde venit : « Velle adjacet, perficere autem bonum » non adjacet [1]? » Si enim iste qui hunc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculpata et sana condita est utcumque acceptaretur hoc dictum : quanquam inseparabilem habere possibilitatem, id est, ut ita dicam, inamissibilem, non debuit illa natura dici, quæ vitiari posset, et medicum quærere, qui cæci oculos sanaret, et videndi possibilitatem restitueret, quæ fuerat amissa per cæcitatem : quoniam cæcus puto quod velit

[1] Rom. VII, 18.

videre, sed non potest : si autem vult et non potest, inest voluntas, sed amissa est possibilitas.

LX. Adhuc videte quas moles conetur, qua suam sententiam ducat, irrumpere, si valeret. Objicit enim sibi quæstionem, dicens : « Sed caro nobis secundum Apostolum contraria est, inquies [1]. » Deinde respondet : « Quî fieri potest, ut cuicumque baptizato sit caro contraria, cum secundum eumdem Apostolum in carne non esse intelligatur? Ita enim ait : « Vos autem in carne non estis [2]. » Bene, quod baptizatis dicit carnem contrariam esse non posse ; quod utrum verum sit, post videbimus [3] : nunc vero quia non potuit penitus se oblivisci esse Christianum, sed id licet tenuiter recordatus est, recessit a defensione naturæ. Ubi est ergo inseparabilitas possibilitatis? An forte nondum baptizati in natura hominum non sunt? hic prorsus, hic posset evigilare, et si advertat potest. « Quî fieri potest, inquit, ut cuicumque baptizato sit caro contraria? Ergo non baptizatis potest caro esse contraria. Exponat quemadmodum ; cum sit etiam in ipsis illa ab eo multum defensa natura : certe vel in eis concedit esse vitiatam, si jam in baptizatis ille saucius sanus de stabulo egressus est [4], aut sanus in stabulo est quo eum curandum misericors Samaritanus advexit. Porro si vel istis concedit carnem esse contrariam, dicat quid contigerit, cum sit utrumque, hoc est, et caro et spiritus creatura unius ejusdemque creatoris, procul dubio bona, quia boni : nisi quia hoc est vitium, quod propria inflictum est voluntate ; et hoc ut in natura sanetur, eo ipso opus est salvatore, quo instituta est natura creatore. Hoc salvatore, eaque illius medicina, qua Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis [5], si opus esse fateamur parvis et mag-

[1] Galat. v, 17. — [2] Rom. VIII, 9. — [3] Capite proximo. — [4] Luc. x, 34. — [5] Joan. I, 14.

nis, id est, a vagitibus infantum usque ad canos senum ; tota quæ inter nos est, hujus quæstionis controversia dissoluta est.

LXI. Nunc jam videamus, utrum et baptizatis legatur caro esse contraria. Ubi quæro, quibus dicebat Apostolus : « Caro concupiscit adversus spiritum , et spiritus » adversus carnem ; hæc enim invicem adversantur, ut » non ea quæ vultis faciatis[1] ? » Ad Galatas, ut opinor, id scripsit, quibus dicit : « Qui ergo tribuit vobis Spiritum, » et virtutes operatur in vobis , ex operibus legis, an ex » auditu fidei[2] ? » Unde apparet cum Christianis loqui , et quibus Deus tribuerat Spiritum : ergo etiam baptizatis. Ecce et baptizatis caro invenitur esse contraria , et non adesse possibilitas illa, quam inseparabiliter insitam dicit esse naturæ. Ubi est quod ait : « Quî fieri potest, ut cuicumque baptizato sit caro contraria ? » Quomodolibet intelligat carnem, quia revera non natura ejus quæ bona est, sed vitia carnalia carnis hoc loco nomine nuncupatur ; ecce tamen etiam baptizatis caro contraria est : et quomodo contraria ? ut non quod volunt faciant. Ecce adest voluntas in homine , ubi est possibilitas illa naturæ ? Fateamur gratiam necessariam , clamemus : « Miser » ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus[3] ? » et respondeatur nobis : « Gratia Dei per Jesum Christum » Dominum nostrum. »

LXII. Quando enim istis rectissime dicitur, Quare sine adjutorio gratiæ Dei dicitis hominem posse esse sine peccato ? non tunc de illa gratia quæstio est, qua est homo conditus ; sed de ista, qua fit salvus per Jesum Christum Dominum nostrum. Fideles enim orantes dicunt, « Ne nos inferas in tentationem , sed libera nos a » malo[4]. » Si adest possibilitas, ut quid orant ? Aut aquo

[1] Galat. v, 17. — [2] Id. III, 5. — [3] Rom. VII, 24. — [4] Matth. VI, 13.

malo se liberari orant, nisi maxime de corpore mortis hujus; unde non liberat nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Non utique de substantia corporis, quæ bona est; sed de vitiis carnalibus, unde non liberatur homo sine gratia Salvatoris, nec quando per mortem corporis discedit a corpore. Et hoc ut diceret Apostolus, quid supra dixerat? « Video aliam legem in » membris meis repugnantem legi mentis meæ, et capti» vum me ducentem in lege peccati quæ est in membris » meis[1]. » Ecce quod vitium naturæ humanæ inobedientia voluntatis inflixit. Orare sinatur, ut sanetur. Quid tantum de naturæ possibilitate præsumitur? Vulnerata, sauciata, vexata perdita est : vera confessione, non falsa defensione opus habet. Gratia ergo Dei, non qua instituatur, sed qua restituatur, quæratur; quæ ab isto sola clamatur non esse necessaria, cum tacetur. Qui si omnino nihil de gratia Dei diceret, nec eam quæstionem solvendam sibi proponeret, ut a se de hac re invidiam removeret, posset putari hoc quidem sentire, quod veritas habet; sed non dixisse, quia non ubique omnia dicenda sunt : proposuit de gratia quæstionem, id respondit quod habebat in corde; definita quæstio est, non quam volebamus, sed ubi quid sentiret, dubitabamus.

LXIII. Deinde multis verbis Apostoli conatur ostendere, unde non est controversia, « Quod caro ab illo ita sæpe nominetur, ut velit intelligi, non substantiam, sed opera carnis. » Quid hoc ad rem? Vitia carnis contraria sunt voluntati hominis : non natura accusatur; sed vitiis medicus quæritur : Quid est quod interrogat, « Quis fecit homini spiritum? » et respondet sibi, « Sine dubio Deus. » Et item interrogat, « Carnem quis creavit? » itemque respondet, « Idem credo Deus. » Interrogat tertio, « Bo-

[1] Rom. VII, 23.

nus est qui utrumque creavit Deus? » respondet, « Nulli dubium est. » Adhuc interrogat, « Et utrumque quod bonus auctor creavit, bonum est? » et ad hoc respondet, « Confitendum est. » Deinde concludit, « Si igitur et spiritus bonus est, et caro bona, ut a bono auctore condita, quî fieri potest, ut duo bona possint sibi esse contraria? » Omitto dicere, quia tota hujus ratiocinatio turbaretur, si quis ab eo quæreret, Æstum et frigus quis fecit? responderet enim, Sine dubio Deus. Non ego multa interrogo : ipse concludat, utrum aut ista possint dici non bona, aut non appareant inter se esse contraria. Hic forte dicit : « Qualitates sunt istæ substantiarum, non substantiæ. » Ita est, verum est; sed qualitates naturales, et ad Dei creaturam sine dubio pertinentes : substantiæ quippe non per se ipsas, sed per suas qualitates, sicut aqua et ignis, dicuntur sibi esse contrariæ. Quid si ita sunt caro et spiritus? quod quidem non affirmamus; sed ut ratiocinationem ejus non necessaria illatione conclusam ostenderemus, hoc diximus. Possunt enim et contraria non invicem adversari, sed ex alterutro temperari et bonam valetudinem reddere : sicut in corpore siccitas et humiditas, frigus et calor, quorum omnium temperatione bona corporalis valetudo consistit. Sed quod contraria est caro spiritui, ut non ea quæ volumus faciamus; vitium est, non natura : gratia medicinalis quæratur, et controversia finiatur.

LXIV. Duo quippe ista bona, a bono Deo condita, quomodo contra hujus ratiocinationem in non baptizatis hominibus possunt sibi esse contraria? An et hoc eum dixisse pœnitebit, quod affectu aliquo fidei christianæ locutus est? Cum enim dixit, « Quî fieri potest, ut cuicumque jam baptizato sit caro contraria : » significavit non baptizatis carnem posse esse contrariam. Nam cur

addidit, « Jam baptizato; » cum posset etiam hoc non addito dicere, « Quî fieri potest, ut cuicumque sit caro contraria : » atque ad hoc probandum subjicere illam ratiocinationem suam, quia utrumque bonum est a bono conditum, et ideo non potest inter se esse contrarium ? Si ergo non baptizati, quibus certe fatetur carnem esse contrariam, suis illum interrogationibus urgeant et dicant, Quis fecit homini spiritum? iste respondebit, Deus. Itemque illi, Carnem quis creavit; respondet iste, Idem credo Deus. Illi tertio, Bonus est qui utrumque creavit Deus? et iste, Nulli dubium est. Atque illi unum quod restat inquirant, Et utrumque quod bonus auctor creavit bonum est? iste fatebitur. Tunc illi eum suo gladio jugulabunt inferentes conclusionem ejus et dicentes, Si igitur spiritus bonus, et caro bona, ut a bono auctore condita, quî fieri potest, ut duo bona sibi possint esse contraria? Hic forte ille respondebit, Date veniam, quia non debui dicere, cuicumque baptizato carnem non posse esse contrariam, ut hoc modo vobis non baptizatis contrariam confiterer; sed sine ulla exceptione dicere debui, carnem nulli esse contrariam. Ecce quo se ipse compingit; ecce quæ loquitur, qui non vult clamare cum Apostolo : « Quis me liberabit de corpore mortis » hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nos- » trum [1]. » Sed cur, inquit, clamem, jam baptizatus in Christo? Illi hoc clament, qui nondum tale beneficium perceperunt, quorum in se voces figurabat Apostolus : si tamen vel hoc dicunt. » Sed naturæ ista defensio, nec illos hac voce exclamare permittit. Neque enim in baptizatis natura est, et in non baptizatis natura non est. Aut si vel in illis vitiata esse conceditur, ut non sine causa clament, « Infelix homo, quis me liberabit de corpore

[1] Rom. VII, 24.

»mortis hujus ?» eisque subveniatur in eo quod sequitur, « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum : » concedatur jam tandem aliquando humanâm medico Christo indigere naturam.

LXV. Quæro autem, ubi natura istam perdiderit libertatem, quam sibi dari exoptat, cum dicit : « Quis me » liberabit? » non enim et ille substantiam carnis accusat, cum dicit liberari se cupere de corpore mortis hujus; cum etiam corporis, sicut animæ, natura Deo bono auctori tribuenda sit : sed utique de vitiis corporis dicit. Nam de corpore mors corporis separat : sed contracta ex illo vitia cohærent, quibus justa pœna debetur, quam etiam in inferno ille dives invenit[1]. Hinc se non poterat utique liberare qui dicit : « Quis me liberabit de corpore mor- » tis hujus[2] ? » Ubicumque autem istam perdiderit libertatem, certe inseparabilis est possibilitas illa naturæ, habet posse per naturale subsidium, habet velle per liberum arbitrium, cur quærit baptismatis sacramentum ? An propter commissa præterita, ut ea tantum ignoscantur, quæ fieri infecta non possunt ? Dimitte hominem, clamet quod clamabat. Non enim tantum desiderat, ut per indulgentiam sit de præteritis impunitus, sed etiam ut sit de cætero ad non peccandum fortis et validus. Condelectatur enim legi Dei secundum interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ[3] : videt esse, non recolit fuisse ; præsentibus urgetur, non præterita reminiscitur. Nec tantum repugnantem videt, verum etiam captivantem se in lege peccati, et quæ est in membris ejus, non quæ fuit. Hinc est quod clamat; « Infelix homo, quis me liberabit de corpore » mortis hujus ?» Sinatur orare, sinatur adjutorium medici potentissimi flagitare. Quid contradicitur ? quid obstre-

[1] Luc. XVI, 23. — [2] Rom. VII, 24. — [3] Ibid. 22.

pitur? quid miser misericordiam Christi petere prohibetur, et hoc a Christianis? Nam et illi cum Christo ambulabant, qui cæcum lumen clamando petere prohibebant[1]: sed etiam inter tumultum contradicentium audit ille clamantem: unde huic responsum est, « Gratia Dei per Jesum » Christum Dominum nostrum. »

LXVI. Porro si ab istis vel hoc impetramus, ut nondum baptizati implorent auxilium gratiæ Salvatoris, non est hoc quidem parum adversus illam falsam defensionem tanquam sibi sufficientis naturæ et potestatis liberi arbitrii: neque enim sibi sufficit qui dicit, « Infelix homo, » quis me liberabit? » aut plenam libertatem habere dicendus est, qui se adhuc postulat liberari. Verumtamen etiam illud videamus, utrum illi qui baptizati sunt faciant bona quæ volunt, nulla carnis concupiscentia repugnante. Sed qui hinc dicamus, ipse commemorat, ubi concludens hunc locum, « Ut diximus, inquit, illud quo continetur, « Caro concupiscit adversus spiritum[2], » non de carnis substantia, sed de operibus sentire necesse est. » Hoc et nos dicimus, non de carnis substantia, sed de operibus dictum, quæ veniunt de carnali concupiscentia, de peccato scilicet, de quo præcepit, ut non regnet in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus[3].

LXVII. Sed attendat etiam ipse, jam baptizatis fuisse dictum, « Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus » adversus carnem, ut non ea quæ vultis faciatis. » Et ne ab ipsa pugna desides faceret, et per hanc sententiam laxamentum peccandi dedisse videretur, adjungit, « Quod » si spiritu ducimini, non adhuc estis sub lege. » Sub lege est enim, qui timore supplicii quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, non-

[1] Marc. x, 46. — [2] Galat. v, 17. — [3] Rom. vi, 12.

dum liber nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet si fieri posset non esse quod timeat, ut libere faciat quod occulte desiderat. Ergo si spiritu, inquit, ducimini, non adhuc estis sub lege : utique lege quæ timorem incutit, non tribuit charitatem ; quæ charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per legis litteram, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis[1]. Hæc est lex libertatis, non servitutis; quia charitatis utique, non timoris : de qua et Jacobus apostolus ait : « Qui autem perspexerit in legem perfectam liberta-» tis[2]. » Unde et ille, non quidem jam lege Dei terrebatur ut servus, sed condelectabatur ei secundum interiorem hominem : videt tamen adhuc aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Ita et hic, Si spiritu, inquit, ducimini, non adhuc estis sub lege. In quantum quisque spiritu ducitur, non est sub lege : quia in quantum condelectatur legi Dei, non est sub legis timore : quia timor tormentum habet, non delectationem [3].

LXVIII. Proinde si recte sentimus, sicut pro membris sanatis gratias agere, ita pro sanandis orare debemus, ut absolutissima cui nihil addi possit sanitate, perfecta Dei suavitate, plena libertate perfruamur. Non enim abnuimus humanam naturam posse esse sine peccato, aut ullo modo negare debemus perfici posse, quam proficere non negamus, sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum : eo adjuvante fieri dicimus, ut justa et beata sit, a quo creata est ut sit. Facile itaque refellitur, quod a quibusdam sibi dicit opponi, « Diabolus nobis adversatur. » Prorsus huic objectioni et eadem verba respondemus, quæ ipse respondit : « Resistamus illi, et fugiet. « Resistite, inquit beatus Apostolus, diabolo, et fugiet a » vobis[4]. » Unde animadvertendum est, quid sit his nocere

[1] Rom. v, 5. — [2] Jacob. I, 25. — [3] I Joan. IV, 18. — [4] Jacob. IV, 7.

quos fugit, vel quam virtutem habere intelligendus sit, qui solis prævalere non resistentibus potest. » Hæc et mea verba sunt : verius enim dici non potest. Sed hoc interest inter nos et istos, quod nos etiam cum diabolo resistitur, poscendum Dei adjutorium, non solum non negamus, verum etiam prædicamus : isti autem tantam tribuunt potestatem voluntati, ut pietati auferant orationem. Nam utique ut diabolo resistamus et fugiat a nobis, ideo precantes dicimus, « Ne nos inferas in tentationem [1] : » ideo et admoniti sumus tanquam ab imperatore milites exhortante et dicente, « Vigilate, et orate, ne intretis in ten» tationem [2]. »

LXIX. Quod vero contra eos disputat, qui dicunt : « Et quis nolit sine peccato esse, si hoc in hominis esset positum potestate? » Recte quidem disputat, « Hoc ipso eos confiteri non esse impossibile, quia hoc vel multi, vel omnes volunt : » sed hoc unde sit possibile confiteatur, et pax est. Ipsa est enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qua omnino iste nos orantes adjuvari ut non peccemus, nusquam dicere voluit. Quod si forte latenter sentit, ignoscat aliter suspicantibus. Ipse enim hoc facit, qui cum tantam de hac re patiatur invidiam, sentire id vult, et confiteri vel profiteri non vult. Quid erat magnum ut hoc diceret, cum præsertim sibi hoc tanquam ex persona adversariorum oppositum tractare et aperire susceperit? Cur illic solam naturam defendere voluit, et quia homo ita creatus est, ut non peccare posset, si peccare noluisset, asseruit, ac per hoc quod ita creatus est, eam possibilitatem ad gratiam Dei pertinere definivit, qua possibilitate si noluerit peccare, non peccat ; et noluit aliquid dicere de eo, quod ipsa natura gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum vel

[1] Matth. VI, 13. — [2] Marc. XIV, 38.

sanatur quia vitiata est, vel quia sibi non sufficit adjuvatur?

LXX. Utrum enim in hoc sæculo fuerit, vel sit, vel possit esse aliquis ita juste vivens, ut nullum habeat omnino peccatum, potest esse aliqua quæstio inter veros piosque Christianos: posse tamen esse certe post hanc vitam quisquis ambigit, desipit. Sed ego nec de ista vita volo contendere. Quanquam enim mihi non videatur aliter intelligendum quod scriptum est: « Non justifica» bitur in conspectu tuo omnis vivens[1], » et si qua similia: utinam tamen possit ostendi, vel hæc testimonia melius aliter intelligi posse, vel perfectam plenam que justitiam cui prorsus nihil addendum sit, et heri fuisse in aliquo, dum in isto corpore viveret, et hodie esse, et cras futuram; dum tamen longe plures sint, qui cum sibi usque ad ultimum vitæ hujus diem necessarium esse non dubitent, ut veraciter dicant: « Dimitte nobis de» bita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nos» tris[2]: » spem suam tamen in Christo atque in ejus promissionibus veram, certam, firmam esse confidant. Nullo tamen modo nisi adjuvante gratia salvatoris Christi crucifixi, et dono Spiritus ejus, vel quoslibet ad plenissimam perfectionem, vel quemquam ad qualemcumque provectum veræ piæque justitiæ pervenire, qui negaverint, nescio utrum recte possint in qualiumcumque Christianorum numero deputari.

LXXI. Ac per hoc et ea testimonia, quæ non quidem de Scripturis canonicis, sed de quibusdam catholicorum tractatorum opusculis posuit, volens occurrere iis qui eum solum dicerent ista defendere, ita sunt media, ut neque contra nostram sententiam sint, neque contra ipsius. In quibus etiam nonnihil de libris meis interponere

[1] Psal. CXLII, 2. — [2] Matth. VI, 12.

voluit, me quoque aliquem deputans, qui cum illis commemorari dignus viderer. Unde ingratus esse non debeo, et familiariore affectu nolim ut erret, qui hunc mihi detulit honorem. Prima enim quæ posuit, quia nomen ejus qui ea dixit (21), non ibi legi, sive quia ille non scripsit, sive quia codex quem misistis, id aliqua forte mendositate non habuit, pertractare quid opus est? Maxime quoniam me in hujusmodi quorumlibet hominum scriptis liberum (quia solis canonicis debeo sine ulla recusatione consensum,) nihil movet quod de illius scriptis, cujus nomen non ibi inveni, ille posuit: « Oportuit magistrum doctoremque virtutis homini simillimum fieri, ut vincendo peccatum doceat hominem vincere posse peccatum [1]. » Quomodo enim dictum sit, auctor hujus sententiæ viderit, qualiter possit exponere: dum tamen nos minime dubitemus, peccatum Christum in se non habuisse quod vinceret, qui natus est in similitudine carnis peccati, non in carne peccati. Aliud ejusdem ita posuit: « Et iterum, Ut desideriis carnis edomitis, doceret non necessitatis esse peccare, sed propositi ac voluntatis [1]. » Ego desideria carnis (si non illicitarum concupiscentiarum hic dicuntur) accipio, sicuti est fames, sitis, refectio lassitudinis, et si quid hujusmodi est. Per hæc enim quidam, quamvis ea sint inculpabilia, in culpas decidunt; quod ab illo Salvatore abfuit, etiamsi hæc in eo fuisse propter similitudinem carnis peccati, Evangelio teste videamus.

LXXII. Beatus vero Hilarius, cujus verba hæc posuit, « Non enim nisi spiritu perfecti et immortalitate mutati, quod solis mundis corde dispositum est, hoc quod in Deo est immortale cernemus [3]: » quid dixerit

[1] Lactant. lib. IV. divin. instit. cap. 24. — [2] Ibid. cap. 25. — [3] Hilarius in illud Matth. V. *Beati mundo corde.*

contra id quod dicimus, vel quid istum adjuvet, nescio, nisi quia posse esse hominem mundo corde testatus est. Quod quis negat? sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non sola arbitrii libertate. Item quod cum dixisse commemorat, « Quas Job litteras legerat, ut abstineret se ab omni re maligna ; quia Deum sola mente vitiis non admixta venerabatur, Deum autem colere justitiæ proprium officium est : » quid fecisset Job dixit, non quid in hoc sæculo perfecisset, aut sine gratia Salvatoris, quem etiam prophetavit, vel fecisset, vel perfecisset. Abstinet enim se ab omni re mala, etiam qui habet peccatum, quod in se regnare non sinit, cui subrepit improbanda cogitatio, quam pervenire ad finem operis non permittit. Sed aliud est non habere peccatum, aliud non obedire desideriis ejus. Aliud est implere quod præceptum est, « Non concupisces[1] : » et aliud est per quemdam abstinentiæ conatum saltem id agere quod item scriptum est, « Post concupiscentias tuas non eas[2] : » nihil horum tamen scire se recte posse sine gratia Salvatoris. Facere est ergo justitiam, in vero Dei cultu cum interno concupiscentiæ malo interna conflictatione pugnare : perficere autem, omnino adversarium non habere. Nam qui pugnat, et adhuc periclitatur, et aliquando percutitur, etiam si non sternitur : qui autem non habet adversarium, plena pace lætatur. Et ipse esse sine peccato verissime dicitur, in quo nullum habitat peccatum ; non qui per abstinentiam mali operis dicit : « Jam » non ego operor illud, sed id quod in me habitat pec» catum[3]. »

LXXIII. Nam et ipse Job de peccatis suis non tacet, et utique huic amico vestro merito placet, humilitatem nullo modo in falsitatis parte ponendam : unde id quod

[1] Exod. xx, 16. — [2] Eccli. xviii, 30. — [3] Rom. vii, 20.

Job confitetur, quia verax Dei cultor est, procul dubio veraciter confitetur. Et ipse Hilarius cum locum Psalmi exponeret, ubi scriptum est : « Sprevisti omnes discedentes a justificationibus tuis[1], » ait : « Si enim Deus peccatores sperneret, omnes utique sperneret; quia sine peccato nemo est. Sed spernit discedentes a se, quos apostatas vocant. » Videtis quemadmodum non dixerit, quia sine peccato nemo fuerit, tanquam de præteritis loquens, sed quod sine peccato nemo sit; unde quidem, ut dixi, non contendo. Quisquis enim non cedit Joanni apostolo, qui nec ipse ait : « Si dixerimus quia peccatum » non habuimus; sed, non habemus[2] : episcopo Hilario quomodo cessurus est? Pro gratia Christi clamo, sine qua nemo justificatur, tanquam sufficiente naturæ libero arbitrio. Imo ipse pro ea clamat : ei cedatur dicenti, « Sine me nihil potestis facere[3]. »

LXXIV. Sanctus autem Ambrosius revera in eo loco quem iste commemorat, illis resistit qui dicunt hominem non esse posse sine peccato in hac vita. Ut enim ea diceret, accepit occasionem de Zacharia et Elizabeth[4], quod in Evangelio commemorati sunt ambulasse in omnibus justificationibus legis sine querela : numquid tamen negat gratia Dei fieri per Jesum Christum Dominum nostrum? Ex qua fide etiam ante ejus passionem justos vixisse non dubium est, qui præstat spiritum sanctum qui datus est nobis, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, qua una justi sunt quicumque justi sunt. Quem Spiritum memoratus Episcopus etiam precibus impetrandum admonet, (ita illi voluntas divinitus non adjuta non sufficit), ubi in hymno suo dicit :

Votisque præstat sedulis,
Sanctum mereri Spiritum (22).

[1] Psal. CXVIII, 8. — [2] 1 Joan. I, 8. — [3] Joan. XV, 5. — [4] Ambrosius in Luc. c. I.

LXXV. Commemorabo et ego de hoc ipso opere sancti Ambrosii aliquid, ex quo iste commemoravit quod commemorandum putavit: « Visum est, inquit, mihi. Potest » non soli visum esse, quod visum sibi esse declarat. Non » enim voluntate tantum humana visum est, sed sicut pla- » cuit ei qui in me, inquit, loquitur Christus, qui ut id » quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit ope- » ratur. Quem enim miseratur, et vocat. Et ideo qui Chris- » tum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Chris- » tianus, respondere, Visum est mihi. Quod cum dicit, » non negat Deo visum; a Deo enim præparatur voluntas » hominum : ut enim Deus » honorificetur a sancto, Dei » gratia est [1]. » Ecce quid iste sapiat, si verbis Ambrosii delectatur, quod a Deo præpaparatur voluntas hominum, et nulla, vel non magna quæstio est, quis vel quando perficiatur, dum tamen sine gratia Christi idipsum fieri posse minime dubitetur. Deinde quantum erat, ut attenderet iste unum versum de Ambrosii verbis quæ posuit. Cum enim ille dixisst: « Nam cum Ecclesia ex gentibus, hoc est, » ex peccatoribus congregata sit quomodo ex maculatis im- » maculata potest esse, nisi primo per Christi gratiam, quod » abluta delicto sit; deinde, quod per qualitatem non pec- » candi abstineat a delictis? » ille addidit, quod iste apparet cur addere noluerit. Ait namque ille: « Nec ab » initio immaculata, humanæ enim hoc impossibile na- » turæ : sed per Dei gratiam et qualitatem sui, quia jam » non peccat, fit ut immaculata videatur. » Hæc verba, iste cur non addiderit, quis non intelligat? Hoc agitur utique nunc in hoc sæculo, ut ad istam, quam omnes sancti cupiunt immaculatissimam puritatem Ecclesia sancta perveniat, quæ in futuro sæculo neque aliquo malorum hominum sibi permixto, neque aliqua in se lege

[1] Ambrosius in Luc. c. 4. n. 10.

peccati resistente legi mentis, ducat mundissimam vitam in æternitate divina. Tamen attendat iste quid secundum Scripturas Ambrosius episcopus dixerit : « Nec ab » initio immaculata, humanæ enim hoc impossibile na» turæ » Utique enim ab initio dicit, quo ex Adam nascimur. Nam et ipse Adam immaculatus procul dubio factus est : sed in eis qui sunt natura filii iræ, ducentes ex illo quod vitiatum est in illo, ab initio esse immaculatos, humanæ naturæ impossibile definivit.

LXXVI. Item Joannes Constantinopolitanus episcopus, cujus posuit sententiam : « dicit peccatum non esse » substantiam, sed actum malignum : » quis hoc negat? » Et quia non est naturale, ideo contra illud legem da» tam, et quod de arbitrii libertate descendit : » etiam hoc quis negat? Sed nunc agitur de humana natura quæ vitiata est; agitur et de gratia Dei qua sanatur per medicum Christum, quo non indigeret si sana esset, quæ ab isto, tanquam sana, vel tanquam sibi sufficientes voluntatis arbitrio, posse non peccare defenditur.

LXXVII. Quis item Christianus ignorat, quod beatissimum Xistum Romanæ Ecclesiæ episcopum et Domini martyrem (23) dixisse commemorat : « Quia libertatem arbitrii » sui permisit hominibus Deus, ut pure et sine peccato » viventes similes fiant Deo. » Sed ad ipsum arbitrium pertinet vocantem audire et credere, et ab eo in quem credit non peccandi adjutorium postulare. Nam utique cum dicit : « Similes fiant Deo : » per charitatem Dei futuri sunt similes Deo, quæ diffusa est in cordibus nostris [1], non naturæ possibilitate, nec libero arbitrio quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et quod dicit idem Martyr : « Templum sanctum est » Deo mens pura, et altare optimum est ei cor mundum

[1] Rom. v, 5.

» et sine peccato : » quis nescit ad istam perfectionem perducendum cor mundum, dum interior homo renovatur de die in diem, non tamen sine gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Item quod ait ipse : « Vir castus et sine peccato potestatem accepit a Deo esse filius Dei : » utique admonuit, ne cum quisque factus fuerit ita castus et sine peccato, (quod ubi et quando in eo perficiatur nonnulla quæstio est, sed inter pios bene quæritur, inter quos tamen constat fieri posse, et sine mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu fieri non posse :) tamen, ut dicere cœperam, prudenter Xistus admonuit, ne cum fuerit quisque talis factus, et per hoc recte inter filios Dei deputatus, putetur ipsius fuisse potestatis, quam per gratiam accepit a Deo, cum eam non haberet in natura jam vitiata atque depravata, sicut in Evangelio legitur : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis po» testatem filios Dei fieri [1] : » quod utique non erant per naturam, nec omnino essent, nisi eum recipiendo accepissent per ejus gratiam hujusmodi potestatem. Hæc est potestas, quam sibi vindicat fortitudo charitatis, quæ non est in nobis, nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

LXXVIII. Quod vero presbyter venerabilis Hieronymus dixit, in iis quæ illum dixisse commemorat, cum exponeret quod scriptum est : « Beati mundo corde, quo» niam ipsi Deum videbunt : Quos non arguit conscientia » ulla peccati ; » et adjecit : « Mundus mundo corde conspicitur, templum Dei non potest esse pollutum [2] : » hoc utique agitur in nobis conando, laborando, orando, impetrando, ut ad illam perfectionem, in qua possimus Deum mundo corde conspicere, ejus gratia perducamur per Jesum Christum Dominum nostrum. Item quod ait

[1] Joan. 1, 12. — [2] Hieronymus in 5. cap. Matth.

a memorato dictum esse presbytero : « Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur ; alioquin ubi necessitas, nec corona est [1] : » quis non agnoscat ? quis non toto corde suscipiat ? quis aliter conditam humanam neget esse naturam ? Sed in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.

LXIX. Redi ergo ad apostolicam sententiam : « Cha- » ritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum » sanctum qui datus est nobis [2]. » A quo, nisi ab illo qui ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus [3] ? Quod autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ sit quædam peccandi necesstas, audiat homo, atque ut eadem necessitas non dsit, iscat Deo dicere : « De necessitatibus meis educ me [4]. » Quia et in hujusmodi oratione certamen est adversus tentatorem de ipsa contra nos necessitate pugnantem ; ac per hoc opitulante gratia per Jesum Christum Dominum nostrum, et mala necessitas removebitur et libertas plena tribuetur.

LXXX. Veniamus ad nos : « Item, inquit, Augustinus episcopus in libris de Libero arbitrio, « Quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur : si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur : An forte fallit incautum ? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit ? Si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest ? Peccatur autem. Caveri igitur potest [5]. » Agnosco, verba mea sunt : sed etiam ipse dignetur agnoscere superius cuncta quæ dicta sunt [6]. De gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per

[1] Lib. 2. contra Jovinianum. — [2] Rom. v, 5. — [3] Ephes. iv, 8 — [4] Psal. xxiv, 17. — [5] Aug. lib. 3. de Libero arbit. cap. 18. — [6] Responsionem similem habes lib. 1 Retract. cap. 9.

Mediatorem medicina opitulatur, non de impossibilitate justitiæ. Potest ergo ei causæ, quæcumque illa est, resisti : potest plane. Nam in hoc adjutorium postulamus, dicentes : « Ne nos inferas in tentationem [1] : » quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatum caveri, sed opitulante illo, qui non potest falli. Nam et hoc ipsum ad cavendum peccatum pertinet, si veraciter dicimus : « Dimitte nobis » debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nos» tris. » Duobus enim modis etiam in corpore cavetur morbi malum, et ut non accidat, et ut si acciderit, cito sanetur : ut non accidat, caveamus dicendo : « Ne nos » inferas in tentationem : » ut cito sanetur, caveamus dicendo : « Dimitte nobis debita nostra. « Sive ergo immineat, sive insit, caveri potest.

LXXXI. Sed ut non tantum illi, verum etiam iis qui eosdem libros meos, quos iste legit, de libero arbitrio non legerunt, atque illis non lectis, hunc forsitan legunt, de hac re sententia mea satis appareat, ex ipsis libris commemorare me oportet, quod iste si sentiret atque in suis litteris poneret, nulla inter nos de hac re controversia remaneret. Continuo quippe post verba mea quæ iste commemoravit, quod occurrere poterat ipse subjeci, et quantum potui pertractavi, dicens : « Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, et corrigenda judicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus. » Atque hinc adhibitis exemplis, etiam de infirmitate locutus sum, dicens : « Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere, et non potest. Nam unde sunt illæ voces, « Non enim quod volo facio » bonum, sed quod odi malum, hoc ago ? » Atque aliis in hanc sententiam commemoratis testimoniis divinorum

[1] Matth. vi, 13.

eloquiorum. « Sed hæc, inquam, omnia hominum sunt voces ex illa mortis damnatione venientium. Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. » Deinde paulo post : « Relinquitur ergo, inquam, ut hæc pœna justa de damnatione hominis veniat. » Nec mirandum est, quod vel ignorando non habet liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quid recte faciat, vel resistente carnali consuetudine, quæ violentia mortalis successionis quodam modo naturaliter inolevit, videat quid recte faciendum sit, et velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat quisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet : id est autem, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit ; et qui recte facere cum posset noluit, amittat posse cum velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, et difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Cum autem de libera voluntate recte faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est loquimur. » Hinc jam hominibus de ipsius ignorantiæ difficultatisque in prolem primi hominis trajectis vitiis atque transfusis, velut justam querelam deponentibus ita responsum est. « Quibus breviter[1], inquam, respondetur, ut quiescat, et adversus Deum murmurare desistant. Recte enim fortasse quererentur, si erroris et libidinis nullus hominum victor existeret : cum vero ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem, adversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem,

[1] Lib. 3, de libero arbit. c. 19.

diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. » Ita et exhortatus sum, quantum potui, ad recte vivendum; et gratiam Dei non evacuavi, sine qua natura humana jam contenebrata atque vitiata illuminari non potest et sanari : de qua re cum istis tota vertitur quæstio, ne gratiam Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro, perversa naturæ defensione frustremus. De qua natura item paulo post dixi : « Etiam ipsam naturam aliter dicimus, cum proprie loquimur, naturam hominis in qua primum in suo genere inculpabilis factus est; aliter istam, in qua ex illius damnati pœna et ignari et carni subditi nascimur; juxta quem modum dicit Apostolus : « Fuimus enim et nos naturali-» ter filii iræ, sicut et cæteri [1]. »

LXXXII. Si ergo volumus « Animos ad recte vivendum frigidos et pigros christianis exhortationibus excitare et accendere; » primitus exhortemur ad fidem, qua Christiani fiant, et ejus nomini subjiciantur, sine quo salvi esse non possunt. Si autem jam Christiani sunt, et recte vivere negligunt; verberentur terroribus, et præmiorum laudibus erigantur : ita sane, ut non solum ad bonas actiones, verum etiam ad pias orationes eos exhortari meminerimus, atque hac instruere sanitate doctrinæ, ut et illinc gratias agant, cum instituerint bene vivere, quod aliquid sine difficultate fecerint; et ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis et perseverantissimis precibus et misericordiæ promptis operibus facilitatem a Domino impetrare persistant. Sic autem proficientes, ubi et quando plenissima justitia perficiantur, non nimis

[1] Ephes. II, 3.

curo : ubicumque autem et quandocumque perfecti fuerint, non nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum perfici posse confirmo. Sane quando liquido cognoverint nullum peccatum se habere, non se dicant habere peccatum, ne veritas in eis non sit : sicut in eis veritas non est, qui cum habeant, non habere se dicunt.

LXXXIII. Valde autem « Bona sunt præcepta, » si legitime his utamur. Eo quippe ipso quo firmissime creditur, « Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere [1] ; » hinc admonetur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia charitati : « cui uni Christi sarcina levis est, » aut ea una est sarcina ipsa quæ levis est [2]. Secundum hoc dictum est : « Et præcepta ejus gravia non sunt [3] : » ut cui gravia sunt, consideret non potuisse divinitus dici, « Gravia non sunt, » nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non sunt, et petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur [4]. Et quod dicitur ad Israël in Deuteronomio [5], si pie, si sancte, si spiritaliter intelligatur, hoc idem significat : quia utique cum hoc testimonium commemorasset Apostolus, « Prope te est verbum in ore tuo, et in corde tuo [6], (quod hic habet (24), in manibus tuis ; » in corde enim sunt spiritales manus :) « Hoc est, inquit, verbum fidei quod prædicamus. Conversus ergo quisque, sicut ibi præcipitur, ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, et ex tota anima sua, mandatum Dei non habebit grave. Quomodo est enim grave, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, et ideo grave est : aut diligit, et grave esse non potest. Diligit autem, si quod illic admonetur Israël, conversus

[1] 1 Tim. I, 8. — [2] Matth. XI, 30. — [3] 1 Joan. V, 3. — [4] Confer lib. de perfectione justitiæ, c. 10. — [5] Deut. XXX, 14. — [6] Rom. X, 8.

fuerit ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, et ex tota anima sua. « Mandatum, inquit, novum do vobis, » ut vos invicem diligatis[1] : » et, « Qui diligit proximum, » legem implevit[2] : » et, « Plenitudo legis, charitas[3]. » Secundum hoc et illud dictum est : « Si ambularent se- » mitas bonas, invenissent utique semitas justitiæ leves[4]. » Quomodo ergo dicitur, « Propter verba labiorum tuo- » rum ego custodivi vias duras[5] : » nisi quia utrumque verum est? Duræ sunt timori, leves amori.

LXXXIV. Charitas ergo inchoata, inchoata justitia est : charitas provecta, provecta justitia est ; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est : sed « Charitas de corde puro, et conscientia » bona, et fide non ficta ; » Quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita : sed miror si non habet quo crescat, cum de mortali excesserit vita. Ubicumque autem et quandocumque ita plena sit, ut ei non sit quod adjiciatur ; non tamen diffunditur in cordibus nostris, vel naturæ, vel voluntatis opibus quæ sunt in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis, qui et infirmitati nostræ opitulatur, et sanitati cooperatur. Ipsa est enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est cum Patre et Spiritu sancto æternitas, bonitas, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. XIII, 34. — [2] Rom. XIII, 8.— [3] Ibid. 10.— [4] Prov. II, juxta LXX. — [5] Psal. XVI, 4.

FINIS TOMI CENTESIMI QUADRAGESIMI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 174.

Quædam hic minime ad propositum necessaria silentio præteriit Alypius. Hanc ipsam Epistolam totam, et ex actis Collationis, sed integratam, inter Augustinianas retulimus, ordine CXXVIII.

ANNOTATIO (2) pag. 245.

Pulchre alludit ad morem Donatistarum, quos supra lib. I. c. 27. redarguit, quod sese ad exitium præcipitare solerent.

ANNOTATIO (3) pag. 260.

Hunc Sermonem ex Cellensi codice eruit Hieronymus Viguerius, et in secundum tomum concinnati a se Supplementi Augustiniani retulit, nihil ipse dubitans quin vere dictus ab Augustino fuerit, et quidem primus eorum Sermonum quos B. Episcopus post Valerii præcessoris sui obitum fecit ad plebem. Verum ut non hic immoremur in expendendo stylo, qui nec satis gravitatis et dignitatis, nec dictionis omnino Augustinianæ modum habere videtur, certe Sermo historias duas, alteram diaconi cujusdam Mutugennensis, alteram Rusticiani, (seu

ut in antiquo exemplari scriptum est Rusticani,) quæ ex tempore atque aliis circumstantiis probantur longe diversæ, permiscet confunditque. Nam in primis Rusticianus ille qui in hoc Sermone diaconus *Mutugensis* vocatur, et cum ab Ecclesia catholica defecisset ad Donatistas, a Macrobio rebaptizatus dicitur et diaconus factus, is, inquam, plurimis indiciis significatur idem prorsus esse cum diacono illo Mutugennensi rebaptizato, cujus causa Augustinus Epistolam XXIII, tacito ipsius diaconi nomine scripsit ad Maximinum circiter annum Christi 392. Quanquam etiam alia legantur hic non pauca quæ in ipsum minime conveniunt. Quippe eo tempore quo diaconus ille a Donatistis receptus fuit, erat adhuc presbyter Augustinus, uti ex eadem Epistola XXIV. liquet. At Sermonis auctor num. 2. testatur se in *ipso oneris sui exordio* dedisse operam, *ut in præcipitium ruentem in plano collocaret.* Nec enim dici potest *oneris* nomine presbyteratum Augustini hoc loco indicari, cum dicam ibidem concionator, quod eum *nolebat sibi subtrahi in ipso oneris sui exordio, quem a satis longo tempore videbat tanquam fulgur de cœlo cadentem.* Haud enim *longo tempore* ante presbyteratum suum Hippone degebat Augustinus. Neque solum auctor supponit hunc diaconum nonnisi a tempore sui episcopatus, (quem quidem Augustinus vivente adhuc Valerio suscepit,) prælapsum esse; verum etiam in hoc Sermone, quanquam post obitum Valerii habitus sit, de illius diaconi miserabili casu, velut de re prorsus recenti dicit num. 3. *Dum de pastore erepto lugemus*, inquit, *nascitur de perdito fratre dolendi occasio.* Meminit n. 6. Feliciani et Prætextati, quos jam Donatistæ receperant una cum iis quos baptizaverant: quod non contigit nisi nno 397.

Accedit illud, quod in eamdem rem hic num. 5. referat verba Epistolæ CVII. Augustino scriptæ a Theodoro et Maximo : quæ sane verba ad aliam causam spectant, Rusticiani videlicet subdiaconi, qui pariter ab Augustino descivit, ut a Macrobio rebaptizaretur; in qua occasione huic dedit Augustinus Epistolam CVIII. circiter annum 409. Et vero Rusticiani hujusce subdiaconi casus non nisi post Honorii leges contra Donatistas contigisse intelligitur ex eadem CVIII Epistola, id est, post annum 405. Nemo autem, uti existimamus, eo usque Valerii, vitam extendere conetur, cum videat Augustinum ab exordio sui episcopatus nunquam Valerii meminisse, præter quam in Epistolis XXXI et XXXIII, quas haud dubie circiter annum 396 conscripsit : vix etiam verisimile est hunc diaconum, si ipse est qui jam a principio episcopatus Augustini vacillabat, nonnisi decennio post cecidisse. Porro quædam a concionatore proferuntur tanquam ex Augustiniana ad Macrobium Epistola, quæ non ipsa, sed in Epistola XXIII ad Maximinum expresse habentur.

Silentio omittimus alia quæ dubium sermonem hunc reddunt, veluti cum in eo concionator eumdem illum, quem n. 4. dissolutum hominem ac profligatum prædicat, militem Domini et vas honoris dicit n. 3. Cum rem ipsa baptismi iteratione magis lugendam judicat, quod ille Ecclesiæ desertor etiam diaconus a Donatistis factus fuisset : cum eosdem hæreticos rebaptizatores exemplo baptismi Primiani urget : ac præterea Maximum et Theodorum, qui ab Augustino in Epistola CVIII *filii et honorabiles viri* appellantur, absque ulla honoris testificatione nominat. Usurpat n. 1 verbum *omen*, quod in lib. 1. Retract. c. 1 improbatur ab Augustino. Tandem hic n. 4. de Primiani facto perinde iste loquitur, ac si

res omnibus perspecta esset, de qua tamen in eo Sermone nullum adhuc verbum ad populum fecerat.

ANNOTATIO (4) pag. 268.

Forte a Donatistis in Catholicos tum temporis grassantibus. Vide August. Epist. 133 et 134.

ANNOTATIO (5) pag. 284.

In Enchiridio multis post annis edito scripsit Augustinus cap. 46. non improbabiliter dici, parvulos parentum non solum primorum, sed etiam suorum de quibus ipsi nati sunt, peccatis obligari, eosque ante regenerationem teneri illa divina sententia: *Reddam peccata patrum in filios.* Magister sentent. lib. 2 cap. 33. ostendit Augustinum hæc dixisse non asserendo, sed diversorum opiniones referendo. Dixit sane ea regula et moderatione, quam servari jussit in lib. 6. de Genesi ad lit. c. 9. nimirum *ut in profundo Scripturæ sensu magis præstaret diligentiam inquirendi, quam affirmandi temeritatem.*

ANNOTATIO (6) pag. 290.

Hanc sententiam ab Apostolica sede, cum de hac ipsa re ageretur, adhibitam contra Pelagianos fuisse scribit Augustinus Epist. 186. ad Paulinum n. 28. et 29. Adhibuit nimirum Innocentius Papa in Epistola ad Patres Milevitani concilii, quæ inter Augustinianas est 182. Verba innocentii quæ huc spectant, transtulit Augustinus in librum 2. ad Bonifac. c. 4. Præterea Gelasius

Papa post Augustini obitum eadem ex sententia Pelagianos, episcopis per Picenum scribens, redarguit, eaque *neminem exceptum* esse docuit. Fulgentius porro a Ferrando diacono rogatus quid existimandum de salute juvenis Æthiopis, qui instante morte baptizatus, prius decesserat, quam Eucharistiam percepisset, ostendit et ex multis Scripturæ locis, et ex Augustini Sermone ad Infantes, *tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedas.* Confer lib, 3. de Peccatorum meritis cap. 4. et Tractat. 26. in Joan.

ANNOTATIO (7) pag. 295.

Ducitur vox a Cerere, in cujus sacris furore correpti mentis non satis compotes erant.

ANNOTATIO (8) pag. 310.

Sic Latinis ætate sua incertam testatur sæpe Hieronymus in Commentariis ad Isaiæ cap. 6. et 8. ad cap. 8. Zachar. ad 26. Matth. et in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum cap. 16. ad Paulum, et cap. 70. ad Gaium, etc. a Græcis vero susceptum olim tanquam Pauli, in Epist. 129. ad Dardanum scribit : *Illud*, ait, *nostris dicendum est, hanc Epistolam quæ scribitur ad Hebræos, non solum ab ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro*

ecclesiæ Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi.

ANNOTATIO (9) pag. 361.

Lov. *ita et ejus malam voluntatem, quæ nisi hominem haberet in quo esset, esse omnino non posset, ad auctorem Deum esse referendum.* Ultima isthæc verba, *ad auctorem Deum*, etc. expunximus, revocata huc illa lectione, *ita et ejus male voluntatis*, subaud. *Deus auctor esset* : quam quidem reperimus in editis Am. et Er. et in omnibus MSS. codicibus, e quibus tamen nonnulli, post *malæ voluntatis*, perperam addunt *initium* : necnon infra cum Am. et Er. *ad auctorem Deum esse referendum.* In editione quadam Parisiensi anni 1644. sic legitur, *ita et quidquid est male voluntatis quæ nisi hominem haberes*, etc.

ANNOTATIO (10) pag. 372.

Accipiebant catechumeni sacramentum salis, qua de re extat concilii Carthaginensis III. canon 5. Id rursum Augustinus in lib. de Catechizandis rudibus cap. 26. *sacramentum* appellat et *speciem benedictione sanctificatam* : qui etiam lib. 1. Confess. c. II. de suo ipsius catechumenatu loquens, *Et signabar jam*, ait, *signo crucis ejus et condiebar ejus sale.*

ANNOTATIO (11) pag. 385.

Respicere videtur in locum Num. c. 14. ubi omnibus qui a viginti annis et supra numerati sunt, morti in de-

serto obeundæ addictis, decrevit Deus cæteros in terram promissionis introducere ætate juniores, qui Josuë c. 23. v. 6. et 8. laudantur non declinasse a lege, nec ad dexteram nec ad sinistram.

ANNOTATIO (12) pag. 389.

Pelagii in Paulum commentarios citat Mercator in Commentario. c. 2. sententias illius ibidem profert multas, quæ totidem fere verbis leguntur in commentariis nomine Hieronymi falso publicatis.

ANNOTATIO (13) pag. 398.

Anno, credimus, 411. cum apud Carthaginem Collatio cum Donatistis haberetur. Quo tempore Pelagium a se visum testatur Augustinus infra in lib. de gestis Pelagii cap. 22.

ANNOTATIO (14) pag. 408.

Ad commentarios in Paulum inter Hieronymi opera, qui vel ad Pelagium vel ad aliquem ex ipsius discipulis pertinent.

ANNOTATIO (15) pag. 476.

Nondum in ejus manus venerat Eusebius versus a Rufino, qui in ipsius historiæ libro 7. c. 24. Gregorium Neocæsareæ Ponti antistitem prodit id miraculi effecisse,

ut mons sive rupes loco moveretur: cujus etiam facti meminit Beda lib. 3. comment. in Marc. c. 11.

ANNOTATIO (16) pag. 480.

Aliquid hic perturbatum esse suspicamur. Nam ea quæ parenthesis complectitur, non satis cohærent cum verbis sequentibus: forte collocanda sunt paulo supra, scilicet ante illud, *Verum ecce jam talem constituamus.*

ANNOTATIO (17) pag. 488.

Petrus Lombardus in 1. sent. dist. 43 cap. ult. ut ostendat Deum multa posse facere quæ non vult, postea quam illud ex Enchirid. c. 95. de Tyriis et Sidoniis dictum retulit, *Nec utique injuste Deus noluit salvos fieri, cum possent salvi esse si vellet:* subjunxit continenter hunc ipsum locum præsentis libri, de Judæ secundum animam suscitatione sic interpretatum: *Idem in libro*, inquit, *de natura et gratia: Dominus Lazarum suscitavit in corpore, numquid dicendum est, non potuit Judam suscitare in mente? Potuit quidem sed noluit.*

ANNOTATIO (18) pag. 503.

Marcellinus tribunus obierat anno 413, mense septembri, *sub invidia tyrannidis Heraclaniæ*, uti Hieronymus in lib. 3. contra Pelagianos scribit, *ab hæreticis innocens cæsus.* Hunc *spectabilis memoriæ virum* appellat Honorius in lege data die 30. Aug. an 414 in lib. 16. cod. Theod. 5. de hæret. l. 55.

ANNOTATIO (19) pag. 511.

Non probat id Pelagio objectari : quo quidem adversus eum argumento utitur Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem : *Numquid*, ait, *præcipit mihi Deus ut essem quod Deus est, ut nihil inter me esset et Dominum creatorem, ut major essem angelorum fastigio, ut haberem quod angeli non habent? De illo scriptum est quasi proprium, Qui peccatum non fecit.*

ANNOTATIO (20) pag. 517.

Intellige, quo posset et deberet hac in vita augeri. *Neque enim, aut lib. de Spiritu et litt. c.* 36. *n.* 65, *si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, jam culpæ deputandum est.* Vide lib. de Perfectione justitiæ c. 6.

ANNOTATIO (21) pag. 538.

Lactantius is est, ex quo testimonia prima petivit Pelagius.

ANNOTATIO (22) pag. 540.

Hymnus ille Ambrosianus a monachis Cisterciensibus canitur ad Tertiam Dominica Palmarum, et proxime sequentibus diebus.

ANNOTATIO (23) pag. 542.

Verba illa, quæ velut Xysti Romani episcopi et mar-

tyris Pelagius ipse protulerat, didicit postmodum Augustinus Xysti sive Sexti esse philosophi Pythagoræi, ex lectione forsitan Hieronymi epist. ad Ctesiphontem, ubi is errorem hunc detegens, ejus causam in Rufinum refert.

ANNOTATIO (24) pag. 548.

Qnod hic: Vel Pelagii quem refellit, vel certe Deuteronomii librum indicat, qui secundum LXX. addit, *et in manibus tuis*. Confer lib. 5. Quæstionum in Deuteron. quæst. 54.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Breviculus collationis cum Donatistis, pag. 33.	Eorumdem analysis, tom. XXII, pag. 287-289.
Contra Gaudentium Donatistarum episcopum, lib. II, p. 185.	Eorumdem analysis et fragmenta, tom. XXII, p. 289-296.
De peccatorum meritis et remissione, lib. III, p. 259.	Eorumdem analysis, tom. XXII, p. 199-201.
De Spiritu et littera, lib. I, p. 411.	Ejusdem analysis, tom. XXII, p. 201-208.
De natura et gratia contra Pelagium, lib. I, p. 484.	Ejusdem analysis et fragmenta, tom. XXII, p. 145-147.

INDEX

TOMI CENTESIMI QUADRAGESIMI.

Pagin.

DE UNICO BAPTISMO CONTRA PETILIANUM AD CONSTANTINUM, Liber unus. Petiliani librum de unico baptismate, quod ille in sola vera Ecclesia, imo in sola Donati parte esse contendebat, refellit Augustinus. Docet unici baptismi etiam in hæreticis repertam veritatem approbandam esse, non violandam. Ad Cypriani martyris et aliorum ex Africa, qui cum ipso aliter sensisse objectantur, episcoporum auctoritatem respondet. Neminem in Ecclesiæ unitate maculari alienis peccatis, ex ipsius Cypriani facto probat contra Donatistarum schisma. Postremo Petiliani calumnias Melchiadi et aliis quibusdam Catholicis episcopis illatas propulsat. 3

BREVICULUS COLLATIONIS CUM DONATISTIS. Collatio primi diei. 33

Secundi diei Collatio. 44

Collatio tertii diei. 46

AD DONATISTAS POST COLLATIONEM, liber unus. Ipsos Donatianæ partis laïcos monet Augustinus, ne ulterius seducantur a suis episcopis, quos jam esse in Collatione apud Carthaginem habita, propriis suis verbis ac sententiis prolatisque per eosdem ipsos documentis confutatos. Gesta commonstrant. Horum vanas adversus Collationis ejusdem judicium calumnias diluit, scripta abiis quædam post Collationem in vulgus sparsa examinans obiter et refellens. 93

Sermo ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem Emerito præsente habitus. 155

DE GESTIS CUM EMERITO CÆSAREENSI DONATISTARUM EPISCOPO, liber unus. 169

CONTRA GAUDENTIUM DONATISTARUM EPISCOPUM, libri duo. — Liber I. In quo Gaudentii duæ ad Dulcitium Epistolæ refutantur. 185

Liber II. Gaudentii contra superiorem librum responsio diluitur. 242

Sermo Augustino tributus de Rusticiano subdiacono a Donatistis rebaptizato et in diaconum ordinato. 260

DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE, ET DE BAPTISMO PARVULORUM, AD MARCELLINUM, libri tres. —

Liber I. Refellit eos qui dicunt, Adam, etiamsi non peccasset, fuisse moriturum ; nec ex ejus peccato quidquam ad ejus posteros propagatione transiisse. Mortem hominis probat consecutam non necessitate naturæ, sed merito peccati : tum etiam peccato Adæ totam ejus stirpem obligatam esse docet, ostendens parvulos ob id baptizari, ut originalis peccati remissionem accipiant. 259

Liber II. Disputat Augustinus contra eos qui dicunt, quod in hac vita sint, fuerint, et futuri sint homines nullum habentes omnino peccatum : qua de re propositis quatuor quæstionibus, docet primo hominem in hac vita sine peccato esse posse per Dei gratiam et liberum ipsius arbitrium. Postea probat non esse tamen quemquam in hac vita degentem sine ullo prorsus peccato. Tertio, ideo non esse, quia nemo est qui tantum velit, quantum res exigit, dum vel latet quod justum est, vel facere non delectat. Quarto loco, nullum prorsus, excepto uno Mediatore Christo, vel esse, vel fuisse, vel futurum esse hominem ab omni peccato immunem. 333

Liber III, seu ad eumdem Marcellinum Epistola. In qua Augustinus Pelagii circa quæstionem de peccatorum meritis et de parvulorum baptismo errores, sive nonnullas contra peccatum originale, quas ille suis in Paulum expositionibus insperserat, argumentationes redarguit. 388

DE SPIRITU ET LITTERA, AD MARCELLINUM, liber unus. Marcellino scribente se permotum eo, quod in superiori opere legisset, fieri posse ut sit homo in hac vita sine peccato, si velit, adjutus a Deo ; nec ullum tamen usquam in hominibus tam perfectæ justitiæ exemplum extare : hanc Augustinus occasionem arripit disputandi contra Pelagianos de adjutorio gratiæ Dei, ostenditque non in eo nos divinitus adjuvari ad operandam justitiam, quod legem Deus dedit plenam bonis sanctisque præceptis, sed quod ipsa voluntas nostra, sine qua operari bonum non possumus, adjuvetur et erigatur impertito spiritu gratiæ, sine quo adjutorio doctrina legis littera est occidens, quia reos potius prævaricationis tenet, quam justificat impios. Inde ad propositam quæstionem, quam solvere incipit in principio libri, rediens iterum in fine, demonstrat multa esse nemine diffitente possibilia cum Dei auxilio, quorum nullum usquam extet exemplum : atque ita sine exemplo esse in hominibus perfectam justitiam, et tamen impossibilem non esse concludit. 411

DE NATURA ET GRATIA AD TIMASIUM ET JACOBUM CONTRA PELAGIUM, liber unus. Principio ponitur quid de natura et gratia exploratum sit : Naturam scilicet ex Adæ prævaricatoris carne propagatam, quia jam non qualem Deus primitus condiderat, inculpabilem et sanam, gratiæ auxilio, quod et ab ira Dei redimatur, et ad justitiam perficiendam regatur, indigere. Naturæ pœnale vitium ad vindictam justissimam pertinere : ipsam autem gratiam non meritis reddi, sed gratis dari ; et qui non per eam liberantur, juste damnari.

Mox Pelagii eidem naturæ contra gratiam patrocinantis liber, responsis ad singulos apices redditis, confutatur; inter alia præcipue quod posse esse hominem sine peccato, suadere cupiens, naturam per peccatum debilitatam et mutatam non esse contendat; alioquin materiam peccati (quod absurdum putat) vindictam fore, si ad hoc peccator infirmatus est, ut plura peccaret. Præterea quod commemoratis justis cum Veteris tum Novi Testamenti, quos peccato caruisse sentit, dicat possibilitatem non peccandi homini a natura inesse; eamque ideo gratiæ Dei tribuendam, quia illius naturæ Deus auctor est, cui ea non peccandi possibilitas inseparabiliter insita sit. Veterum denique, quas pro se Pelagius adducit, ac nominatim Hilarii, Ambrosii, ipsius quoque Augustini sententiæ expenduntur. . . . 483

ANNOTATIONES. 551
CONCORDANTIA. 561

EXPLICIT INDEX.

208.24
Au 46 C
58622
Augustinus, Aurelius,
AUTHOR
Opera omnia, ed. Caillou,
TITLE
V. 33
DATE DUE
BORROWER'S NAME
OCT 3 0 '66
Borja
STORAGE - CBPL
58622